Bow. Love

DISSERTATIO
DE
S. SCRIPTURARUM
INTERPRETATIONE
SECUNDUM
PATRUM
COMMENTARIOS.

In Qua Probatur,

Primò, S. Scripturam esse Regulam Fidei unicam, ex quâ de omnibus Articulis Fidei creditu necessariis ad Salutem, Judicium ferendum est.

Secundò, Patres sive Primævos, sive Subsequentes, non esse idoneos S. Scripturæ Interpretes.

Tertiò, Non posse controversias de S. Trinitate motas ex Patribus, Conciliis, aut Traditione verè Catholicâ certò definiri.

Authore Daniele Whitby, Ecclesiæ Sarisburiensis Præcentore.

In compendio est apud religiosas & simplices Mentes, & Errorem deponere, & invenire atque eruere Veritatem. Nam si ad divinæ Traditionis caput, & Originem Dominicam, & Evangelicam, & Apostolicam revertamur, cessat Error humanus: Et Sacramentorum Cœlestium ratione perspecta, quicquid sub Caligine ac Nube Tenebrarum obscurum latebat; in Lucem Veritatis aperitur. *Cyprianus Epist. 74. p. 215.*

LONDINI.

Impensis J. Churchill, ad Insigne Nigri Cygni, Vico vulgò dicto *Pater-noster-Row*. MDCCXIV.


BRITISH MUSEUM

PRÆFATIO
CANDIDO LECTORI.

SECTIO PRIMA.

NON me latet, erudite Lector, opus me aggredi invidiæ plenum, multíſque inviſum ; unde me, Patrum nuditates præ oculis legentium ponentem, *Chamo* nonnulli comparabunt ; quod tamen tropico hoc ſenſu fieri nihil impedit, & omnibus qui Patres typis mandârunt, aliíſque legendos propoſuerunt, mecum commune eſt.

Clamitent fortè alij me Patrum dignitati multum detraxiſſe, eorúmque Authoritatem minuiſſe. Reſpondeo, Authoritatem Patribus meritò tribuendam, eámve quam jure obtinere debeant, me neutiquam minuiſſe ; Authoritati autem quam ipſi reſpuunt, quámque ipſis tribuendo Theologia Chriſtiana heu ! nimium paſſa eſt, & etiamnum patitur, ut, prout res exigit, reverà detraham, inſtituti plane noſtri eſt, & propoſiti. Nec gratius aliquid vel Deo Patri, vel Salvatori noſtro, vel Doctrinæ Eccleſiæve Chriſtianæ, ejúſque celeberrimæ parti, Eccleſiæ Anglicanæ, fa-

cturum me esse existimo, quàm Patri cœlesti, cui soli competit jus Conscientiæ Leges figendi, Christôque, qui unicus Ecclesiæ dux & Magister est, integram illam condendi Articulos Fidei Αὐθεντίαν tribuendo, quam, non nisi summo Ecclesiæ & Fidei nostræ detrimento, Patribus & Conciliis adscripsit non tantùm Ecclesia Romana, sed ij qui Ecclesiæ Anglicanæ præ cæteris genuinos Filios, immò Antistites, se esse gloriantur, tamen Articulo sexto ejusdem Ecclesiæ aut palam cum Thorndicio nostrate renuntiant, aut Doctrinas ἀγράφους introducendo de Sacerdotio propriè sic dicto, de Precibus pro mortuis celebrandis, atque aliis ejusdem generis permultis, eidem clanculum adversantur, & reformatæ Ecclesiæ unicum Fundamentum radicitùs evellunt. Hæc diu, mœstúsque conspexi; utque serpenti malo, & novas vires indies acquirenti, pro modulo nostro, occurram, hoc Opus in me suscepi, non integram Interpretationum cujuscunque generis Farraginem, quam Patres exhibent, in medium adducendo, id enim Volumina multa exigeret, sed ut Specimen exhiberem, ex quo ediscat judicio pollens Lector, non esse Patres idoneos S. Scripturæ Interpretes, frustráque ad eorum placita Genuinum Scripturarum sensum adstringi, aut iis in *Sententiâ* qualicunque sententiam Decretoriam, ratione non adstipulante, deferri. Et in hâc causâ, Lector, te Judicem constituo atque Arbitrum, & Patrum, si volueris, ὑπεροπτὴν. Scias tamen me cum * *Augustino* didicisse, "Solis iis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, "hunc tantum honorem deferri, ut nullum horum Authorum scribendo aliquid errâsse firmissimè credam; alios autem ita lego, ut, quantalibet sanctitate & doctrinâ præpolleant, non "ideò verum putem quod Ipsi ita senserint, vel quod

* *Ep.* 19. *p.* 70.

" quod mihi per Authores iſtos Canonicos, vel
" probabili ratione, quod à vero non abhorreat,
" probare potuerunt.

Sectio Secunda.

UT Operis hujus inſtitutum ab incommodis, quibus gravari poſſit, expediam, & argumentis, quæ, cum aliquâ Veritatis ſpecie, objici nobis videantur, feliciùs reſpondeam, quædam præfari operæ pretium eſſe duco,

Primò, De Operis hujus utilitate pariter & neceſſitate.

Secundò, Quàm rationi abſona eſt, quantiſque incommodis oneratur eorum ſententia, qui nos ad Patrum Antiquorum, & Conciliorum placita, ſive Eccleſiæ traditiones, tanquam ad optimam & tutiſſimam Scripturas interpretandi methodum, remittunt, latiùs oſtendam.

Tertiò, De iis, quæ ex Scripturis adduci, & cum his Patrum interpretamentis comparari ſolent, diligentiùs inquiram.

Quartò, Non tantum Patres ipſos de Antiquiorum ſcriptis & Interpretationibus idem nobiſcum judicium ſæpius tuliſſe, nobíſque idem de ſeipſis judicium ferendi libertatem conceſſiſſe; ſed omnes omnium ſententiarum patronos, Eccleſiarum omnium ſcriptores, eandem libertatem de eorum ſcriptis & in S. Scripturas Commentariis judicandi multoties ſibiipſis vendicâſſe, paucis oſtendam.

Denique, Ad fontes hallucinationum & παρεξηγήσεων, quas ex Patrum monumentis collegimus, digitum intendam.

Omnibus notum est Ecclesiæ Anglicanæ Pastores sexto Fidei nostræ Articulo subscribere, in quo disertim asseritur, quòd " *Scriptura S. continet* " *omnia quæ sunt ad salutem necessaria, ita ut quic-* " *quid in eâ nec legitur, neque inde probari potest, li-* " *cet interdum ut pium, & conducibile ad ordinem &* " *decorum admittatur, à quopiam non sit exigendum,* " *ut tanquam Articulus Fidei credatur; & ad salutis* " *necessitatem requiri putetur.* Et, cùm sacris Or- " dinibus initiantur", se id in animum induxisse dicunt, " *Sacras Scripturas omnia continere,* " *quæ ad æternam Salutem sunt prorsus necessaria,* fi- " demque faciunt, *nihil aliud ipsos pro fidei Arti-* " *culo ad salutem necessario proposituros, nisi quod ex* " *ipsis Scripturis probari potest*". Et tamen post hæc omnia, quidam Scripturas sacras non aliter interpretandas esse contendunt, quàm ex Patrum quorundam placitis, & Conciliorum decretis. Ex hoc fonte, ut verum fatear, integram illam Errorum & Superstitionum Farraginem, à quibus Fides in ultimum discrimen adducta sit, fluxisse existimo; nec eam unquam ad pristinum statum & simplicitatem restituendam esse spero, nisi intra Scripturæ S. cancellos Fides & Religio coerceatur, eáque pro unicâ firmâ & perfectâ Christianæ Fidei regulâ, sepositis Patrum documentis, Conciliorum placitis, Canonum decretis, & Systematum quorumcunque sententiis, agnoscatur.

Utq; hanc regulam non tantum ore profiteamur, sed re ipsâ agnoscamus, quàm utile est, & plane necessarium; quanti periculi res sit ab eâ deviare ad Patrum Conciliorúmque decreta, quàm magno id Fidei nostræ detrimento fit, quàm plane à Christo, unico Fidei nostræ Duce, Authore, & Consummatore, contra disertissima ipsius verba, hoc pacto receditur, paucis ostendam.

Pri-

Primò etenim, hoc manifeſtum eſſe exiſtimo, ex his Chriſti verbis : * *Amant Scribæ & Phariſæi vocari ab hominibus Rabbi, vos autem nolite vocari Rabbi : unus enim eſt Magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis. Et Patrem nolite vocare vobis ſuper terram ; unus eſt enim Pater veſter qui in Cælis eſt. Nec vocemini Magiſtri, quia Magiſter veſter unus eſt Chriſtus.* *Matt. 23. 8, 9, 10.

Ubi obſervandum (Primò) præſcribere hic Chriſtum his titulis renuntiandum, nec cuilibet tribuendum eſſe hunc honorem, non quòd ſuperbiæ, aut vanæ gloriæ ſtudium aut ambitum oſtendebant, ſed quoniam, ſine ſacrilegâ in Deum Patrem Chriſtumque ejus injuriâ, nemo " ſe Patrem, Magiſtrum, aut Ducem, ſenſu " prohibito, appellare, ſibive hos titulos vendi- " care potuerit ". Quod quidem, ex ratione tituli cujuſque negati, evidenter pateat : neminem enim, inquit, vocate Patrem ſuper terram, *quia unus eſt Pater veſter in Cælis* ; neminem Καθηγητὴν, Διδάσκαλον, Ducem, aut fidei Magiſtrum vocate, quia Dux & Magiſter veſter *unus eſt Chriſtus.* Ex quibus conſpicuum eſt ea à Chriſto hîc tantum prohiberi, quæ Dei dominium in Conſcientias hominum, ejuſque Αὐθεντίαν in rebus Fidei proponendis, minuebant.

Secundò, Apprimè obſervandum eſt hos ipſos titulos *Scribas* & *Phariſæos* ſibimet-ipſis vendicâſſe, unde *Ab. Mor. Rab.* Pater, Magiſter, Dux, & Doctor, eorum quilibet dicebatur, ſubque his titulis, & hoc prætextu, ſe pro Magiſtris, quorum doctrinis in omnibus credendum eſſet, exhibebant: Hæcque è Rabbinorum placitis latiùs deduxi Commentario in hunc locum. Hanc etiam Αὐθεντίαν ab ipſis non tantum uſurpatam eſſe, ſed ab aliis conceſſam † *Joſephi* ipſius temporibus ex his ejuſdem verbis perſpicuum eſt. " Populus *Pha-* " *riſæorum ἵπονται τῇ ἡγεμονίᾳ, πειμάχητον ἡγέμενοι ϗ*

† *Antiq. l. 18. cap. 2.*

φυλακὴν ἦν προσαγορεύειν ἠθέλησε, τιμῆς γὰ τ ἡλικίας προσήκειν παρεχώρουν, ὥδὲν ἐπ' ἀνθλέξει τῆ εἰσηγηθέντων ταῦτα θράσει ἐπαιρόμενοι, "sequuntur ductum, ob-"servationem eorum quæ secta illa denun-"tiare voluerit rem esse propugnandam du-"centes: honorem enim illum natu majoribus "adhibent, ut non, audaciâ inflati, aliquid di-"cant contra ea quæ introducta ab iis sunt". *Sadducæi* vero περὶς διδασκάλους σοφίας ἓν μηδὲν ἀμφιλεγεῖν ἀρετὴν ἀριθμοῦσιν, "nihil præter Legem obser-"vandam existimant, &, adversus Doctores Sa-"pientiæ, de eâ quam exponunt, disceptare præ-"clarum ducunt". Ubi, conceptis verbis, habemus τὰς διδασκάλους σοφίας Doctores Sapientiæ, nimirum Traditionalis, habemus pariter ἡγεμόνας, qui respondent καθηγηταῖς apud *Matthæum*; & denique ætate provectos, qui *Patribus*, & de horum omnium doctrinis disceptandum non est, ab eorum sententiis in nihilo recedendum est, sed omnia quæ observanda proponunt, sine contradictione recipienda sunt; quo nihil insignius de Dei Patris Christique documentis dici potuit. Quibus præmissis, hos Sapientes stultitiæ incusat Christus, Com. decimo septimo, & decimo nono, hos Duces, *cæcos* pronuntiat, v. decimo sexto & vicesimo quarto, à quibus in foveam cæci ducebantur: ex quibus abunde liquet *Christum* in hâc prohibitione eos potissimum respexisse, qui id sibi muneris vendicabant, quod Deo Patri ejusque Filio ἀμέσως competeret. Ex his jam latiùs diductis,

Constat primo, Sacrilegij, immò Idololatriæ reos esse, quotquot Patrum Conciliorúmve decretis eam authoritatem tribuunt, ut eo nomine pro Fidei Articulis, ad salutem creditu necessariis, hæc vel illa recipienda esse contendant, quod Patrum quorumcunque suffragis, aut Conciliorum decretis, stabilita essent: hoc enim nihil aliud est

quàm

quàm eos Patres, Magistros, eo sensu appellare, quo neminem vocari posse hic Christus enuntiat, sine Sui Patrisque injuriâ, id ipsis nimirum tribuendo, quod soli Deitati competit.

Nec mitiùs de iis sentiendum est, qui verbis Christum Fidei nostræ unicum Authorem, Scripturas S. Fidei regulam perfectam esse agnoscunt, de Christi tamen mente in Scripturis traditâ, ex Patrum Interpretamentis, Conciliorum decretis, Ecclesiæ cujuscunque sententiis definitivis, judicandum esse contendunt ; hoc enim nihil aliud est, quàm eos pro Fidei nostræ supremis Judicibus, & certis Scripturæ S. Interpretibus agnoscere ; Christique mentem dicere non ex ipsius verbis, non ex Fidei Regulâ quam suis Discipulis reliquit, sed ex aliorum Interpretamentis discendam esse.

Hoc enim qui dicunt, non tantùm in Romanensium castra confugiunt, sed, monente clarissimo * *Chillingworthio*, Christum de throno suo, Deumque de dominio in Conscientias hominum dejiciunt, ut Patres & Concilia in eorum locum substituant, Scripturásque ipsas pro Fidei Regulâ non esse agnoscendas reipsâ asserunt. Cum enim Christi Doctrina, & Fidei Regula, ex Christi verborum sensu sit unicè petenda, qui alios quoscunque pro certis, necessariis, & authenticis legum Christi Interpretibus nobis obtrudunt, utut à mente Christi maximè aliena dicere nobis videantur, ij plane exigunt eorum Interpretamenta pro Christi legibus recipienda esse, aliósque omnes fidem adhibere non iis quæ Christum docuisse reverà existimant, sed iis quæ alij ipsum docuisse perhibent, revera docent ; quod quisquis facere paratus est, sine prævio interpretationum harum examine, is certè nec à Lege, nec à Legislatore, sed ab Interprete humano Fidei suæ normam accipit.

* *Præfat.* 15. 10.

Sectio Tertia.

HAUD minus Christianæ Fidei normæ repugnat ea, quam Patribus adscribunt non pauci, S. Scripturas interpretandi provincia. Quod ut manifestius appareat, sciendum est, Christianæ Fidei Regulam esse reveraRegulamFidei, quam Christus Ecclesiæ suæ credendam proposuit, adeóque Quæstionem de Regulâ Fidei Christianæ necessariò supponere Christum esse unicum Fidei nostræ Doctorem.

Porrò, cum Regula Fidei Christianæ ea mansura sit, per quam judicium ferendum est de doctrinis, quas Christus Ecclesiæ suæ proposuit, & quibus assensum nostrum postulat, nec de Obscurâ Regulâ judicium certum ferre possumus, sequitur Regulam Christianæ Fidei necessariò perspicuam esse debere. Porrò, ad Regulam Fidei, in omnibus quæ ad Fidem & Mores spectant, sufficientem, est pariter necessarium, ut planè & perspicuè ea omnia contineat, quæ ad salutem sunt creditu factúve necessaria.

Hinc constat eos puerorum more ludere, & dexterâ, ut aiunt, porrigere, quod siniſtrâ tollunt, qui, post ineptum * Lirinensem, agnoscunt " *Perfectum esse Scripturarum Canonem, & ad* † Cap. 41. " *omnia satis superque sufficientem,* † *eumque solum sibi ad omnia sufficere,* & tamen ad Patrum sententias, & Ecclesiæ traditionem, ut certum Scripturarum sensum tutius & felicius assequamur, remittendos nos esse duxerint. Qui enim Scripturas pro Regulâ Fidei perfectâ semet agnoscere prætendunt, eosdem agnoscere necesse est S. Scripturæ Canonem adeò perfectum esse in rebus creditu factúve ad salutem necessariis, ut ei ni-

* Cap. 2.

nihil addi debeat; adeóque in iisdem perspicuum, ut Interprete non indigeat: Nec enim perfectus is Fidei Canon esse potest, cui ad Integritatem Fidei aliquid defuerit; nec Regula aut Mensura esse potest, ubi obscura fuerit, nec satis perspicua, quoniam in iis non potest nos certò dirigere.

Doleo igitur Virum imprimis doctum, & in Patribus legendis non mediocriter versatum, in hunc scopulum planè impegisse. Cum enim, juxta Ecclesiæ Anglicanæ Articulum Sextum, & omnium Reformatorum unanimem consensum, " Scripturas S. pro *Regulâ Fidei Morumque perfectâ* agnovisset, * ejusque Perfectionem in eo " consistere docuisset, quod *plenè & perspicuè* NB. " *Omnia ad Salutem necessaria contineat*, post exi- " miam hanc Veritatis Confessionem, ad Lirinensis stultiloquium se recipit; & † quoniam " S. Scripturam non uno eodemque Sensu u- " niversi accipiunt, aliter namque illam *Novatianus*, aliter *Photinus*, aliter *Sabellius*, aliter *Donatus* exponit, &c. hoc futili sophismate in- " ductus sacras Scripturas Interpretem quendam " postulare existimat, nec posse id muneris sibi " præstare, adeóque tutissimam methodum inter- " pretandi S. Scripturas, & rationi summè con- " sonam hanc esse, Sensum nimirum generalem " Catholicorum Patrum in purioribus Ecclesiæ " Seculis consulere". Atque adeò Christum de throno suo planè dejicit, ejusque Sententiam Mentemque hominum sæpe labentium, & grandi errorum cumulo subditorum, judicio subjicit; ipsas Scripturas ad Fidei doctrinam exhibendam inutiles reddit, utpote quæ tutiùs à Patribus colligatur; immo ipsas falsò & incongruè pro Regulâ Fidei nobis proponi reipsâ asserit, nisi earum sensus ex Patrum scriptis innotescat: Ea scilicet fuit (sit venia blasphemiæ) vel Christi

* *Præfat.* p. 8.

† *Cap.* 2. p. 7, 8.

Stul-

Stultitia, ut perſpicuè Eccleſiam ſuam de rebus ad Salutem neceſſariis docere non potuerit; eáve vecordia, ut noluerit; ea autem ſequiorum ſeculorum ſapientia, & erga Chriſtianos affectus, ut, quod Chriſtus eâ obſcuritate Diſcipulos docuerat, *ut videntes non viderent*, ſummâ perſpicuitate hi Patres præ omnium oculis poſuerint. Res ſanè hæc digniſſima eſt, quæ in honorem Domini noſtri Jeſu Chriſti & tractetur fuſiùs, & accuratiùs expendatur. Quod ut feliciùs expediam, in me probandum ſuſcipio,

Primò, S. Scripturas in rebus ad Salutem neceſſariis Interprete non egere, in non neceſſariis minimè poſtulare.

Secundò, S. Scripturas ſibiipſis Interpretum officio fungi poſſe.

Tertiò, Novam hanc Methodum Scripturas ex Patrum placitis interpretandi, nec tutam, nec rationi conſonam eſſe, ſed in multis fallacem, periculi plenam, Veritati, Eccleſiæ Anglicanæ Sententiæ, Patrúmque ferè omnium unanimi judicio multimodis repugnare.

Quartò, Argumenta, quibus Vir doctus ſententiam ſuam probare nititur, nullius planè roboris eſſe, multáque precaria, falſa nonnulla, & experientiæ prorſus contraria continere. Et,

Primò, Sacras Scripturas, in rebus creditu factúve neceſſariis, Interprete non egere ex eo liquet, quod in his omnibus Scripturam eſſe Regulam perſpicuam Vir doctus aſſerit. Quid enim amplius Interpres facere poteſt, quàm ſenſum Scripturæ facere perſpicuum? Id autem planè ſuperfluum eſt, ubi Regulam in ſe perſpicuam eſſe agnoſcitur. In iis autem quæ nec factu, nec creditu ſunt neceſſaria, Interpretem non eſſe neceſſarium res ipſa indicat: eo enim, ſine Salutis peri-

periculo, carere is poteſt, qui omnia ad Salutem neceſſaria probè cognoverit.

His adde, quod Scripturas in rebus ad Salutem neceſſariis perſpicuas eſſe conſtans eſt Patrum omnium Sententia: eſt igitur certum ex eorundem Sententiâ Scripturam in hiſce omnibus Interprete non egere. *Irenæum* ſtatim audiemus pleno ore aſſerentem "Ea omnia quæ in pote-
" ſtate noſtrâ poſuit Deus, & notitiæ noſtræ ſub-
" jecit, apertè & ſine ambiguitate in Scripturis
" divinis inveniri: *obſcura autem* non eſſe ab aliis
" Interpretibus petenda, ſed *Deo reſervanda*".
* *Origenes* pariter: "Ego, inquit, in hoc biduo * *Hom. 5. in Levit. T. 66. D.*
" puto duo Teſtamenta poſſe intelligi, in quibus
" liceat omne verbum, quod ad Deum pertinet,
" requiri, & diſcuti, atque ex ipſis omnem ve-
" ram ſcientiam capi; ſi quid autem ſuperfuerit
" quod non divina Scriptura decernat, nullam
" aliam tertiam Scripturam debere ad auctorita-
" tem ſcientiæ ſuſcipi, ſed *igni tradamus quod ſu-*
" *pereſt*, *id eſt*, *Deo reſervemus*, non enim, in
" præſenti Vitâ Deus ſcire nos omnia voluit".
† *Athanaſius Joviano*, inquirenti quo pacto Eccle- † *Epiſt. ad Jovian. T. 1. p. 246.*
ſiæ Catholicæ Fidem dignoſcere potuiſſet, reſpon-
det, "Vera & pia Fides in Dominum φανερὰ πᾶσι
καθέστηκεν, καὶ ἐκ τῶν θείων γραφῶν γινωσκομένη καὶ ἀναγινωσκομένη, omnibus manifeſta eſt, ex Scripturis di-
" vinis legenda & agnoſcenda". *Chryſoſtomi* ‖ *Epiſt. 2. ad Theſſal. p. 234.*
Lingua aurea clamat, πάντα σαφῆ καὶ εὐθέα τὰ παρὰ τῶν θείων γραφῶν, πάντα τὰ ἀναγκαῖα δῆλα, "plana
" & recta ſunt omnia quæ in divinis Scripturis
" occurrunt, omnia cognitu neceſſaria ſunt ma-
" nifeſta. Hæc autem dicit importunè quærenti-
bus, quorſum venirem ad Eccleſiam, niſi audi-
verim Interpretem? Obſcurè enim dictæ ſunt
Scripturæ. Quibus reſpondet *Chryſoſtomus*,
" Prætextum hunc omnia confundere, meráque
" verba, & excuſationes pertendere: manifeſta
" enim

" enim cognoſci, nec in hiſtoriis Evangelij in-
" numeris obſcuri aliquid invenitur: ſi quid enim
" Spiritus ſanctus loqui voluit, id manifeſtè pro-
* *Ho. 3. in Lazarum.* " tulit". * Quæſtioni quorundam, " Quid fa-
" ciemus, εἰ μὴ οἴδαμεν τὰ ἐγκείμενα, ſi ea, quæ in
" Scripturis continentur, non noverimus"? Re-
ſpondet, " Gratiam Spiritûs Sancti eâ de causâ or-
" dinâſſe libros hoſce à Publicanis, Piſcatoribus,
" Opilionibus, & Schenofactoribus componi, ut
μηδεὶς ἀφ' ἑαυτῶν εἰς ταύτην ἔχῃ καταφεύγειν πρόφασιν,
ἵνα πᾶσιν εὐσύνοπτα ᾖ τὰ λεγόμενα, " Nemo ad hunc
" prætextum fugiendi cauſam haberet, atque
" omnibus, ea quæ dicuntur, ſint facilè cognoſ-
" cenda: ut Artifices, Servi, Vetulæ, ex iis
" ad Salutem proficiant. Qui enim Spiritûs Sancti
" gratiâ digni habebantur, non Philoſophorum
" more opus illud peragebant, aucupandæ glo-
" riæ gratiâ, ſed ad Salutem audientium; Phi-
" loſophi quidem ea quæ utilia dicebant ἀσαφείᾳ
" κατεκάλυψαν, *obſcuritate obvelarunt*; Apoſtoli au-
" tem & Prophetæ viâ contrariâ inſiſtebant, ea
" proferentes quæ erant σαφῆ καὶ δῆλα ἅπασιν omni-
" bus perſpicua & manifeſta, ἵνα ἕκαστος, ἐξ ἑαυτοῦ,
" μανθάνειν δύνηται ἐκ τῆς ἀναγνώσεως μόνης τὰ λεγόμενα,
" ut quiſque per ſolam lectionem diſcere ea quæ
" lecta ſunt potuerit. τίνι γὰρ ἔχει δῆλα τὰ ἐν εὐαγγε-
" λίοις ἅπαντα, cui enim manifeſta non ſunt om-
" nia quæ in Evangeliis continentur"? Infini-
tus pene eſſem, ſi ea omnia quæ in *Epiphanio, Gregorio Nyſſeno, Cyrillo Alex. Theodoreto,* aliiſque ſcriptoribus Eccleſiaſticis ad hanc Sententiam confirmandam idonea eſſent, chartis mandarem; ſed Viro docto, & in Patribus legendis præ cæteris verſato, hæc adeò probe cognita eſſe exiſtimo, ut monitore me non indigeat.

Secundò, Nec minus certum eſt S. Scripturas ſibiipſis Interpretum officio fungi poſſe. Quis enim neſcit antecedentium & conſequentium ratio-

tionem, & locorum inter se invicem collationem, ad veram Scripturarum intelligentiam eruendam plurimum conducere? ex veteris Instrumenti phraseologiâ, historiâ, variisque περικοπαῖς, de aliis N. Testamenti locis certum judicium ferri, adeò ut, *Josepho Acosta* judice, *nihil Scripturam adeò aperire videatur, ac ipsa Scriptura:* atque hunc modum Scripturas interpretandi tutissimum pronuntiant Patres Antiquissimi à secundâ ad quintam Centuriam. " Mens, inquit * *Irenæus*, sa- * *L. 2. c.* 46.
" na, extra periculum posita, religiosa, & Ve-
" ritatis amans, ea omnia quæ Deus posuit in
" hominum potestate, & nostræ notitiæ subje-
" cit, promptè meditabitur, & in iis proficiet,
" diuturno studio facilem efficiens eorum do-
" ctrinam: sunt autem hæc ea, quæ sub nostrum
" aspectum cadunt, καὶ ὅσα φανερῶς, καὶ ἀναμφιβόλως,
" αὐτολεξεὶ, ὅσα ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς λέγονται, & quæcunque
" apertè, & sine ambiguitate, verbatim in divi-
" nis Scripturis leguntur, & ideò parabolæ (sive
" obscura Scripturæ loca) debent non ambiguis
" adaptari". Ubi tria occurrunt notatu dignissima: (Primò) Scientiam eorum omnium quæ Deus in nostrâ potestate posuit, nostræque notitiæ subjecit, apertè, & sine ambiguitate in S. Scripturis legi posse, & ad ea discenda nos diuturnâ exercitatione facilè posse pervenire. (Secundò) Loca Scripturæ obscura & ambigua, ex non ambiguis interpretanda esse, ut sine periculo ea absolvamus, & veritatis corpus integrum conservemus, aliter enim apud nullum erit veritatis Regula. (Tertiò) Si omnium, quæ in Scripturis requiruntur, & reperuntur, absolutiones non possumus (hoc modo) invenire, reliqua sunt Deo commendanda. " Non debemus, in-
" quit † *Origenes*, ad confirmandam Doctrinam † *Ho.* 25.
" nostram, nostros proprios intellectus jurare *in Matth.*
" (i. e. quasi Testimonia assumere) quos unus- *F.* 47. *H.*
" quis-

" quisque noſtrûm intelligit, & ſecundum Ve-
" ritatem exiſtimat eſſe, nî oſtenderit eos ſanctos
" eſſe, ex eo quod in Scripturis continentur
" divinis, quaſi in Templis quibuſdam Dei. Stul-
" ti ergo & cæci omnes, qui non cognoſcunt
" quod Templum, id eſt, Lectio Scripturarum,
" magnum & venerabilem facit ſenſum, ſicut
* *De Trin. l. 1. p. 11.* " aurum ſacratum ". * *Hilario* judice, " Opti-
" mus eſt Lector, qui dictorum intelligentiam
" expectet ex dictis potius quàm imponat, &
" retulerit magis quàm attulerit, neque cogat
" id videri dictis contineri, quod ante Lectio-
" nem præſumpſerit intelligendum. Cùm itaque
" de rebus Dei erit ſermo, concedamus cog-
" nitionem ſui Deo, dictiſque ejus piâ vene-
" ratione famulemur: idoneus eum ſibi teſtis
" eſt, qui niſi per ſe cognitus non eſt ". Teſté-
† *To. 2. Reg. Brev. c. 267. p. 718.* que † *Baſilio*, " Quæ ambiguè & ſubobſcurè vi-
" dentur dicta fuiſſe in quibuſdam locis Scriptu-
" ræ, ὡσὰ τῆς ἐν ἄλλοις τόποις ὁμολογεμένων σαφηνίζε-
" ab iis quæ alibi ex profeſſo in Scripturis ſunt
‖ *Ho. 13. in Gen. p. 81.* " manifeſta fiunt ". ‖ *Chryſoſtomus* hortatur om-
nes, qui aliquid nos docere voluerint, ſequi Ca-
nonem τ ἀγίας γεαφῆς ἑαυτὴν ἑρμηνεύσης, κ) ὐκ ἀφείσης
πλανᾶδ τ ἀκροατήν, Scripturæ, quæ ſeipſam in-
terpretatur, nec ſinit Auditorem decipi.

Sectio Quarta.

AD Tertium Caput progredior, nempe ut demonſtrarem novam hanc methodum Scripturas ex Patribus puriorum Seculorum interpretandi, nec tutam, nec rationi conſonam eſſe, immo in multis fallacem, periculi plenam, Ve-

Veritati, Ecclesiæ Anglicanæ, Patrúmque ferè omnium unanimi judicio multimodis repugnare.

Hoc autem, Primò, ex iis quæ in hoc Libro annotavimus, luce clarius illucescit: Est etenim ostensum (Primò) Patres universos quatuor primorum Seculorum ex Geneseos Capite sexto collegisse Angelos cum Mulieribus rem habuisse, nempe *Justinus* M. *Irenæus*, *Athenagoras*, *Clemens Alex.* *Tertullianus*, *Minutius*, *Cyprianus*, *Lactantius*, *Eusebius*, *Ambrosius*, *Epiphanius*, *Sulpitius Severus*, nemine, ante quintum Seculum, repugnante. (Secundò) Constat eosdem, nemine refragante, Literalem Legum Mosaicarum sensum contemptibilem, Deóque indignum existimâsse, adeóque has Leges tropicè & allegoricè fere continuò interpretatos esse, Divique *Pauli* hæc verba *Litera occidit, Spiritus autem vivificat* ad hanc rem perperam adaptâsse. (Tertiò) Deum ante vitulum conflatum Judæis præcepta Decalogi tantum observanda dedisse, ex Cap. quinto Deut. v. vicesimo secundo collegerunt; postea verò in pœnam Idololatriæ præcepta ceremonialia iis tradiidisse, ex his Ezekielis verbis, *præcepta eis dedi non bona*, Cap. 20. 25. pro re certâ exhibent. (Quartò) *Videbis Vitam tuam pendentem ante te, & non credes Vitæ tuæ*, de Christo in Cruce pendente coram incredulis Judæis perperam planè interpretantur *Irenæus*, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Novatianus*, *Lactantius*, *Athanasius*, *Augustinus*, *Ruffinus*. (Quintò) Patres omnes, Concilia multa, tam Generalia, quam *Provincialia*, omne Fœnoris genus, unanimi consensu, tanquam Scripturis sacris contrarium, damnâsse certissimum est. (Sextò) Patres omnes, ante Augustinum, Electionem esse ex prævisis meritis, id est, operibus, judicabant. (Septimò) Patres fere omnes Resurrectionis nostræ Fidem partim ex Fabulâ de

Phœ-

Phœnice adſtruunt, partim ex his Pſalmiſtæ verbis, *Juſtus florebit ὡς φοῖνιξ.* (Octavò) Patres omnes *Ante-Nicæni, Juſtinus, Irenæus, Clemens Alex. Septimius, Cyprianns, Origenes, Methodius, Conſtitutiones Apoſtolicæ, Euſebius, Lactantius*, hæc Solomonis verba, *Dominus ἔκτισε, creavit me in Principio viarum ſuarum*, Prov. 8. 22. De Chriſti Generatione divinâ ante Secula intellexerunt: cùm autem *Ariani* ex his verbis contendiſſent, Chriſtum eſſe Creaturam, de humanâ ejus Naturâ Patres *Poſt-Nicæni* ea eſſe intelligenda docuerunt, nimirum *Athanaſius* paſſim, Teſtéque *Petavio, Epiphanius, Hilarius, Baſilius, Gregorius*, uterque *Cyrillus, Cæſarienſis, Ambroſius, Auguſtinus*, plerique alij quos nunc perſcribere longum eſt. Utroſque autem à vero verborum ſenſu deviâſſe dicit *Petavius*. (Nonò) Magno conſenſu Patres omnes, & Interpretes, *Baſilius, Cyrillus Alex. Theodoretus, Procopius* Prophetiſſam, ad quam acceſſit *Eſaias*, & ex quâ Filium genuit, de Virgine *Mariâ*, aut de Spiritu Sancto eam obumbrante, interpretandam eſſe pronuntiant. (Decimò) Patres fere univerſi verba Eſaiæ cap. LIII. 8. *Generationem ejus quis enarrabit?* De Chriſti Generatione divinâ, vel de Partu ejus ex Virgine intellexerunt. (Undecimò) Verba *Hieremiæ*, quæ Septuaginta Interpretes ſic reddunt, ἐμβάλωμεν ξύλον εἰς τὸν ἄρτον αὐτοῦ, vulg. *Mittamus lignum in panem ejus*; id eſt, ex Patrum Sententiâ, Crucem in Corpus ejus, *iſte*, ſecundum Hieronymum in locum, *omnium eſt Eccleſiarum Conſenſus*, hoc tamen Patrum ſomnium & frivolum commentum meritò pronuntiat *Gatakerus*. (Duodecimò) Patres fere omnes, uno Hieronymo renitente, Parabolam Ezekielis de oſſibus aridis in promiſſionem de Corporum noſtrorum Reſurrectione converterunt. (Decimò tertiò) Chriſtum ad Inferna deſcendiſſe, ut eos, qui ibi in Carcere detenti eſſent,

eſſent, eriperet, omniúmque Sanctorum animas ante hunc Chriſti deſcenſum ibi detentas fuiſſe, Patres pleno conſenſu tradiderunt. Vide notas in Zach. IX. 11. (Decimò Quartò) Conſtans eſt Patrum & totius Eccleſiæ antiquæ Sententia, Eliam Thisbitem perſonaliter venturum eſſe ante Secundum Chriſti Adventum. (Decimò quintò) Non omnino Jurandum eſſe, ex Matth. quinto, v. viceſimo quinto, Patres omnes quinque primorum Seculorum docuerunt. (Decimò ſextò) *De Die illâ & Horâ nemo ſcit, neque Angeli, neque Filius*, Marc. XIII. 32. Vanæ ſunt Patrum omnium Interpretationes. (Decimò ſeptimò) Euchariſtiam ad Vitam fuiſſe Infantibus Baptizatis neceſſariam, Patres à tertiâ ad duodecimam Centuriam ex Joh. VI. v. 53. colligebant. (Decimò octavò) Patres *Ante-Nicæni Irenæus*, *Tertullianus*, *Novatianus*, *Origenes*, *Methodius*, *Euſebius*, diſertim aſſerebant Patrem Filio majorem fuiſſe juxta divinam ejus Naturam; juxta humanam tantùm, *Poſt-Nicænorum* quamplurimi. (Decimò nonò) Chriſtiani fere omnes à Sanguine & Suffocatis abſtinebant, ex Præcepto Apoſtolorum, Act. XV. 28. Et de rebus Idolis conſecratis comedere impium plane judicabant. (Viceſimò) Patres fere omnes ſanctos quoſcunque, ante ipſorum aditum in Cœlos, flammis quibuſdam purgandos eſſe, & Igne quodam purgatorio à Scoriis Peccati defæcandos, ſtatuerunt. Idque colligebant partim ex verbis Divi Pauli, *Salvabitur tamen quaſi per Ignem*, 1 Cor. III. 15. Partim ex verbis Pſalmitæ, Pſ. LXVI. 13. *Tranſivimus per Ignem & Aquam*; partim ex *flammeo Gladio* ante Paradiſum poſito. (Vigeſimò primò) Deum Patrem ſolum eſſe Deum ſummum, ſupra quem non eſt alius Deus, multi ex Patribus *Ante-Nicænis* docuerunt; aliud, juxta *Origenem*, τινὲς ἐν πολλοῖς τῶν πιστευόντων quidam tantum

in multitudine credentium ſentiebant. (Vigeſimò ſecundò) Patres ferè omnes, poſt ortam de Chriſti Deitate Controverſiam, verba hæc D. Pauli, *Tunc ſubjicietur Filius ei qui ſibi ſubjecit omnia*, non de Filij ipſius Perſonâ, ſed de Corpore ejus, quod eſt Eccleſia, intelligenda eſſe contendebant. (Vigeſimò tertiò) Patres omnes ab initio ſentiebant Mundi Finem, Diemque Judicij, ſuis temporibus appropinquâſſe, & in proximo fuiſſe. (Vigeſimò quartò) Patres Antiquiſſimi nec bonorum nec malorum Retributionem ante Diem Judicij expectabant. (Vigeſimò quintò) Infamis apud veteres pleroſque Digamia cenſebatur, iiſque, per Leges Eccleſiæ, Pœnitentia, per aliquod tempus, injuncta eſt. (Vigeſimò ſextò) Patres Antiquiſſimi, Canones Apoſtolorum, & *Concilia generalia*, & *provincialia*, omnes cujuſcunque Ordinis Clericos à ſecularibus Negotiis amovebant, eò quod, Paulo dicente, *nemo militans Deo ſecularibus Negotiis ſe implicat.* Pleniorem Patrum purioris Seculi Conſenſum de Senſu Scripturarum in ullo Articulo Fidei in dubium vocato, quàm in Inſtantiis jam allatis, fruſtra, ni fallor, quæſiveris.

Dicat nunc Vir eruditus, & Judicio pollens, utrùm hic Patrum Veſtigiis inſiſtere, atque in eorum interpretamentis acquieſcere tutum fuerit, & rationi conſonum! aut ſi hanc methodum, experientiâ duce, in multis fallacem, periculi plenam, Eccleſiæ Anglicanæ Doctrinæ, Praxiq;, ipſi denique Veritati contrariam non invenerit.

Nec hoc in animum induxiſſe hos Patrum Antiſtites exiſtimo, quod eorum verba præ ſe ferunt, nempe ſacras Scripturas interpretandas eſſe juxta Senſum quem Patres de iis ſpeciatim, verbiſque conceptis, exhibuerunt; quemque nos in hoc opere protulimus; ſed tantùm eas interpretan-

tandas esse juxta Doctrinam, quam existîmant apud primævos Patres obtinuisse; quod quidem non est Sensum Scripturæ ex Verbis Scripturæ accipere, sed Sensum Patrum Scripturis adferre; nec ex Christo, quid ipse senserit, ex Fidei Regulâ, quid ipsa docuerit, edisscere; sed ex Patribus quid Christus, quid Regula Fidei docuerit, judicare; adeòque nec Christum ipsum, nec Doctrinam in Scripturis traditam, pro Fidei Christianæ Normâ admittere; immo ab hoc Officio protinus amovere, & Patres in eorum locum subjicere. Cum enim Sensus Scripturæ non ab ipsis vocabulis, sed mente Authoris, colligendus sit, qui viam tutissimam Scripturarum Christíque Sensum assequendi hanc esse ducunt, quid Patres senserint inquirere, ij nec Christum, nec Canonem Scripturarum, sed Patres pro Fidei nostræ Doctoribus, Normâque Fidei obtrudunt.

Secundò, Hanc autem Sententiam Patrum ferè omnium unanimi judicio repugnare, partim ex Testimoniis Patrum jam adductis, partim ex Testimoniis adducendis, certo certius constabit.

Primò etenim, Qui dicunt S. Scripturas in rebus ad Salutem necessariis manifestas & perspicuas esse, (quod Patribus ferè omnibus commune est) eos novam hanc methodum S. Scripturas ex Patribus interpretandi supervacaneam judicâsse res ipsa indicat; in rebus enim *perspicuis*, quid opus est Interprete? Qui Fidem Ecclesiæ dignoscere cupientibus respondent, *Veram & piam in Dominum Fidem* (non ex Patrum Monumentis, sed) *ex sacris Scripturis omnibus manifestam esse*, immo ex eisdem adeò manifestam, ut quisquam ea quæ dicta sunt, *per solam Lectionem à seipso edisscere potuerit*; eósque qui *Interpretem exigebant*, aut S. Scripturis Obscuritatem imputabant, *meros*

prætextus omnia confundentes, *vanásque excusationes* prætendere docuerunt, eos hanc methodum planè ſuperfluam exiſtimâſſe perſpicuum eſt.

Secundò, Qui *ea omnia quæ in noſtrâ Poteſtate poſuit Deus, noſtræque Notitiæ ſubjecit, manifeſtè, & ſine ambiguitate, in Scripturis legi* profitentur, cæteráque *Deo reſervanda* eſſe pronuntiant: Qui *quæ obſcurè & ambiguè alicubi in S. Scripturis dicta eſſe videantur, ex aliis locis, quæ in confeſſo ſunt, elucidari contendunt*, nihilque ferè ex *obſcurioribus locis colligi poſſe, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur*; Qui *S. Scripturam ſeipſam interpretari* pronuntiant, ut *auditorem decipi non patiatur*, eumque *optimum earundem lectorem* exiſtimant; *qui dictorum Intelligentiam expectat ex dictis potius, quàm imponit, & retulerit magis quàm attulerit*; hos omnes de hoc Lirinenſis delirio nedum per ſomnium cogitâſſe neceſſe eſt.

Ad alia jam Teſtimonia progredior, adversus hanc novam methodum, non minus plena & perſpicua: Inter quæ primum locum meritò obtineat * *Optati* locus hic eximius, " Vos dicitis, " Licet; Nos dicimus, Non licet: Inter licet " veſtrum, & non licet noſtrum natant & re- " migant Animæ Populorum. Nemo vobis " credat, nemo nobis; omnes contentioſi homi- " nes ſumus, quærendi ſunt Judices. Si Chri- " ſtiani de utrâque Parte dari non poſſunt, " quia ſtudiis Veritas impeditur, de foris quæ- " rendus eſt Judex. Si Paganus non poteſt " Chriſtiana nôſſe ſecreta; Si Judæus inimicus " eſt Chriſtiani Baptiſmatis, ergo in terris de " hâc re nullum poterit reperiri judicium, de " Cælo quærendus eſt Judex. Sed ad quid pul- " ſamus ad Cælum, cum habeamus hìc in Evan- " gelio Teſtamentum? Quivis hominum ha- " bens numeroſos filios, quamdiu Pater præſens " eſt, ipſe imperat ſingulis, non eſt adhuc ne- " ceſſa-

* *L. 5. C. 3.*

" ceſſarium Teſtamentum. Sic & Chriſtus, " quamdiu præſens in terris fuit, (quamvis nec " modò deſit) pro tempore quidquid neceſſari- " um erat, *Apoſtolis* imperavit. Sed quomodo " terrenus pater, dum ſe in confinio mortis ſen- " ſerit, timens ne poſt mortem ſuam, ruptâ pace, " litigent fratres, adhibitis teſtibus voluntatem " ſuam de pectore morituro transfert in tabulas " diu duraturas; &, ſi fuerit inter fratres nata " contentio, non itur ad tumulum, ſed quæri- " tur Teſtamentum; & qui in tumulo quieſcit, " tacitus de tabulis loquitur vivus, cujus eſt Te- " ſtamentum: In Cælo eſt ergo voluntas ejus; " ſicut in Teſtamento, ſic in Evangelio requi- " ratur". Ubi obſervandum, Primò, Judicium penè totius Eccleſiæ pro Catholicis contra *Donatiſtas* invaluiſſe, adeóque juxta hanc methodum, ex Patrum Sententiâ, contentionem inter utroſque ortam definiri debuiſſe; maléque *Optatum* pronunciâſſe, in terris de hâc re nullum Judicium reperiri potuiſſe, nec Chriſtianos idoneos fuiſſe, qui de hâc re judicium ferrent.

Secundò, Dicendo, Ad quid pulſamus ad Cœlum, cùm habeamus hìc in Evangelio Teſtamentum, ad lites dividendas haud minus idoneum quàm hominum Teſtamentum in tabulas redactum; & declarando, ad hoc Teſtamentum reſpiciendo, controverſias inter *Catholicos* & *Donatiſtas* terminari poſſe, planè innuit hoc Chriſti Teſtamentum ſufficere ad controverſias inter Chriſtianos ortas decidendum; huícque Teſtamento, cùm lites inter Chriſtianos ortæ fuerint, non minùs ab iis, ad Chriſti voluntatem in Evangelio diſcernendam, recurrendum eſſe, quàm filiis litigantibus ad patris humani Teſtamentum.

Athanasius disertim asserit, "[a] Veritatis notitiam "manifestiùs ex S. Scripturis disci posse, quàm "ex aliorum (adeóque Patrum) sententiis, "[b] frustràque *Arianos* ad Synodum *Arimini* aut "*Seleuciæ* habitam, ad fidem inveniendam cu- "curriſse; eò quòd magis sufficiens esset divina "Scriptura in hunc finem, quàm omnes Synodi. "Quódque ij qui ad Synodos concurrunt, ut, "quid credere debeant, cognoscant, infideles "meritò dicantur". Denique, "[c] Multa, in- "quit, de hàc re dicere potuerim; sed quoniam "Divina Scriptura omnibus magis sufficiens est, "moneo eos qui de his rebus multa cognoscere "voluerint, in S. Scripturis versari". Illis au- tem in primis auscultandum esse, qui clariora veritatis indicia exhibent, & ynodis omnibus præferenda, & quibus mittendi sunt, qui de his rebus pleniùs cognoscere voluerint, res ipsa in- dicat.

†*Reg.Brev. q.* 230. *To.* 2. *p.* 703. *Basilius* docet, † "Rationabilem cultum ab eo "solo præstari, qui sequitur ea quæ Dei volun- "tati conveniunt, juxta Psalmistam dicentem, "*Lex tua est lucerna pedibus meis, & lux semitis* "*meis; & judicia tua sunt consiliariij mei.* [d] Om-

---

a Ἀκριβέστερα γὰρ ἐκ τῶν Γραφῶν μᾶλλον, ἢ ἐξ ἑτέρων ὧν τὰ τῆς ἀληθείας γνωρίσματα. To. 1. p. 282.

b Μάτην γὰρ σπουδάζουσι περιφαίζουσι διὰ πίστιν ἠξιωκέναι γενέσθαι τὰς Συνόδους, ἔστι μὲν γὰρ ἱκανωτέρα πάντων ἡ θεία Γραφή. De Synod Arim. de p. 873. &c. p. 87.

c Ἐπειδὴ δὲ ἡ θεία Γραφὴ πάντων ἐστὶν ἱκανωτέρα, τοῦτο χρὴ εἰν τοῖς βουλομένοις τὰ πολλὰ ἀεὶ τούτων μανθάνειν, συμβουλεύσας ἐντυγχάνειν τοῖς θείοις λογίοις. contra Arian. Orat. 1 p. 287.

d Τοσαύτη διαφωνία καὶ μάχη τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ γίνεται ἑκάστε τῆς μὲν τοῦ Κυρίε ἡμῶν διδασκαλίας ἀφισαμένης, λογισμοὶ δέ τινες καὶ ὄρος ἰδίως ἐκδικοῦντ' ἐξ αὐθεντίας, καὶ μᾶλλον ἄρχειν ἀπ' ἐναντίας τοῦ Κυρίε, ἢ ἄρχεσθαι ὑπὸ τοῦ Κυρίε βουλομένων. To. 2. p. 393.

"nemque

" némque diſſonantiam & pugnam in Eccleſiâ
" oriri contendit ex eo quòd, Chriſti doctrinam
" Chriſtiani deſerentes, ſibi ipſis regulas & ca-
" nones conſtituunt, & regere malint Chriſto
" repugnantes, quàm Chriſti regimini ſubjici :
" Atque hæc dicta eſſe agnoſcit διὰ τ πρὸς τὰς θεί-
" ας γραφὰς διαφωνίαν ὀφ πολλῶν, ob diſſenſum mul-
" torum à ſacris Scripturis, deflendam Epiſco-
" porum ipſorum in judicio diſcrepantiam, & à
" mandatis Domini deflectionem. Porrò, ſi,
" inquit, || Chriſtus ea tantùm docuit, de qui- || *Ibid. p.*
" bus à Patre mandatum accepiſſet ; ſi Spiritus 396.
" Sanctus nihil à ſeipſo loquutus fuerit ; quanto
" magis Chriſtianos oportet juxta unius Domi-
" ni Chriſti voluntatem loqui ? Quæ quidem à
" ſe dicta eſſe profitetur, ut Chriſtianos inducat
" recedere τ ὀφ ἀνθρωπίνων παραδόσεων παραπήσεως,
" ab humanarum Traditionum obſervantiâ, &
" juxta Evangelium Chriſti incedere". Qui verò in cauſas diſſidiorum in Eccleſiâ, & diſcordantium inter Chriſtianos Sententiarum, prolixiorem diſquiſitionem faciendo, ad Judicem in Cælis cum *Optato* ſæpe provocat, ad Patrum præcedentium placita autem non omnino ; qui ab humanarum Traditionum obſervantiâ ad Chriſti Evangelium nos remittit ; qui, Chriſti & Spiritûs Sancti exemplo, nos ex Scripturis tantùm ea quæ docemus proferre inſtruit ; qui Chriſtianos monet de iis, qui veritatem prætendunt ex Scripturarum charactere, judicium ferre ; qui denique, ob probandam Paſtorum ipſorum doctrinam, ad Scripturas Laicos remittit, &, ob D. Pauli mandatum, * *omnia probate*, &c. eoſdem rejicere vult ea omnia quæ à S. Scripturis, eorum judicio, diſſonant, is certè famoſam hanc *Lirinenſis* regulam ne flocci fecerit, neceſſe eſt. * *Moral. Reg. 28. To. 2. p.* 426.

Chryſoſtomus denique hìc copiâ tantùm nos onerat: Docet etenim (Primò) "† Divinorum "oraculorum intelligentiam non pati Chriſtia- "nos indigere ἑτέρᾳ πνὸς λογισμῷ aliorum quo- "rumcunque ratiociniis, utpote quæ ex ſeipſis "lucem nobis fœnerantur, omnemque veram "doctrinam animis noſtris ingerunt. (Secun- "dò) [a] Quòd ſicut, qui ſolis lumine carent, non "poſſunt rectis veſtigiis inſiſtere; ita ij, qui S. "Scripturæ radiis non illuminantur, errandi ne- "ceſſitati ſæpius ſubjiciuntur. (Tertiò) ‖ Quæ "fidem reſpiciunt, ea, inquit, ſunt cognitu fa- "cilia, καὶ ἡλίᾳ φανερώτερα & ſole clariora; Apo- "ſtolo dicente, *Omnes Dominum cognoſcent, à* "*maximo ad minimum.* (Quartò) [b] Hæreſes om- "nes diſcerni poſſe ab eo, qui ſenſus exercita- "tos habet, i. e. ab iis qui frequenter audiunt "S. Scripturas. Ut enim qui regulas nobis tra- "dunt, non exigunt nos de aliis multis menſuris "ſollicitos eſſe; ita de doctrinis ſanis & adulte- "ris ſe res habet. [c] Adeò ut, S. Scripturis atten- "dendo, non ſolum in fallacias non incidemus "ipſi, ſed alios à fraude conſervârimus. (Quin- "tò) * Quòd, quando Eccleſiæ navis fluctibus Hæ- "reſium agitatur in ſalo, manebunt non fluctu- "antes, qui pro nauclero habent τὴν γραφῶν ἀνά- "γνωσιν lectionem Scripturarum. (Sextò) [d] Quòd

† *To.* 1. *p.* 173.

‖ *In Rom. Hom.* 16. *p.* 210.

* *To.* 6. *Hom.* 18. *p.* 100.

---

a Οὕτως καὶ πρὸς τὴν ἀκρίβειαν τῆς θείων μὴ βλέποντες γραφῶν, πολλὰ ἀναπίζονται καὶ συνεχῶς ἁμαρτάνειν. Tom. 3. Hom. 1. in Rom. p. 2.

b Ἀπὸ τῆς συνεχοῦς ἀκροάσεως, ἀπὸ τῆς τῶν γραφῶν ἐμπειρίας. To. 4. Hom. 8. in Heb. p. 474.

c Εἰ γὰρ προσέχομεν ταῖς γραφαῖς, οὐ μόνον οὐκ ἂν πρόσπεσοιμεν τῇ ἀπάτῃ, ἀλλὰ καὶ ἑτέρους ἀπατωμένους ἀπηλλάξαμεν ἂν, καὶ τῆς κινδύνων ἐξείλκύσαμεν. Ibid.

d Πόθεν ὁ ψυχρολόγος ἐπῆλθε λιμός; οὐχὶ ἐκ τοῦ μὴ ἐρευνᾶν τὰς θείας γραφάς— ἐν αἷς διέγνως τὴν ὁδὸν τῆς ἀληθείας βαδίσωμεν — ὅπως μὴ πλανηθῶμεν καὶ πρόσφερώμεθα παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας. Tom. 7. p. 212, 213. Ho. 1.

"hinc

" hinc ea oritur fames quæ animum occidit, " quòd S. Scripturas, Chriſto jubente, non ſcru- " tamur. (Septimò) In S. Bibliis viam veritatis " quærendam eſſe, ut non circumferamur quoli- " bet vento doctrinæ, verſutiâ hominum qui nos " in errores inducere conantur. [e] Scriptura e- " nim in nullo deficit, nec aliquid prætercurrit " eorum quæ ſunt nobis utilia". Qui autem conſtanter aſſerit, eos qui animum Scripturis intendunt, aliorum operâ non egere ; eos verò errandi neceſſitati ſubjici, qui hâc luce carent ; ejúſque auxilio hæreſes omnes diſcerni poſſe & vitari ; S. Scripturas dogmatum veritatem ſole clariùs monſtrare, à fluctibus hæreſium, & verſutiis errores docentium nos tutos conſervare ; & denique in nullo deficere, eum certum eſt ineptam *Lirinenſis*, regulam ſuſque deque habuiſſe.

---

[e] "Οτι ὐδὲν ἔλειπεν, ὐδὲ περισσώπησε τῆ συμφερόντων ὑμῖν ἡ θεία γραφὴ, μηδὲν παραδραμεῖσα τῆ συμφερόντων. Ibid. p. 211.

Sectio Quinta.

PERGO denique ad Argumenta quibus Vir doctus Sententiam ſuam probare nititur, eaque multa precaria, falſa nonnulla, & experientiæ prorſus contraria continere, denique nullius planè roboris eſſe, facile eſt oſtendere.

Et (Primò) precariè dicit Vir doctus in puriſſimis Eccleſiæ ſeculis Baptiſmum Infantum conſtanter obtinuiſſe. Rem certè dubiam & incertam

tam esse, ex Johannis Gale literis ad invidiam doctis, constabit.

Secundò, Precarium est quod asserit Vir doctus, *Petrum Romæ, Johannem in Asiâ* potuisse ἐκ συγκαταβάσεως diversa tempora assignare, in quibus Paschatis festum à Christianis celebrandum esset, adeóque Traditionem *Apostolicam* ex utrâque parte verè prætendi potuisse; hoc enim si non noverint antiqui, Viro docto minus notum esse potuit; id si revera noverint dispensatione ab *Apostolis* factum fuisse, debuerunt, ad eorum exemplum, de hâc re tanquam adiaphorâ, & diversim, prout occasio se obtulerit, permissâ, de hoc festo sentire; quod tamen ab iis factum non esse acris eorum de hâc re contentio manifestò indicat, ut, in Sectione de factis, in quibus Antiquorum testimonio fides adhibenda sit, pleniùs disputabimus.

Tertiò, Experientiæ prorsus contrarium est, Patres antiquissimos magis idoneos fuisse Scripturarum Interpretes quàm Neotericos. Quem enim inter numerosos Interpretes Scripturarum invenies, qui ab Interpretamentis Patrum hìc allatis diversim non abiit? Atque id extra dubium me in hoc opere posuisse existimo. His adde, quòd in calce ejusdem operis causas non paucas assignavimus, quæ Patres ad hoc officium minùs idoneos meritò præstabant. Eum certè minùs idoneum esse Scripturarum Interprètem in confesso est, qui minùs ad *Christi* & *Apostolorum* mentem eorum verba explicat; quod quidem à Patribus primævis factum esse innumeris exemplis demonstravimus.

Quartò, Falsum est Patres, ex intelligentiâ Linguarum, Rituum, & Idiomatum Ætatis *Apostolicæ*, magis idoneos fuisse Scripturarum Interpretes. Constat etenim solis ex Circumcisione cre-

credentibus Episcopis, & Clericis hæc cognita esse potuisse, de quibus penè omnibus testatur * *Sulpitius*, quòd " Christum Deum sub Legis " observatione credebant, adeóque utile fuisse " Christianæ Fidei, & Domini ordinatione dis- " positum Judæos Hierosolymâ arceri, ut Legis " servitus à libertate Fidei atque Ecclesiæ tolle- " retur. Patres ex Gentibus ferè omnes in lin- guâ originali Veteris Testamenti planè hospites fuisse, & Septuaginta Interpretum versioni in multis subleſtæ mordicùs adhæsisse, & denique de Ritibus & Idiotismis Hebræorum inscios fuisse doctis notissimum est. Porrò, quid verbis opus est ? Experientiâ testante Neotericos ex Hebræorum Linguâ, Idiomate, Ritibusque, multa feliciter explicâsse, clarâque in luce posuisse, quæ post Patrum omnium conatus in suâ obscuritate antea latebant. Aliquid centesimâ ex parte esse præstitum à Viris *Apostolis* proximis, & χαρισμάτων donis locupletatis, ostendat Vir doctus.

Quartò, Vanè asserit Vir doctus, sensum Scripturæ, quem in quæstionem vocant Partes litigantes, idoneum non esse qui controversiam ortam dirimat ; hoc enim non tantùm Patrum ipsorum judicio falsum esse probavimus, sed etiam Experientiâ rem constare manifestum est. Quis enim nescit Viros contentioni deditos ea sæpius in dubium vocâsse, quæ in S. Scripturis perspicuè continentur ? Hoc denique hanc Viri docti methodum planè destruit ; est enim eadem de Patrûm Sententiis & traditionibus controversia, quæ de Sensu Scripturarum agitur.

Quintò, Puerile est illud *Lirinensis* Consectaneum, à Scripturis ad Ecclesiæ Patrúmve sententias provocandum esse, eò quòd aliter Scripturas *Novatianus*, aliter *Photinus*, aliter *Sabellius*, aliter *Donatus* exposuit; aliter *Arius*, *Eunomius*, *Macedonius* ; aliter *Apollinaris*, *Priscillianus* ; aliter

aliter *Jovianus*, *Pelagius*, *Cæleſtius*, aliter poſtremò *Neſtorius*.

Primò, An enim neſcit Vir in his rebus apprimè eruditus, *Optatum* docuiſſe controverſiam inter Catholicos & *Donatiſtas* ortam ex Scripturis eſſe definiendam, *Athanaſium* S. Scripturas omnibus *Synodis* magis idoneas exiſtimâſſe, ad fidem contra *Arianos* confirmandam; *Baſilium* in ſummo Sententiarum Divortio, quæ tempora ejus infeſta reddebant, & periculoſa, (inter quas *Arij*, *Eunomij*, *Macedonij*, Sententiæ eminebant,) ab hominum Traditionibus, ad Evangelium & Judicem in Cœlis revocâſſe, omnémque omnium diſcordias S. Scripturarum neglectui imputâſſe? Et demum *Chryſoſtomum* ſæpius ingeminando docuiſſe Hæreſes cujuſcunque generis ex S. Scripturis, ſine alterius cujuſque operâ, ſummâ cum facilitate, refelli potuiſſe; atque adeò hos omnes has Lirinenſis ineptias refutâſſe, exploſiſſe, reprobâſſe?

Secundò, Nec minùs Viro docto notum eſſe potuit *Hæreticorum* horum præcipuos ad Patrum conſenſum confugiſſe, & Traditionem pro ſuis placitis prætendiſſe. Juxta illud * *Origenis*, "Audi Hæreticos, quomodo Traditionem Apoſtolorum habere ſe dicant. *Photinianos* nimirum, five *Artemonis* Sectatores, affirmâſſe || Τὰς μὲ πρότερας ἅπασας, καὶ αὐτὰς τὰς Ἀποστόλους, παρειληφέναι, καὶ διδαχθέναι ταῦτα ἃ νῦν αὐτοὶ λέγουσι, καὶ τετηρῆσθαι τὴν ἀλήθειαν μέχρι τῶ Βίκτορος, Patres priores omnes, ipſoſque Apoſtolos, eadem quæ ipſi dixerunt, recepiſſe, & docuiſſe, & uſque ad Victoris P. tempora veritatem conſervâſſe. * *Ariminenſe Concilium* clamat, Fidem ſanam conſervamus ἣν ἐξ ἀρχῆς εἰλήφαμεν, καὶ τὴν πίστιν ἐκπάλαι διαμένουσαν *quam ab initio accepimus, & quæ olim obtinebat.* Nec minus Antiquitatis judicium ſibi vendicabant *Concilia Hæretica*, quàm ea quæ vocamus *Orthodoxa*. Spiritum San-

* *Ho. 2. in Ezek. p. 136. E.*

|| *Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 5. c. ult.*

* *Socrat. Hiſt. Eccl. l. 2. c. 37. p. 134, 136.*

Sanctum nec in S. Scripturis, nec in primævâ Antiquitate, directè Deum appellari contendebant Antiqui, clamant novi *Macedonij* Discipuli. *Pelagium*, & *Cæleſtium* quod attinet, audi * Whitakerum his verbis perorantem: " Quid cætera " ejuſmodi ſanè multa commemorem? Ex his " abundè conſtat Patres, ante *Pelagium* exortum, de Originali Peccato, &Libero Arbitrio, " in quibus duobus Articulis, illius potiſſimùm " Hæreſis verſata eſt, minùs accuratè ſæpius & " ſcripſiſſe, & ſenſiſſe, quàm tantos Eccleſiæ " Doctores oportuit". Et rurſus: " Quis neſcit quàm multa *Pelagius* pro Hæreſe ſuâ ex " Patribus citavit, qui ſeculis antiquioribus vixerunt"? Immò certiſſimum eſt eoſdem S. Scripturæ loca, à *Pelagio* ejuſque diſcipulis adducta, ad *Pelagianorum* ſenſum accommodâſſe, eáque, quibus *Auguſtinus* eorum Sententiam impugnabat, aliter interpretatos eſſe. Contra *Cyrilli* Anathemata & *Concilij Epheſini* placita τῶν ἁγίων Πατέρων Διδασκαλίαν, id eſt, *Sanctorum Patrum Doctrinam* objicit † *Theodoretus*, & Doctrinam *Cyrilli* περὶ Ὑποστάσεων Ἑνώσεως, *de Unione Hypoſtaticâ*, rem verbo antea inauditam, his verbis refellit, τὴν καθ' Ὑπόστασιν Ἕνωσιν παντάπασιν ἀγνοοῦμεν, ὡς ξένην, καὶ ἀλλόφυλον τῶν θείων γραφῶν, καὶ τὰς παύτας ἑρμηνευκότων τῶν Πατέρων, " *Hypoſtaticam* verò *Unionem* omnibus *modis ignoramus tanquàm peregrinam*, " *& alienam à Divinis Scripturis*, & *Patribus qui* " *eas interpretati ſunt*". Si igitur ex Patrum Sententiis Scripturæ interpretandæ eſſent, *Pelagij* Sententia de Peccato Originali &Libero Arbitrio obtinere debuit. Et *Cyrilli* novum inventum de Unione Hypoſtaticâ, *Lirinenſi* monico incaſſum renitente, explodendum eſſet.

* *De Peccato Orig. l. 2. c. 2.*

† *Tom. 4. p. 709.*

Quod denique Vir doctus Patres Catholicos primorum Seculorum unanimes fuiſſe aſſerit *in Doctrinâ Trinitatis*, & in Chriſti Divinitate aſſeren-

rendâ, illud cum grano ſalis accipiendum eſt: Patrem nempe, Filium Dei unigenitum, & Spiritum Sanctum; & Filium Deum eſſe agnoſcebant univerſi. Trinitatem ejuſdem ſubſtantiæ, æqualis honoris, & gloriæ, abſque ullâ diſcrepantiâ, aut inæqualitate, Chriſtúmve ὁ ὢν πᾶσι ἐπὶ πᾶσιν ὅλων Θεὸν, Deum ſuper omnia, ſupremúmve univerſi Deum, eos unanimi conſenſu agnoviſſe quiſquis docuerit, in eo contra doctiſſimorum Pontificiorum, Patrúmque ipſorum Sententiam, & contra perſpicuam veritatem ſentire illum, res ipſa loquitur. Inter Eccleſiæ Latinæ Doctores celeberrimos jure ſuo eminet * *Huetius*; cujus hæc ſunt verba. " Favorabilior erit pro Origenianis partibus præſcriptio, quæ, ex paribus, in eodem argumento, Patrum aliorum locutionibus peti poteſt; inter Chriſtianos quippe Doctores, qui ante *Nicænam* floruerunt Synodum, multi de Trinitatis Myſterio parum cautè locuti ſunt; Inſincera certè fuit *Tatiani*, & Tatiano vetuſtioris *Juſtini* de Trinitate Doctrina. In eandem venit criminationem *Pſeudo-Clemens*, venit & *Theophilus Antiochenus*; indigna verò & intoleranda protulerunt *Tertullianus* & *Lactantius*, *Clemens* quoque, *Dionyſius* & *Pierius Alexandrini*, alijque complures. Itaque cum *Origenem* tuetur *Bellarminus* hoc Argumento, quòd ſana & orthodoxa fuerit Præceptoris ipſius *Clementis*, Diſcipulorum *Dionyſij Alexandrini* & *Gregorij Thaumaturgi* de Myſterio S. Trinitatis opinio, credibile quippe eſſe quam à *Clemente* Doctrinam acceperat, eandem à ſe excultam Diſcipulis ſuis tradidiſſe, nihil profectò *Origenianæ* Cauſæ contrarium magis dicere potuit; nullius enim ex his tribus ſatis puri fuerunt & integri de Trinitate Senſus. Nam & Filij Subſtantiam à Paternâ ita ſecernit *Clemens*, ut inferiorem eam ſtatuat.

* *Origen. l. 2. q. 2da §. 10. p. 36.*

Dio-

" *Dionysius* verò *Alexandrinus* Filium Patris " ποίημα, eique dissimilem esse dixit, & ἀρῆκε φά- " νας ἥκιστα πρεπούσας τῷ Πνεύματι, *voces Spiritui parum* " *convenientes emisit*, inquit *Basilius* Epist. 41. à " quo castigatus quoque est *Gregorius Thauma-* " *turgus*, quòd Filium apertè creatum prædica- " verit. Constat denique ne *Basilij* quidem " temporibus, ac recentioribus etiam, Spiritûs " Sancti divinitatem apertè profiteri ausos esse " Catholicos, ne *Pneumatomachorum* petulantiam " experirentur.

* *Cotelerius*, Notis in hæc periculosa, absona, & juxta Patres post-Nicænos, blasphema verba Auctoris Recognitionum, de *Christo*, quòd *Verè Genitura, & Factura, & Creatura, competenter appelletur*, & de Spiritu Sancto, quòd *Filius, & Primo-genitus dici non potest, factus est enim per factum*; Hæc habet. " Ariani Γέννημα, Ποίημα, Κτίσμα con- " fundebant, eáque nomina tribuebant Filio, " quem & substantiam Genitam solebant appel- " lare. Atque observatum fuit à Viris doctis, " non abstinuisse, ante Arium, quosdam Anti- " quos Patres tribus postremis locutionibus, & " consimilibus aliis. * *L. 3. c. 8. & 10.*

† *Petavius*, quo nemo in Patribus legendis exercitatior, aut intelligendis acutior, fatetur " complures ex Christianâ vetustate, Nicænâ Sy- " nodo priores, plura principia rerum statuisse, " tum Naturâ & Subsantiâ, tum verâ Dignitate " distincta, ita ut majus unum esset & sublimius " altero, & longe ante Apollinarem Filium Spi- " ritu, Patrem Filio majorem statuisse. † *De Trin. l. 1. c. 11. §. 5.*

‖ *Basilij*, de *Dionysij Alexandrini*, Sententia hæc est; *Is primus* ἀσεβείας τὸ κατ' Ἀνόμοιον σπέρματα παρέσχε, *seminaria jecit impietatis Anomœanæ*; *nam non solùm diversitatem Personarum posuit*, ἀλλὰ καὶ τὴν οὐσίας διαφορὰν, καὶ δυνάμεων ἔκπτωσιν, καὶ δόξης παραλλαγὴν ἐπῆγε, *sed etiam Essentiæ Differentiam, Potentiarum Diminutionem, & Gloriæ Mutationem*, ἀναίρων τὸ ‖ *Ep. 41. p. 60.*

Ὁμο-

Ὁμοούσιον, *Consubstantialitatem Personarum tollens*; atque ita, contra *Sabellium* nimio impetu contendens, malum malo commutavit, & à sermonis rectitudine aberravit. Nec his contentus, * de Spiritu voces emisit ei minimè convenientes, τὸ προσκυνουμένης αὐτῆς θειότητος ἐξοικίζων, καὶ καταπτῶν τῇ κτιστῇ καὶ λειτουργῷ φύσει συναριθμῶν, adorandam ei Deitatem adimens, & creatæ & servili naturæ demissè adnumerans". Et de *Gregorij Thaumaturgi* scriptis verba faciens, † "Invenies ibi, inquit, πολλὰς φωνὰς ὡς νῦν πῖς Ἀρειανοῖς μεγίστην ἰσχὺν παρεχομένας, ὡς τὸ Κτίσμα, καὶ τὸ Ποίημα, καὶ εἴ τι τοιοῦτο, multas voces quæ Hæreticis hujus temporis maximum robur adhibent, utpote *Creatura*, & *Factura*, & si quid iis simile occurrit.

Ruffinus, in Apologiâ pro *Origenis* doctrinâ, dicit, "*Clementis* Recognitionibus in aliquibus ita *Eunomij* dogma inseri, ut nihil aliud quàm ipse *Eunomius* disputare credatur; *Clementem* quoque *Alexandrinum* Ecclesiæ Presbyterum scribit in libris suis, Dei Filium interdum dicere Creaturam; *Dionysium Alexandrinum* contra *Sabellium* disputantem in *Arianum* dogma delabi. Quibus hoc tantùm regerit ‖ *Hieronymus*; "Fieri, potest ut vel simpliciter erraverint, vel alio sensu scripserint, vel à librariis imperitis eorum paulatim scripta corrupta sint, vel certè antequam in *Alexandria*, tanquam *Dæmonium meridianum*, Arius nasceretur, innocenter quædam, & minùs cautè locuti sint, & quæ non possunt perversorum hominum calumniam declinare. Quæ vel invalida sunt, vel rem ipsam confitentur.

Photius Clementis R. Epistolam primam ad Corinthios sugillat, quasi de Deo Filio nec sublimiores, nec θεοπρεπεῖς φωνὰς, *Deo dignas voces exhibentem*. Contra *Clementis Alex. Hypotyposes* ple-

* *P.* 61.

† *Ep.* 61. *p.* 101.

‖ *Ap.* 2da *contr. Ruf. F.* 78. *M.* & 79. *B.*

* *Cod.* 126. *p.* 305.

no

no ore debacchatur, tanquam blaſphemiis ſexcentis in Chriſtum ſcatentes, eúmque in libris *Stromatum* ὐκ ὀρθῶς non rectè ſentire dicit. *Pierium* inducit multa adverſus ea quæ ſuo tempore obtinebant dicentem ἀρχαιοδόξως ἴσως, *veteri*, inquit, *fortáſſe more*, * & de Spiritu ſancto, ὑπερφαλῶς λίαν καὶ δυσσεβῶς δογματίζοντα, *valdè fallaciter & impiè loquentem, dum hunc inferioris eſſe Gloriæ quam Pater & Filius affirmat.* || Paulúmque & Stephanum blaſphemare, tribuendo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto μερικὰς οὐσίας, καὶ ἰδικὰς θεότητας, καὶ ἰδικὰς φύσεις, partiales Eſſentias, propriaſque Divinitates, & Naturas proprias, alibi dicit. † *Euſebium* denique *Pamphili*, υἱὸν βλασφημοῦντα, καὶ ἄλλα τινὰ τῆς Ἀρειανικῆς λύσσης βλαστήματα Filium blaſphemantem, & alia quædam Arianici furoris germina propagantem, criminatur.

* *Cod.* 119. *p.* 300.

|| *Cod.* 24. *p.* 16.

† *P.* 12.

Celſo Chriſtianis objicienti Deum ipſos non valdè venerari, ſed eum quem ejus Filium appellant plus nimio extollere, Reſpondet *Origenes*, Deum, Filij Patrem, valdè veneramur, & Filium ejus σφόδρα ηὐξημένον ὑπὸ τοῦ Παιδὸς γινώσκομεν, à Patre honore valdè auctum cognoſcimus, * ἔστω δ' πνὰς ὡς ἐν πλήθει τῶν πιστευόντων, καὶ δεχομένων διαφωνίαν διὰ τὴν ἀποπλείαν ἀπροσεξίαν τῶν πολλῶν τοῦ Σωτῆρα εἶναι τοῦ τοῦ παντὸς θεὸν· ἀλλ' ὅτι γε ἡμεῖς τοιοῦτον, οἱ πειθόμενοι αὐτῷ λέγοντι, ὁ Πατὴρ ὁ πέμψας με μείζων μού ἐστι. "Eſto autem, in multitudine credentium, quoſdam ab "aliis diſcrepantes, temerè affirmare Salvatorem "eſſe Deum ſuper omnia; nos autem eum talem eſſe non agnoſcimus, utpote qui credimus ei dicenti, *Pater, qui miſit me, major me "eſt*". Ubi diſertim aſſerit, (1.) Eos, qui Servatorem noſtrum Deum eſſe ſuper omnia agnoſcebant, non tantùm paucos fuiſſe, ſed temerè id feciſſe; quem tamen Patres omnes poſt-Nicæni eſſe Deum ſuper omnia non agnoſcebant modò, ſed ex verbis D. Pauli, Ro. 9. 5. proba-

* *L.* 8. *p.* 387.

bant. (2.) Alios istius Ætatis Christianos Filium talem non agnoscere pronuntiat. (3.) Rationem hujus abnegationis hanc assignat, quòd Christo Fidem habebant dicenti, *Pater, qui me misit, major me est*, quæ verba Patres ferè omnes *Ante-Nicæni* ad Christi superiorem Naturam referebant, ut notis in locum observavimus: atque hæc non esse dicta contra *Noeti* Discipulos, quos nec semel nominat, aut contra *Marcionistas*, sed ex constanti *Origenis* Sententiâ facilè constabit ex iisdem libris ex quibus *Bullus* doctissimus *Origenem* Catholicam Sententiam tenuisse prætendit. Agnoscimus ergo *Origenem* libro primo Christi Deitatem propugnare; eodem tamen in libro, Christum à Deo super omnia distinguit, dicendo, † credendum esse τῷ ὅλων θεῷ, καὶ τῷ διδάσκοντι τοῦτον μόνον δεῖν σέβειν, *Deo super omnia, & docenti eum solum colendum esse*, i. e. Christo. Et rursus, ‖ verba hæc *Psalmistæ, Sedes tua, Deus, in Seculum Seculi*, dicit, Πρὸς μὲν τὸν ὅλων θεὸν εἰρῆσθαι, *ad Deum universi dici*; verba autem sequentia, *unxit te Deus, Deus tuus, ad Christum.* Libro secundo, * eâdem Paginâ quam citat *Bullus*, Deus Verbum καὶ Θεοῦ τῶν ὅλων υἱὸς, *etiam Dei universorum Filius* appellatur; meritò ergo, inquit, Judæos accusamus, qui hunc non æstimant esse Deum, cui tot loca Prophetæ testantur, quòd sit magna virtus Dei, καθ' ὑπερβολὴν τῶν ὅλων Θεὸν καὶ Πατέρα, *ipsius rerum universarum Dei & Patris Testimonio.* Libro tertio, ter idem repetit; † *Admiramur*, inquit, *Jesum ducentem nos* πρὸς τὸν ὑπὲρ πάσαν Θεὸν, *ad Deum super omnia*; *cum precibus, quas ei adducimus tanquam Mediatori inter ingenitum* & omnem genitam Creaturam; & more Pontificis preces nostras perferenti, πρὸς τὸν ὑπὲρ πάσαν Θεὸν, *ad Deum super omnia.* Et rursus, ‖ *Non dicimus, Me audite, sed* τῷ Θεῷ τῶν ὅλων προσέχετε, καὶ διδασκάλῳ τῶν πρὸς αὐτὸν μαθητῶν Ἰησοῦ, *Attendite omnium Deo, & Jesu Discipulo-*

† P. 10.

‖ P. 43.

* P. 63.

† 131.

‖ P. 157.

pulorum ſuorum Doctori. Et denique,* *Nihil præſtantius eſſe poteſt quàm noſmet committere τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ, Deo ſuper omnia, & ſectari Doctrinam abducentem nos à Creaturis omnibus, & adducentem per Verbum vivum, quod eſt vivens Sapientia, & Filius Dei, τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ, Deo ſuper omnia.* Libro quarto manifeſtius Deum Verbum à Deo ſuper omnia diſtinguit. *Celſo* etenim objicienti quòd ſi Deus deſcenderet ad homines, ſolium ſuum deſereret, † Reſpondet, id minimè ſequi, ἐὰν ὁ Θεὸς τῶν ὅλων τῇ ἑαυτοῦ δυνάμει συγκαταβαίνει τῷ Ἰησοῦ, "Sive univerſorum Deus poteſtate ſuâ de-
"ſcendat cum Jeſu ad Vitam Hominum,
"ſive Dei Verbum, quod erat in Principio
"quod ipſum Deus eſt, ad nos veni-
"at". Ex Libro quinto profert locum Doctiſſimus *Bullus*, unde, inquit, manifeſtum eſt neutiquam cum Ario ſomniâſſe *Origenem*, Filium Dei inter τὰ δημιουργήματα cenſendum eſſe: quod quidem, (Arianorum Senſu) veriſſimum eſſe judicio; mirum tamen diligentem *Origenis* Lectorem non obſervâſſe eundem *Origenem*, eodem in Libro, non tantùm Filium πρωτότοκον πάσης κτίσεως *Creaturæ totius Primogenitum* appellâſſe, ſed etiam hæc verba adjeciſſe, ‖ eum nempe qui nuper homo factus, non ideo novum eſſe; πρεσβύτατον γὰρ αὐτὸν πάντων τῶν δημιουργημάτων ἴσασιν οἱ θεῖοι λόγοι, *divini etenim Sermones eum norunt factorum omnium antiquiſſimum.* Docet ibidem, * "Ora-
"tiones noſtras omnes dirigendas eſſe τῷ ὑπὲρ
"πᾶσι Θεῷ, *Deo ſuper omnia*, per ſummum no-
"ſtrum Pontificem; Verbo autem Deo pariter
"Preces offerendæ ſunt, modò intelligamus quo-
"modo hæc accipiantur, nempe Diſtinctione
"adhibitâ, τῶν περὶ προσευχῆς κυριολεξίας, καὶ καταχρηστικῶς, inter Preces propriè & catachreſtice ſic
"dictas; noſtra enim de Angelis eorúmque Of-

* P. 164.

† P. 164.

judicio

‖ P. 257.

* P. 233.

" ficiis Scientia οὐκ ἐάσει ἄλλῳ παῤῥεῖν εὐχαῖς ἢ τὸ " πρὸς πάντα διαρκεῖ τὸ ὅτι πᾶσι Θεῷ διὰ Σωτῆρος ἡμῶν " τοῦ Θεοῦ, *non ſinet nos audere alteri precari quàm* " *Deo ſuper omnia, ad omnia ſufficienti, per Salva-* " *torem noſtrum Filium Dei, Verbum, Sapientiam,* " *& Veritatem*". Ubi manifeſtò dicit, Preces noſtras propriè ſic dictas Deo tantùm ſuper omnia dirigendas eſſe, Deo Verbo abuſivè tantùm & καταχρηστικῶς. Idem in Libro de Precibus aſſerit, quòd ſi intellexerimus quid Oratio ſit, nec voces confundamus, οὐδενὶ τῶν γεννητῶν προσευκτέον ἐστιν, οὐδὲ τῷ Χριστῷ, ἀλλὰ μόνῳ τῷ Θεῷ τῶν ὅλων καὶ Πατρὶ, *nemini genitorum precandum eſſe, nedum Chriſto, ſed ſoli Deo omnium Patri, cui Salvator ipſe Preces fundit*; atque hæc ſæpius repetit, latéque proſequitur, p. 48, 49, 50, 51.

* P. 287. Ex Libro ſexto, hæc verba profert doctiſſimus *Epiſcopus*, οὔτε γὰρ ἀγέννητον, καὶ πάσης γεννητῆς φύσεως πρωτότοκον, καθ' ἀξίαν εἰδέναι τὸν δύναται, *nec enim Ingenitum, & genitæ omnis Naturæ Primogenitum, pro dignitate quiſpiam ſcire poteſt, ſicut Pater qui eum genuit.* Mirum autem eſt Virum perſpicaciſſimum non vidiſſe hìc legendum ἀϊδιγέννητον, i. e. interprete *Spencero*, ab æterno genitum; quid enim ſtultius quàm exiſtimare *Origenem* eâdem Sententiâ Filium ingenitum, & tamen à Patre genitum omníſque Creaturæ Primogenitum appellâſſe? His adde, quòd in his Libris Chriſtus μονογενὴς καὶ πρωτότοκος πάσης γενέσεως centies appellatur, ἀγέννητος autem alibi nuſquam. Porrò Deum Verbum à Deo ſuper omnia diſtinguit his verbis; "Quis po- " teſt humanam Naturam ſervare, & adducere τὸ " ὅτι πᾶσι Θεῷ, *Deo ſuper omnia*, niſi Deus Verbum? Immo Patrem Deum primum, Chriſtum ſecundum enuntiat his verbis, οὐδὲ θέμις ἦν πρῶτον Θεὸν χειρουργεῖν· ἐὰν δὲ κυρίως ἀκούσῃς τοῦ χειρουργεῖν, οὐδὲ ἦν δεύτερον, *fas non eſt primum Deum operari manibus, neque, ſi propriè intelligas* τὸ χειρουργεῖν, *ſecundum.* De-

nique docet Doctiſſimus *Bullus* Patres Nicænos in Symbolo anathematizâſſe eos qui dixerint, Filium eſſe ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως, ἢ οὐσίας, *ex aliâ Hypoſtaſi ſive Eſſentiâ, quàm Pater.* Hoc autem ab *Origene* diſertim dictum eſt his verbis, * ἕτερος κατ' οὐσίαν, καὶ ὑποκείμενος ἐστιν ὁ υἱὸς τῷ Πατρὶ, *alius ſecundum Eſſentiam eſt Filius à Patre,* † *eique ſubjectus, ut in aliis locis demonſtratur*; nempe Commentario in *Johannem*, ubi, cùm faſſus eſſet magnam eſſe Gloriam ſuperexcellentis Thronos, Virtutes, Dominationes, & omne Nomen quod nominatur, non ſolùm in hoc Seculo, ſed etiam in Futuro, hæc verba ſubjicit; "Sed qui tantis & talibus Na- "turis præſtat, οὐσίᾳ, καὶ πρεσβείᾳ, καὶ δυνάμει, καὶ θεότητι, ἔμψυχος γάρ ἐστι λόγος, καὶ σοφία, ὢν συγκεινεῖται κατ' οὐδὲν τῷ Πατρὶ, *Eſſentiâ, Dignitate, Poteſtate, & Divinitate* (eſt enim animatum Verbum, & Sapientia) *in nullo tamen* (horum) *comparandus eſt Patri.*

* Περὶ εὐχ. p. 48.
† P. 218.

Ad verba ex quibus *Origenes* probat Chriſtum non eſſe Deum ſuper omnia progredior, ut mentem ejus magis conſpicuam reddam: Et quo ſenſu intellexerit hæc Chriſti dicta, *Pater Me major eſt*, oſtendam. Commentario || in Johannem dicit, omnia quidem facta eſſe διὰ λόγου *per Verbum, ſed non* ὑπὸ λόγου *à Verbo*, ἀλλὰ ὑπὸ κρείττονος, καὶ μείζονος παρὰ τὸν λόγον· πόσῳ γὰρ ἂν ἄλλος ἄλλου τυγχάνῃ ἢ ὁ Πατὴρ; ſed à Patre Verbo excellentiori & majori: ubi manifeſtò Patrem efficientiâ majorem Verbo conſtituit. Atque idem de Patris Bonitate *Origenem* ſenſiſſe ex his verbis conſtat; πλείων ἡ ὑπερoχὴ πρὸς τὰ ὑποδεέστερα ἀγαθὰ ἐν τῷ Σωτῆρι, * *major eſt Servatoris excellentia ſuper inferiora bona, in quantum eſt Imago Bonitatis ipſius Dei,* ἣν ὑπερoχὴ Θεοῦ ὅσον ἀγαθὸς πρὸς τὸν εἰπόντα Σωτῆρα, ὁ Πατὴρ ὁ πέμψας μὲ μείζων μού ἐστιν, *quam Excellentia Dei qui bonus eſt, comparata ad Salvatorem, dicentem, Pater qui me miſit, major me eſt.* Denique, quod ad hunc lo-

|| P. 56.

* Com. in Matth. p. 377.

cum attinet, † *Hieronymus* hoc *Origenis* decretum recitat ex Libro quarto περὶ ἀρχῶν, " Curiosus Le-
" ctor inquirat, utrùm à seipso cognoscatur Pa-
" ter, quomodo cognoscitur à Filio; scienſque
" illud quod dictum est, *Pater, qui me misit, ma-*
" *jor me est*, in omnibus verum esse contendet,
" ut dicat, & in Cognitione Filio Patrem esse
" majorem, dum perfectius, & puriùs à semet ip-
" so cognoscitur, quàm à Filio.

† *Epist. 59. ad Avitum. §. 4.*

Dissertationi huic de *Origene* finem imponere fas non est, sine hâc Observatione, quòd * ipse olim in summo honore habitus, plausuque totius Mundi receptus fuerit, quódque, Præfatione in Librum nominum *Hebraicorum*, imitari se dicit *Hieronymus* ex parte *Origenem, quem post Apostolos Ecclesiarum Magistrum nemo, nisi imperitus, negat.* Et denique Libro secundo ‖ Commentariorum in *Micheam*, *Origenem*, inquit, *cunctis prudentibus placere non dubito.* Si * *Socratis* Testimonio sit fides adhibenda, *Gregorij Nazianzeni* & *Basilij* temporibus μέγα κλέος τὸ Ὠριγένους καθ' ὅλης τότε τῆς οἰκουμένης ἐφήπλωτο, *ingenti tunc gloriâ Origenes celebris fuit per orbem universum.* † *Eusebius* eundem dicit *magnâ gloriâ floruisse*, καὶ παρὰ τοῖς πανταχῆ πᾶσιν ἀνθρώποις κλέος ἀρετῆς καὶ σοφίας οὐ σμικρὸν κτησάμενον, *& apud cunctos ubique mortales, Virtutis & Sapientiæ gratia magnum nomen consecutum esse.* Et ab ipso *Demetrio* διὰ τὸ γνήσιον ἀπὸ τῆς πίστεως *ob Sinceritatem Fidei suæ laudatum fuisse. Photius* ‖ agnoscit Authorem Librorum pro *Origene*, pro eo καὶ τῆς αὐτοῦ δογμάτων, hos testes laudare Dionysium Alexandrinum, Demetrium quoque & Clementem, καὶ ἑτέρους πλείους, & alios plurimos. Et præter * *Eusebium*, inquit, καὶ ἄλλοι δὲ πλεῖστοι καθ' ἑκεῖνο καιρὸν καὶ ἀξιολογώτατοι ἀπολογίας ὑπὲρ αὐτοῦ συνετάξαντο, alij plurimi Viri digniſſimi, eo ipso tempore, Apologias pro eo composuerunt. Fieri autem vix potest, ut Fides eadem ubique obtineret

* *Verbo Origenes.*

‖ *Præfat.*

* *Hist. l. 4. c. 26.*

† *H. Eccl. l. 6. c. 8. p. 209.*

‖ *Cod. 117. p. 291.*

* *Cod. 118. p. 297.*

Ætate

Ætate *Origenis* (in quâ Eccleſiæ totius plauſu receptus, & ob integritatem Fidei, & Sapientiam, per Orbem univerſum celebris evaſit,) quæ Seculis ſequentibus prævaluit, in quibus idem *Origenes* tanquam *Arianæ Factionis ſignifer* damnatus fuerit, ejuſque ſcripta, utpote Hæreticorum placitis ſcatentia, *Hydrámque omnium Hæreſium* continentia, cum ſummo faſtidio exploſa eſſent.

De Spiritu Sancto certior adhuc & evidentior eſt Patrum Antiquorum à *Synodi Conſtantinopolitanæ* decretis diſcrepantia, ut partim, ex Teſtimoniis de *Pſeudo-Clemente*, *Dionyſio Alexandrino*, & *Pierio*, jam allatis conſtat. Ipſe * *Baſilius* agnoſcit Quæſtionem de Spiritu Sancto fuiſſe ζήτημα σωπηθὲν τοῖς πάλαι *Quæſtionem ab Antiquis ſilentio prætermiſſam*, adeóque non ex iis, ſed ex Sententiâ *S. Scripturæ* explicandam, eóſque qui Divinitatem ejus agnoſcebant, διαβάλλειν ὡς καινοτομοῦντας περὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, *damnari* † *tanquam nova de Spiritu Sancto Dogmata inducentes.* Et denique, *Quoniam*, inquit, πολλὰ στόματα ἀνοίγεται κατὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, καὶ πολλαὶ γλῶσσαι ἠκονήνλωνται εἰς βλασφημίαν, || *multorum ora aperiuntur contra Spiritum Sanctum*, & *Linguæ multorum acuuntur in Blaſphemiam contra eum*, *conſultum eſſe duco eos ad Communionem nobiſcum admittere, qui Fidem Nicænam confitentur*, καὶ τὸ μὴ δεῖν λέγειν κτίσμα τὸ ἅγιον τὸ πνεῦμα, & *agnoſcunt Spiritum Sanctum* non deber einter Creaturas numerari. * *Hieronymus* dicit, *Origenem* ſtatuiſſe Filium Dei non natum eſſe ſed factum. † *Juſtinianus* Imp. aſſerit eundem docuiſſe, ὅτι ὁ υἱὸς, καὶ ἅγιον πνεῦμα κτίσματά εἰσι, *quod Filius & Spiritus Sanctus Creaturæ eſſent.* || *Photius* ſcribit eum docuiſſe, lib. primo de Principiis, τὸν μὲν υἱὸν ὑπὸ τοῦ Πατρὸς γεγονέναι, τὸ δὲ πνεῦμα ὑπὸ τοῦ υἱοῦ, *Filium à Patre, & Spiritum Sanctum à Filio factum fuiſſe*: Et * *Theognoſtum* de Spiritu Sancto deliraſſe, ſicut *Origenes*. † *Hieronymo* teſte, "Multi

* *Ep.* 387. *p.* 381.

† *Ep.* 73.

|| *Ep.* 203. *p.* 222, 223.

* *Ep. ad Avitum*, † *Epiſt. ad Minam.* || *Cod.* 8.

* *Cod.* 105. *p.* 218. † *In Epiſt. ad Galat. c.* 4. *F.* 78.

" per imperitiam Scripturarum (quod & *Firmi-*
" *anus* in octavo ad *Demetrianum* Epistolarum
" Libro refert) asserunt, Spiritum Sanctum sæ-
" pe Patrem, sæpe Filium appellari; & cùm
" perspicuè in Trinitate credimus, tertiam Per-
" sonam auferentes, non Substantiam ejus vo-
* *To. 2. F.* " lunt esse sed nomen". * Idemque clariùs di-
69. c. cit, Epistolâ ad Pammachium & Oceanum,
his verbis. *Lactantius*, in Libris suis, & maxi-
mè in Epistolâ ad Demetrianum, Spiritûs Sancti
negat Substantiam, &, errore Judaico, dicit eum
vel ad Patrem referri, vel ad Filium. Denique
Eusebius hæc habet, " Spiritus qui est Paracle-
" tus, ὅτε Θεὸς, ὅτε Υἱὸς, ἓν ὃ πάντ' διὰ τοῦ υἱοῦ γινομένων
† *Eccl.* " συγχάνει, †nec Deus, nec Filius est, unum autem eorum
Dogm. l. 3. " quæ per Filium facta sunt; omnia enim per ipsum
cap. 6. " facta sunt, & sine eo factum est nihil. Atque hæc,
" inquit, sunt Mysteria à Sanctâ & Catholicâ Eccle-
" siâ tradita.

Infinitum pene esset ea omnia proferre quæ hanc rem respiciunt. Duobus igitur, quæ huic Sententiæ confirmandæ inserviunt, contentus ero.

Argumentum primum duco ex Symbolis antiquis in Baptismo traditis, & ante *Concilium Nicænum*, *Constantinopolitanum*, eorúmve Symbola, pro integrâ Fidei Regulâ, solâque Veritate ne-
‖ *L. 1. c. 2.* cessariâ receptis. ‖ *Irenæus* Ecclesiæ Catholicæ Symbolum his Verbis exhibet; " Credo εἰς ἕνα
" Θεὸν Πατέρα, in unum Deum Patrem Omni-
" potentem, qui fecit Cœlum, & Terram, &
" Mare, & omnia quæ in eo sunt, & εἰς ἕνα Χριστὸν
" Ἰησοῦν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, in unum Jesum Christum,
" Filium Dei incarnatum pro nostrâ Salute, &
" εἰς πνεῦμα ἅγιον, in Spiritum Sanctum qui per
" Prophetas prædicavit, οἰκονομίας καὶ τὰς ἐλεύσεις
" Dispensationes & Adventus, & eam quæ est
" ex Virgine Generationem, & Passionem, &
" Resurrectionem à Mortuis, & in Carne, in

" Cœ-

" Cœlos Aſcenſionem dilecti Jeſu Chriſti Do-
" mini noſtri, & de Cœlis in Gloriâ Patris Ad-
" ventum ejus ad recapitulandum omnia, & ad
" reſuſcitandum Carnem omnem totius humani
" Generis, ut Chriſto Jeſu τῷ Κυρίῳ ἡμῶν καὶ Θεῷ,
" Domino noſtro & Deo, & Salvatori, & Regi
" ſecundum beneplacitum Patris inviſibilis, om-
" ne Genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, &
" infernorum, & omnis Lingua confiteatur ei,
" & judicium juſtum in omnes faciat; ſpiritualia
" quidem nequitiæ, & Angelos tranſgreſſores,
" & apoſtatas factos, & impios, & injuſtos, &
" iniquos, & blaſphemos Homines in æternum
" Ignem mittet; juſtis autem, & ſanctis, & præ-
" cepta ejus ſervantibus, & in Dilectione ejus
" perſeverantibus, quibuſdam quidem ab initio,
" quibuſdam autem ex Pœnitentiâ Vitam conce-
" dens, incorruptionem dabit, & Gloriam æ-
" ternam conferet. Ubi notandum,

Primò, * *Irenæum* verbis conceptis aſſerere τὴν ἐκκλησίαν καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης ἕως περάτων τῆς γῆς διεσπαρμένην παρὰ τῶν Ἀποστόλων καὶ τῶν ἐκείνων μαθητῶν παραλαβεῖν, " Eccleſiam per univerſum Orbem " uſque ad Fines Terræ diſperſam ab Apoſtolis " & eorum Diſcipulis hanc Fidem acce- " piſſe. * *Ibid. & cap. 4.*

Secundò, Docet, " † Eccleſiam per univer- " ſum Mundum diſperſam hanc Fidem diligen- " ter cuſtodire, quaſi unam domum inhabitaret, " καὶ ὁμοίως πιστεύειν ταύτης ὡς μίαν ψυχὴν καὶ τὴν αὐτὴν ἔχουσαν καρδίαν, καὶ συμφώνως ταῦτα κηρύσσειν καὶ διδάσκειν, καὶ παραδιδόναι, ὡς ἓν στόμα κεκτημένην, & ſimiliter cre- " dit iis quaſi unam Animam habens, & unum " Cor, & conſonanter hæc prædicat, docet, ac " tradit, quaſi unum os poſſidens, οὔτε ὁ τῶν δυνατῶν ἐν λόγῳ τῶν ἐν ἐκκλησίαις προεστώτων, neque is, " inter Eccleſiæ præpoſitos, qui valdè potens eſt " in Sermone, alia ab his dicet, (nemo enim † *Cap.* 3.

ſuper

" ſuper Magiſtrum eſt) ἐλλ' ὁ ἀδύνατος ἐν τῷ λόγῳ τῆς παραδόσεως, nec Sermone infirmus diminorabit " Traditionem; cùm enim una atque eadem " Fides, neque is qui multum de eâ dicere poteſt, Fidem auget, neque is qui parum, ab " eâ diminuit.

* *L. 3. c. 3, 4. p. 200.* Tertiò, " * Traditionem hanc, quæ eſt ab Apoſtolis per Succeſſiones Presbyterorum & " Epiſcoporum, in Eccleſiis cuſtoditam eſſe ad

† *Ibid. p. 204. l. 1. c. 1. p. 44.* " ſua tempora dicit, & † *Polycarpum*, μίαν καὶ μόνην ταύτην ἀλήθειαν, unam & ſolam hanc Veritatem ab Apoſtolis recepiſſe & Eccleſiæ tradidiſſe: Eámque aſſerit eſſe βεβαίαν τὴν ἀπὸ τῆς ἐκκλεσίας κηρυσσομένην ἀλήθειαν, firmam, quæ ab Eccleſia prædicatur, Veritatem, & τὸν κανόνα τῆς ἀληθείας ἀκλινῆ ὃν διὰ τοῦ βαπτίσματος εἴληφε, Canonem Veritatis indeclinabilem quem per Baptiſmum accepit.

‖ *De Virginibus veland. c. 1. de præſcript. c. 13.* Juxta ‖ *Tertullianum*, Regula quidem Fidei una omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis, " Credendi ſcilicet in Unicum Deum Omnipotentem, Mundi Conditorem, qui univerſa de nihilo produxerit per Verbum ſuum de Cœlo antea demiſſum, & Filium ejus Jeſum Chriſtum, natum ex Virgine Mariâ, crucifixum ſub Pontio Pilato, tertiâ Die reſuſcitatum à Mortuis, receptum in Cœlis, ſedentem nunc ad dexteram Patris, mittentem vim vicariam Spiritûs Sancti, venturum judicare vivos & mortuos, ad ſumendum ſanctos in Vitæ æternæ & promiſſorum Cœleſtium Fructum, & ad profanos adjudicandos Igni perpetuo, factâ utriuſque Partis Reſuſcitatione cum Carnis

* *Cap. 14.* Reſurrectione". * " *In hac*, inquit, *Regulâ à Chriſto inſtitutâ Fides poſita eſt; adverſus Regulam nihil ſcire, omnia ſcire eſt; alia ignorare melius eſt, ne quod non debeas noris, quia quod debeas, noſti*". His adde *Symbolum Apoſtolicum* om-

omnibus notum. Quod igitur recitare non est necessarium: id solum observatu dignum existimo, quod, * juxta Ecclesiæ Anglicanæ Sententiam, omnes Articulos Fidei Christianæ contineat. Ex hisce autem *Symbolis* manifestum esse judico, tribus primævis Seculis nihil pro Fidei Articulo creditu necessario agnitum fuisse, aut Christianis ad Baptismum accedentibus propositum, præter ea quæ in his Symbolis continebantur.

* *Catech. Resp. ad Quæst. tertiam.*

Cui enim tanta Supinitas obrepsit in Animum, ut Fidei Normam unicam, solam irreformabilem, edere volens, id non profiteretur, sed reticeret, quod ipsemet necessariò profitendum esse crederet? Si ergo credidissent Christi *Apostoli* & eorum Discipuli, si *Irenæus*, *Tertullianus*, Ecclesiæ omnes, ad quas provocant, existimâssent ea omnia ad Salutem necessaria fuisse quæ Patres *Nicæni*, ac *Constantinopolitani* suis Symbolis inseruerunt, cur non dixissent cum iis Filium esse γεννηθέντα ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς, *genitum ex Substantia Patris*, eique adeò ὁμοούσιον, sive *Consubstantialem*? Si idem de Spiritu Sancto cum Patribus *Constantinopolitanis* concepissent, cur cum iisdem eum non appellâssent πνεῦμα σὺν Πατρὶ καὶ υἱῷ συμπροσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον, † *Spiritum unà cum Patre & Filio colendum & glorificandum*? Cur non cum iis docuissent nos in Nomen Patris, Filij, & Spiritûs, τριάδος ἑνὸς καὶ δυνάμεως καὶ οὐσίας μιᾶς unius Divinitatis, Potentiæ, & Essentiæ, credere? Si porrò sensissent eam esse Catholicam Fidem, sine quâ nemo salvari, nemo Christianus esse potuit, quam *Athanasij* quod appellant Symbolum nobis suggerit, cur illis minus quàm *Athanasio* ementito sive Animi, sive Ingenij fuisset idem Symbolum concinnare, cur eandem Veritatem non modò non asseruissent, sed tam Fœdo silentio prodidissent? Cur denique Fidem in tot necessariis deficientem proposuissent tanquam integram Ecclesiarum omni-

† *Theodoret. H. Eccl. l. 5. c. 9.*

omnium Christianarum Fidem, *solamque & unicam Veritatem*, cui nec sapientissimus *Episcoporum* aliquid adjicere potuit? Cur hanc Regulam *irreformabilem* pronuntiassent, *quam qui noverit, omne illud quod debeat, novit*; & *quam scire, omnia scire esset*? Aliam omnino Patrum *Nicæni* & *Constantinopolitani Concilij* Sententiam fuisse res ipsa loquitur; hi enim Regulam hanc *irreformabilem*, nec *exponendam* juxta *Tertullianum*, nec *emendandam* reformârunt, emendârunt, eique, veluti in multis necessariis deficienti, haud pauca adjecerunt, adsuendo ea quæ *Irenæi* Ætate nec valdè potens in Sermone potuit adjicere, eúmque qui hæc omnia noverit, credideritve, nec omnia scitu nôsse, nec creditu necessaria credidisse docuerunt.

Secundò, Patres *Ante-Nicænos* aliter de Christi, & Spiritûs Sancti Divinitate sensisse, quàm Synodi *Nicænæ* & *Constantinopolitanæ* Patres statuerunt, ex iis ipsis Capitibus demonstrari potest, ex quibus * *Petavius*, cum aliis, *Eusebij Cæsariensis* Doctrinæ Hæreseos labem impingit, & ex iisdem Principiis ex quibus contenderunt Patres *Post-Nicæni Origenem Arianæ* Sententiæ præluisse. Et,

* *De Trin.* l. 1. c. 11.

Primò, *Eusebio* id imputat *Petavius*, quòd Christum, δευτέραν οὐσίαν, Secundam Subsstantiam μετὰ τὴν ἀναρχον, καὶ ἀγέννητον Θεοῦ τῶν ὅλων οὐσίαν, *post ingenitam, & sine Principio existentem universorum Dei Essentiam*, appellaverit: Quod quidem ab eo factum est (Demonst. evang. l. 7. c. 12.) ubi duas rerum Causas, totidemque substantias constituit. Idemque *Origeni* objicit † *Epiphanius* his verbis: "Multis in locis εὑρομὲν αὐτὸν τὸν μονογενῆ Θεὸν "ἀπαλλοτριοῦντα τῆς Πατρὸς θεότητός τε καὶ οὐσίας, ὁμοῦ τε "καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, invenimus eum unigenitum Deum segregantem à Patris Divinitate & "Substantiâ, simul verò & Spiritum Sanctum", Lo-

† *Hær.* 64. c. 8.

Loca in quibus *Origenes* hoc apertè asserit, produximus.

De * *Gregorio Thaumaturgo* testatur *Basilius*, eum non tantùm ἑτερότητα τῆς ὑποστάσεως, ἀλλὰ τὴν οὐσίας διαφορὰν πάνυ, *Personarum*, *sed etiam Essentiæ Diversitatem posuisse*. *Antiochenus* ille Conventus in *Encæniis* celebratus in Expositione Fidei Ecclesiasticæ hæc habet; "Manifesta utique "Patris verè Patris (Appellatio) certáque Filij "verè Filij, notáque Spiritûs Sancti verè Spi"ritûs Sancti"; Hísque nominibus non simpliciter, neque otiosis propositis, sed significantibus diligenter propriam utriusque nominatorum Substantiam &Ordinem &Gloriam, ὡς ἐπὶ τῇ μὲν ὑποστάσει πλείω, τῇ δὲ συμφωνίᾳ ἕν, interprete † *Hilario*, *ut sint quidem per Substantiam tria*, *per consonantiam verò unum*. *Marcello* objicienti || *Eusebium Nicomediensem* ἕτερον Θεὸν τὸν λόγον ὀνομάσαι, οὐσίᾳ τε καὶ δυνάμει διεζῶντα τοῦ Πατρός, *alium Deum Verbum à Patre nominâsse*, *Essentiâ & Dignitate differentem* respondet *Cæsariensis*, verba ejus hæc esse, ὡδὶ πως δὲ ἡ εἰκὼν καὶ τὸ οὗ ἐστὶν ἡ εἰκὼν ταὐτὸ ἐπινοεῖσθαι, ἀλλὰ δύο μὲν οὐσίαι καὶ δύο πράγματα, καὶ δύο "δυνάμεις, nunquam Imago, & id cujus est Im"ago, unum idemque concipitur, sed Essenti"æ sunt duæ, Res duæ, Potestates duæ; incu"sátque *Marcellum* quòd hæc se rectè reprehen"disse putaverit". Atque hinc constat *Petavium* verè dixisse, "Non Apollinarem modò, sed "plerosque veterum ita docuisse. De Trinit. "l. 1. c. 11. §. 6. imo *antiquum illud obtinere*, "quod complures ex Christianâ Vetustate, *Ni"cænâ* priores Synodo, secuti sunt, &c.

Secundò, *Eusebium* castigat *Petavius*, eo quòd Filium à Patre genitum esse pronuntiavit * antequam facta omnia moliretur, dixeritque ante Filium extitisse Patrem, πᾶς δὲ τὶς ἂν ὁμολογήσειεν, quilibet confiteretur. † *Tatianus* pariter dicit "Dominum omnium, Mundo nondum existen-

"te,

* *Ep.* 41. *p.* 61.

† *De Synod. p.* 368.

|| *Contr. Marcell. l.* 1. *c.* 4.

* *Demonst. Ev. l.* 5. *p.* 215.

† *Ep.* 145.

" te, ſolum fuiſſe ; Verbum autem quando vo-
‖ *P.* 100. " luit ab eo profluxiſſe ". ‖ *Theophilus* hunc λό-
γον ſemper fuiſſe ἐνδιάθετον ἐν καρδίᾳ Θεοῦ *inſitum in Corde Dei, utpote qui Mens, & Prudentia ejus foret; cùm verò Mundum condere inſtituiſſet,* τοῦτον τὸν λόγον ἐγέννησε προφορικὸν πάσης κτίσεως, *hunc Sermonem genuit extra ſe prolatum, primo-genitum totius Creationis.* Hæc, inquit, *nos docent S. Literæ, & omnes Spiritu Sancto afflati.* * *Athenagoras* eum dicit, πρῶτον γέννημα εἶναι τοῦ Πατρὸς, *primam eſſe Patris progeniem*, quod probat ex his Solomonis verbis, ὁ κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ εἰς ἔργα αὐτοῦ, *Dominus creavit me initium viarum ejus ad opera ſua.* † *Tertullianus*, inter multa alia, hæc dicit : " Tunc igitur
" ipſe Sermo ſpeciem & ornatum ſuum ſumit
" Sonum, & Vocem, cum dixit Deus, *Fiat lux*
" hæc eſt Nativitas perfecta Sermonis. ‖ *Lactantius* pariter, " Deus, inquit, Machinator
" Conſtitutórque rerum, antequam præclarum
" hoc opus Mundi adoriretur, ſanctum, incor-
" ruptibilem Spiritum genuit, quem Filium
" nuncuparet ". Ex quibus conſtat * *Huetium* verè dixiſſe " *Tertullianum, aliósque plures ex antiquiſſimis Doctoribus, & Nicænâ Synodo anteriori-*
" *bus, Origenis impietatem dicam, an imperitiam*
" *vel æquâſſe vel ſuperâſſe. Juſtinus, Athenagoras*
" *Theophilus Antiochenus, Tatianus, Tertullianus*
" & *Lactantius* Deum dixerunt, cùm Mundi
" Creationem meditaretur, Verbum ſuum pro-
" tuliſſe, quo adminiſtro in rerum molitione
" uteretur.

Tertiò, *Petavius Euſebium* hæreſeos reum pe-
ragit, quòd Filium à Patre ἕτερον Θεὸν nuncupat
Patrem verò κρεῖττονα καὶ μείζονα Θεὸν Deum majorem
& præſtantiorem † dicit ; etenim de Filio à Jo-
hanne dictum fuiſſe, *Mundus eum non cognovit*
" Deum autem ſuper omnia naturali ratione

* *P.* 10.

† *Contra Prax. c.* 4.

‖ *L.* 4. *c.* 6. *p.* 362.

* *Origen. p.* 45.

† *Li. de dog. Eccl. c.* 20. *p.* 84.

Mu

" Mundum cognoviſſe "; unde infert quòd ἕτερος ἦν ἑτος ὃν ὁ κόσμος ἐκ ἔγνω, " alius erat ipſe " quem Mundus non novit, non autem Deus " ſuper omnia, & rurſus, ἕτερος παρὰ τὸ ὑπερέπι θεῦ, " ὐχ εἷς καὶ αὐτὸς ὢν τῷ Πατρὶ, alius eſt à Deo inviſibili, non autem unus idemque cum Patre". * P. 68.

Idem frequenter dicit † *Juſtinus M. Tryphoni* etenim interroganti quomodo probaret ὅτι καὶ ἄλλος θεὸς παρὰ τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων, *quòd alius ſit Deus præter Conditorem omnium, Juſtinus* in ſe ſuſcipit probandum ὅτι ὅτι καὶ λέγεται θεὸς, καὶ κύριος ἕτερος ὑπὸ τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων, || *quod eſt & dicitur Deus alius ab eo qui eſt omnium Opifex*; *nempe is qui Angelus appellatur, eo quod* ἀγγέλλει *enuntiat hominibus ea quæ iis annuntiari vult.* ὁ τῶν ὅλων ποιητὴς, ὑφ' ὃν ἄλλος θεὸς ἐκ ἔστι, *Opifex omnium, ſuper quem alius Deus non eſt.* Et rurſus, *ad Scripturas rediens, perſuadebo vos illum qui Abrahæ, Jacobo, & Moſi apparuit,* ἕτερός ὅτι, alium eſſe à Deo omnium Opifice, ἀριθμῷ λέγω, *numero dico, non conſilio*; *nihil enim unquam fecit, niſi quod ipſe qui fecit Mundum, ſuper quem alius Deus non eſt, & facere, & dicere eum voluit.* † P. 267, 275. || P. 275. * P. 276.

Porrò, Deum Patrem loquutum eſſe πρὸς ἀριθμῷ ὄντα ἕτερον, † *ad Deum numero alium* ex his verbis colligit; *Adam factus eſt ſicut unus ex nobis*; *his enim verbis*, inquit, τὸ ἐλάχιστον δύο μεμήνυκαν *duos ad minimum indicavit.* Denique *Tryphoni* objicienti hæc Patris verba, *Gloriam meam alteri non dabo*, || reſpondet, hoc ſenſu intelligenda illa eſſe, *nulli alteri quàm* τῷ Χριστῷ αὐτοῦ μόνῳ, *ſoli Chriſto ſuo hanc Gloriam dabit.* † *Origenem* audivimus dicentem, ἕτερον κατ' οὐσίαν ἀπὸ τὸν υἱὸν τοῦ Παντὸς, *alium juxta Eſſentiam eſſe Filium a Patre.* *Methodius apud Photium Chriſtianorum Sententiam ſic exhibet " δύο δυνάμεις ἐπὶ ποιητικὰς, duas dicimus eſſe Poteſtates effectrices, unam quæ ex rebus non exiſtentibus, ſolâ voluntate, per ſeipſam operans ſimul ac

† 285. || P. 349. † ὡεὶ ἐυχῶν, p. 48. * Cod. 235. p. 937.

" ac voluerit, fecit omnia, πυγχάνει ὁ Πατὴρ, estque
" hic Pater Alteram quæ, ad prioris imitationem,
" ea quæ facta sunt, adornat variatque, ἔστι ὁ υἱὸς
" estque is Filius omnipotens, & invicta manus
" Patris". *Marcellus apud* * *Eusebium Paulino* objicit quòd Christum δεύτερον Θεὸν *Deum secundum* appellâsset: *Narcisso* pariter, quòd apertè prædicâsset † πρῶτον εἶναι Θεὸν καὶ δεύτερον, *esse Deum primum & secundum*; quibus non tantùm consentit *Eusebius*, uti à supra dictis manifestum est, sed impium illum pronuntiat qui Filium esse Deum super omnia profiteretur. En verba in hanc Sententiam disertissima, " Non, inquit, idem
" est cum Deo Patre, ὅτε γὰρ τὸν ἐπέκεινα τῶν ὅλων Θεὸν υἱὸν ἄν τις εἴποι, ἀσεβὴς εἴη. Nec enim pius esset qui dixerit, eum esse Deum super omnia. His autem repugnare Patrum Post-Nicænorum Sententiam ex uno *Basilio* discamus, cujus hæc sunt verba, ἡμεῖς ἕνα Θεὸν οὐ τῷ ἀριθμῷ, ἀλλὰ τῇ φύσει ὁμολογοῦμεν, *nos unum esse Deum non numero sed naturâ profitemur*. Epist. 141. p. 164.

* *L. 1. contr. Marcell. p. 27.*

† *Ibid. p. 28.*

Quartò, *Eusebio* Hæreseos Suspicionem ex eo inducit *Petavius*, quòd eum, qui antiquis Patribus conspiciendum se præbuit, nullum alium scribit quàm Dei-Verbum & Filium esse potuisse, quandoquidem supremus ille Deus invisibilis, & ingenitus, omniúmque Rex & Dominus à mortali Naturâ videri non potest. Quod tamen ei commune est cum Patribus ferè omnibus *Antenicænis*. *Justinus M.* ex *Scripturis* probandum in se suscipit alium esse numero Deum ab eo qui omnia fecit; hoc autem probare aggreditur (primò) † quoniam Scriptura loquitur de Deo descendente ad *Sodomitas*, & *Abrahæ* viso, & cum eo loquente, adeóque diverso ἀπὸ ἄλλου τοῦ ἐν τοῖς ὑπερουρανίοις ἀεὶ μένοντος, καὶ ὀφθέντος ἢ ὁμιλήσαντος δι' ἑαυτοῦ πώποτε, ὃν ποιητὴν τῶν ὅλων καὶ πατέρα νοοῦμεν, *ab alio in supercælestibus semper manente, & nemini viso,*

† *Dial.*

ſo, nec per ſeipſum cum aliquo colloquente, quem omnium Opificem & Patrem eſſe intelligimus. (2.) Quia nemo, qui * vel minimum Mentis habuerit, auſus ſit dicere *omnium Opificem & Patrem,* καταλιπόντα τὰ ὑπερ ὐρανὸν ἅπαντα, ἐν ὀλίγῳ γῆς μοίῳ πεφάνθαι, *ſupercæleſtia omnia relinquentem, in exiguâ* Terræ parte *apparuiſſe*; unde Judæos ſic alloquitur, μὴ ἡγεῖσθε αὐτὸν † ἀγέννητον Θεὸν καταβεβηκέναι, ἢ ἀναβεβηκέναι ποθὲν, † *ne exiſtimetis ingenitum Deum deſcendiſſe, vel aſcendiſſe quopiam; Pater enim ineffabilis, & Dominus omnium, non venit in locum aliquem, nec deambulat, neque mobilis eſt, vel conſpiciatur ulli, vel in minimâ Terræ parte appareat.* Denique, niſi ad hunc modum, inquit, intellexerimus Scripturas, συμβήσεσθαι τὸν πατέρα καὶ κύριον τῶν ὅλων μὴ γεγονέναι τότε ἐν τοῖς ὐρανοῖς, *continget quod Pater & Dominus omnium in Cœlis tunc non fuerit.* ‖ *Theophilus* ſibi hoc ἐναντιοφανὲς objicit, viz. "Supra tradidiſti Deum "loco non comprehendi, quomodo ergo ais "eum in Paradiſo ambulare"? reſpondet, diſtinctione habitâ inter Deum Patrem & Filium, in hunc modum, ὁ μὲν Θεὸς καὶ Πατὴρ τῶν ὅλων ἀχώρητός ἐστι καὶ ἐν τόπῳ οὐκ ἐνείσκεται, *Deus & Pater omnium in loco nec includitur nec invenitur,* ὁ δὲ Λόγος αὐτοῦ, *Sermo autem ejus, Patris perſonam in ſe ſuſcipiens,* ὅτε παρεγένετο εἰς τὸν παράδεισον ἐν προσώπῳ θεοῦ, *is venit in Paradiſum in perſonâ* (hujus) *Dei, & cum Adamo locutus eſt.*

Ex *Tertulliano* facile eſſet multa, quæ in hanc Sententiam ſuggerit, exhibere. * "Ipſe erat "Dei Filius, inquit, qui & ſemper videbatur. "Deum enim Patrem nemo vidit unquam. Et "libro contra Praxeam; † Apparet retro ſem- "per in Speculo, & Ænigmate, & Viſione, & "Somnio Deum, id eſt, Filium Dei, viſum tam "*Prophetis, Patriarchis,* quàm & ipſi adhuc *Moyſi.* ‖ Ipſe enim ad humana ſemper colloquia "deſcendit, ab *Adamo* uſque ad *Patriarchas* &

d "Pro-

* 283.

† P. 356, 357.

‖ P. 100.

* *Adv. Judæos, c.* 9. *p.* 194.

† *Cap.* 14.

‖ *Cap.* 15.

* *Cap.* 16. " *Prophetas.* * Cæterùm quale eſt ut Deus Omnipotens ille Inviſibilis, quem nemo vidit hominum, nec videre poteſt --- ille Altiſſimus in Paradiſo ad veſperam deambulaverit quærens *Adam*, & Arcam poſt introitum *Noe* clauſerit, & apud *Abraham* ſub Quercu refrigeraverit, & *Moſem* de rubo ardenti vocârit, & in fornace Babylonij Regis quartus apparuit, ni hæc in Imagine, & Speculo, & Ænigmate fuiſſent? ſcilicet & hæc nec de Filio Dei credenda fuiſſe, ſi non eſſent ſcripta; fortaſſe non credenda de Patre, licèt ſcripta. Vide eundem hæc latiùs proſequentem, Cap. viceſimo quinto.

† *Concil. To. I. Edit. Libb. p. 845. D.* † *Synodus Antiochena*, Epiſtolâ miſſâ ad *Paulum Samoſatenſem* antequam deponeretur, ita loquitur, " Hunc dicimus deſcendentem, & viſum " *Abrahæ* ad Quercum *Mambre*, ex tribus illis unum fuiſſe, cui ut Domino, & Judici, *Patriarcha* loquebatur; is *Patriarchis* apparuit, & cum iiſdem loquebatur, interdum ut Angelus, & Dominus interdum ut Deus, τὸν μὲ γὰ θεὸν πάντων ἀσεβὲς τὸν ἄγγελον καλεῖσθαι νομίσαι, *impium enim eſt exiſtimare Deum univerſi Angelum appellari. Filius autem qui & Dominus, & Deus eſt, eſt etiam Angelus, ſeu nuntius Patris*". Denique

‖ *Hiſt. Eccl. l. 1. c. 2. p. 6. D.* ‖ *Euſebius*, de Deo *Abrahæ* apparente ad Quercum verba faciens, ſic loquitur, εἰ μηδεὶς ὑπομένοι λόγος ἀγέννητον καὶ ἀτρεπτον ὐσίαν θεοῦ τοῦ παντοκράτορος εἰς ἀνθρώπου εἶδος μεταβάλλειν, " ſi nulla ratio patietur nos ingenitam & immutabilem Dei omnipotentis Eſſentiam in ſpeciem hominis convertere, & aut geniti alicujus phantaſiâ oculos intuentium fallere, nec Scriptura talia falsò fingit, Deus ille, & Dominus qui judicat omnem Terram, & facit Judicium, ſub Hominis ſpecie apparens, τίς ἂν ἕτερος ἀναγραφοίτο μᾶλλον ὁ περὶ αὐτὸν λόγος; quiſnam alius appel-

" lari poteſt quàm præexiſtens ipſius Verbum ?
" quandoquidem de primo rerum omnium Au-
" ctore hæc accipere nefas fuerit.

Hæc omnia περὶ τ οἰκονομίας, ſive Diſpenſatione Chriſti in Naturâ humanâ factâ, interpretari rationi haud congruum videtur; nec enim humanæ Naturæ à Chriſto ſuſceptio, aut divinæ ejus Naturæ ſub Specie humanæ ἐπιφάνεια, Deum Verbum alium à Patre omnium Deum conſtituebat, & multo minus alium numero Deum ab eo qui in Cœlis ſemper manebat. Fuit certè divina Chriſti Natura in Cœlis, cum in Terris apparuiſſet; fuit ſemper Deus ſuper omnia, & Univerſi Fabricator, nec numero Deus alius, ſed Perſonâ tantùm. Porrò, qui dicunt impium eſſe hæc adſcribere Deo Patri, Ingenito, rerum omnium Opifici, & in Cœlis ſemper manenti, quæ tamen Deo Verbo adſcribere æquum cenſent, ii certè planè videntur Deum Filium à Patre, in his omnibus, aliquo ſaltem modo diverſum indicare. Adde quod effugium hoc, à Praxeæ Diſcipulis olim inventum, *Tertullianus* his verbis excludit; cùm enim ejus Argumentis reſpondiſſent, " Deum viſibilem quidem in Carne, inviſibilem " verò ante Carnem, ut idem ſit Pater inviſibi-
" lis ante Carnem, qui & Filius viſibilis in Car-
" ne; effugium hoc refellit his verbis. " * At- * *Cap.* 15.
" quin ſi idem ante Carnem inviſibilis, quomo-
" do viſus etiam retro invenitur ante Carnem?
" Æquè ſi idem (Pater) poſt Carnem viſibilis,
" quomodo & nunc inviſibilis pronuntiatur ab
" *Apoſtolis*, niſi quia alius, quem & retro viſum
" in Ænigmate pleniùs viſibilem Caro effecit,
" Sermo ſcilicet"? *Juſtinus* pariter effugium
" hoc excludit his Verbis, nempe † Crucifixum † *Dial.*
" hunc cum *Moſe*, & *Aarone* fuiſſe, & cum iis in *cum Tryph.*
" Columnâ Ignis collocutum, ἅτε ἀνθρωπον ϛαυ- *p.* 256.

" ϛωθῆναι, *tunc hominem factum Cruci affixum fu-*
" *isse.*

Quintò, *Eusebium* damnat *Petavius*, quòd Filium non necessariò, sed Voluntate & Consilio Patris, productum esse voluerit; || Splendor, inquit, ὃ κατ' προαίρεσιν, non juxta Voluntatem Luminis splendet, sed juxta Essentiam inseparabilem; ὁ δὲ Υἱὸς κατὰ γνώμην καὶ προαίρεσιν εἰκὼν ὑπάρχει τοῦ Πατρός, Filius autem juxta Consilium & Voluntatem Patris Imago existit. Volens enim Pater genuit Filium. Idem verò docet * *Justinus* M. Filium nempe paternæ Voluntati ministrare καὶ τῇ τοῦ Πατρὸς βουλήσει γεγενῆσθαι, *& Patris voluntate generari.* Et rursus † Virtutem hanc dicimus à Patre generari, δυνάμει καὶ βουλῇ αὐτοῦ, *potestate ejus & consilio*, || *Tatianus* pariter βουλήματι τῆς ἁπλότητος αὐτοῦ προπεμφθέν, *cùm voluit* (nempe Pater) *à simplicitate ejus prosiluit.*

Voluntate præcedente eum genuit Deus, inquit * *Pseudo-Clemens*, eundem τὸν πρὸ αἰώνων εὐδοκίᾳ Πατρὸς γεννηθέντα, *ante Secula beneplacito Patris genitum* pronuntiant † *Constitutiones Apostolicæ.* Patrem eum esse pronuntiat *Novatianus*, || *ex quo, quando ipse voluit, Sermo Filius natus est.* Et rursus: *Hic ergo, quando Pater voluit, processit ex Patre.* Denique *Marcello, Eusebium Nicomediensem* accusanti, quòd subjecisset Filij Generationem, ἐπὶ τὴν βουλὴν τοῦ Πατρός, ad Patris Consilium, respondet *Eusebius*, hoc illud esse ὅπερ οἱ σοφώτατοι τῶν πατέρων ἐν τοῖς ὀικείοις συντάγμασιν ἀπεφήναντο, *quod Patrum sapientissimi in scriptis propriis sanciverant.*

Sextò, *Eusebium* criminatur *Petavius*, quòd Filium ὑπερετεῖν Patri dicit, eiq; honore minorem pronuntiat, omniáque facta esse dixerit διὰ τοῦ Λόγου per Verbum, non à Verbo. Ubi tria congerit speciatim prosequenda.

|| *Demonstr. Evang. l. 4. c. 3. p. 148.*

* *Dial. p. 284.*

† *P. 358.*

|| *P. 145.*

* *Recogn. l. 1. §. 10.*

† *L. 7. c. 41.*

|| *Cap. 31.*

Et Primò, Ὑπηρετεῖν, λειτουργεῖν, ὑπουργεῖν, διακονεῖν, miniſtrare Filium Patri, in Patrum primorum ſcriptis ſæpiùs legimus; *Juſtinus* docet eum Filium, Sapientiam, Angelum, Deum, Dominum, & Verbum appellari, ἐκ τε τῦ ὑπηρετεῖν τῷ πατρικῷ βελήματι, *ex eo quod Patris Voluntati inſerviebat.* Eâdem Paginâ, & p. 280. *Pluribus*, inquit, *demonſtratum eſt eum*, ὑπηρέτην τε τῦ ὑπὲρ κόσμον θεῦ, ὅτερ ὃν ἄλλο ἐκ ἔστι, *ſubſervientem eſſe Deo ſupermundano, ſuper quem alius non eſt.* Τῦτον δ' ἔφαμεν ἔσχηκεν ὑπουργὸν πρὸς ἃ ὑπ' αὐτῦ γεγεννημένων, *Sermonem hunc*, inquit * Theophilus, *inſervientem ſibi habuit in eis quæ ab ipſo facta ſunt.* Eundem † *Clemens Alex.* vocat πατρικῷ θελήματι διάκονον, *Paternæ Voluntatis Adminiſtrum.* Secundum ‖ *Irenæum*, *factus Homo ſecundum Imaginem & Similitudinem fit ingeniti Dei*, τῷ μὲν Πατρὸς δοκοῦντος καὶ κελεύοντος, *Patre quidem volente & jubente*; *Filio vero miniſtrante & formante*; *miniſtrat enim ei ad omnia ſua Progenies, & Figuratio ſua, id eſt, Filius, & Spiritus Sanctus.*

* L. 2. p. 88.

† *Pædag.* l. 1. c. 2. p. 80.

‖ L. 4. c. 75.

* *Tertullianus* ad hunc modum loquitur: "Cæterùm etſi ubique tenemus unam Subſtantiam in tribus Cohærentibus, tamen alium dicam oportet, ex neceſſitate Senſûs, eum qui jubet, & eum qui facit; nam non juberet, ſi ipſe faceret, dum juberet fieri per eum, tamen jubebat, haud ſibi juſſurus, ſi unus eſſet, aut ſine juſſu facturus, quia non expectâſſet ut ſibi juberet". † *Novatianus* pariter: "Quid tam evidens eſſe poteſt, hunc non eſſe Patrem, ſed Filium, quàm quòd obediens Patri Deo proponitur, ne, ſi Pater eſſe credatur, alteri jam Deo Patri ſubjectus eſſe dicatur". Et rurſus: "Miſſum præterea ſe eſſe dicit, ut, per hanc Obedientiam quâ venit Dominus Chriſtus miſſus, non Pater ſed Filius probetur; qui miſiſſet utique ſi Pater fuiſſet, miſſus autem non fuit Pater, ne Pater ſubditus alteri

* *Adv. Prax.* cap. 12.

† *Cap.* 21, 22.

‖ *L. 2. p. 63.* "Deo, dum mittitur, probaretur. ‖ *Origenis* hæc sunt verba: τούτῳ φαμὲν προστάττοντα τὸν πατέρα εἰρηκέναι τὸ, γενηθήτω φῶς, huic affirmamus apud *Mosem*, ubi Mundi Creatio describitur, Patrem jubendo dixisse illud, *Fiat Lux, & fiat Firmamentum*, & reliqua quæcunque jussit Deus fieri. Denique

* *H. Eccl. l. 1. c. 2. p. 5, 6.* * *Eusebius* pronuntiat Filium τῶ Παθρὸς ὑπουργὸν *Patris ministrum*, τ' ἀῤῥήτου γνώμης τῆς Παθρὸς ὑπουργὸν, *arcani Patris Consilij ministrum*, θεῖον λόγον τ' πατρικαῖς ἐπιτάξεσιν ὑπουργοῦντα, *Verbum divinum Paternis imperiis administrans*. Hæc autem Patribus *Post-Nicænis* displicuisse, immò Hæreseos & Blasphemiæ insimulata fuisse, Christique & Spiritûs Sancti Dignitatem, eorum Judicio, minuisse, multis indiciis constabit.

Primò, Quòd hæc vel simpliciter negabant iis convenire, vel tantùm distinctione adhibitâ admittebant: "Qui eos, inquit † *Basilius*, depri-

† *Ep. 301. p. 204.* "munt εἰς τ' λειτουργικὸν καὶ δουλικὸν τάξιν, μακρὰν "εἶσι τ' ἀληθείας, *in ministrantem & servilem Ordi-* "*nem, longè absunt à Veritate*". *Justinianus Origenem* conqueritur Filium & Spiritum Sanctum appellâsse λειτουργικὰ ζῶα, *ministratoria animalia*. Inter multa *Origenis* mala, hoc maximè Hæreticum pronuntiat *Hieronymus*, quòd *Spiritum Sanctum ministrum vocat*. Τροπικὴ Christi, de quâ Apostolus loquitur, ‖ juxta *Augustinum*, non ad Æqualitatem Substantiæ, sed ad Proprietatem pertinet Personarum.

‖ *Vide Petav. de Trin. l. 2. c. 3, - 14.*

Secundò, Quòd quæ ad hunc modum in Patribus occurrunt, vel mutilant, decurtant, commaculant, vel censurâ in margine corrigunt, aut cum fastidio rejiciunt. Ita in Testimonio

* *P. 380.* * *Irenæi* verba hæc *& jubente*, omisisse Scribam auguratur *Grabius*, *utpote Dignitati Filij Dei, & Spiritûs Sancti detrahentia*. Subleslam *Perronii* fidem in locis similibus *Origenis* interpretandis passim

passim indicat *Huetius*. Et in hæc verba *Eusebij*, " τὸ πρῶτον καὶ μόνον τοῦ θεοῦ γέννημα, in veteribus " Schedis, inquit *Valesius*, desunt duo priora vo- " cabula; quæ, quoniam Divinitatem Christi " imminuere videbantur, expuncta sunt à qui- " busdam, qui eam Locutionem ferre non pote- " rant; multa quoque alia in hoc Capite par- " tim mutata, partim truncata sunt ob eandem " Causam; sed in vetustissimo Codice Mazarino " vera ac genuina ipsius *Eusebij* Scriptura re- " tenta est. Scholion tamen ad marginem ad- " scriptum est, quo monetur Lector, ut sibi di- " ligenter caveat ab hoc Proœmio; literâ nem- " pe quæ φερωνύμιον ceu potius φυλακτήριον significat ". Ad verba hæc * *Constitutionum Apostolicarum* ὁ προσιτάγη ὁ Χριστὸς, *vetus Scholiastes adnotavit* βλάσφημον· γυμνὸς γὰρ σαρκὸς ὁ προσιτάγη ὁ υἱός, blasphemum hoc; nam Filius, antequam Carnem induisset, jussus non est. Et ad hæc verba ἀγγελιζόμεθα ὑμῖν θεὸν λόγον ὑπηρετούμενον τῷ θεῷ αὐτοῦ καὶ ποιητὴν, nota hæc in † antiquissimo Curriani Codice apposita est, οὐ λέγομαι τὸ ὑπηρετῆσαι ποιητὴν τὸν υἱὸν, *non admitto ministrâsse Filium, sed unà cum eo cuncta creavisse.* Et ad simile effatum l. 8. c. 12. Admonitionem hanc idem Censor adhibet, μὴ τὴν σάρκωσιν εἴποι ἄν τις ὑπηρεσίαν δι' αὐτοῦ, ὁ μὲν θεὸς τὴν σαρκώσεως, *post Incarnationem ministrâsse illum quispiam dixerit, non verò ante Incarnationem; piè admodum*, inquit *Cotelerius*, *& congruenter Doctrinæ SS. Patrum.*

* *L. 5. c. 6.*

† *Ibid. c.*

Tertiò, Quòd Filium Patre honore minorem pronuntiat, commune ei est cum iisdem Patribus. ‖ *Justinus* sic loquitur; καὶ γὰρ μετὰ ἀγέννητον ἄῤῥητον θεοῦ λόγον προσκυνοῦμεν, *post ingenitum & ineffabilem Deum, Verbum ejus adoramus.* * *Origenes* dicit Christum ἄξιον εἶναι τοῦ σωτῆρος ἡμῶν, i. e. *dignum esse honoris, post Deum Universi, secundi, ob ea quæ præstitit beneficia in Cœlo & in Terrâ.* Non necesse est, inquit † *Eusebius*, eos, qui duas admiserint Hy-

‖ *Apol. 1. p. 51.*

* *Adv. Celsum l. 7. p. 370.*

† *Eccl. Dogm. l. 2. cap. 7.*

Hypostases, duos Deos fateri, οὐδὲ γὰρ ἰσοτίμους αὐτὰς ὁρίζομεν, *non enim eas honore pares esse definimus, nec ambas principio carentes, aut ingenitas.*

Denique omnia facta esse dicunt διὰ Λόγου *per Verbum Ministri vicem gerentem, aut secundariò operantem, & non à Verbo, sed à Patre principaliter operante, aut Filio jubente. Justinus M.* sæpius Deum producit τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων, *universi Opificem, Filium* verò *in eodem Opificio* ὑπηρετοῦντα αὐτῷ, *eidem inservientem.* * *Constitutiones Apostolicæ* inducunt hunc Filium ὑπηρετοῦντα τῷ θεῷ αὐτῶν καὶ πατρὶ εἰς τὴν τῶν ὅλων δημιουργίαν, *Deo ipsius & Patri inservientem in hujus Mundi Opificio.* † *Origenes* docet τὸν μὲν πρωτοτόκως δημιουργὸν εἶναι τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ λόγον, *immediatum Mundi Opificem, & veluti ipsum factorem esse Verbum Dei Filium*; τὸν δὲ πατέρα τοῦ λόγου, *Patrem autem Verbi, cujus mandato Mundus per ipsum factus sit,* εἶναι πρώτως δημιουργὸν, *esse primarium Opificem.* Denique Scriptura, inquit || *Eusebius*, docet ὐκ ἀπ' αὐτοῦ δὲ ἐξ αὐτοῦ τὰ πάντα γεγενῆσθαι, ἀλλὰ δι' αὐτοῦ, *omnia facta fuisse non ab eo, nedum ex illo, sed per illum:* ἡ δὲ διὰ πρόθεσις τὸ ὑπηρετικὸν σημαίνει, *Præpositio autem* διὰ *ministeriale quid significat.*

His omnibus adde, quod *Constitutiones Pseudo-Clementis* asserunt eos * Hæreticos esse, impiéque sentire, qui *suspicantur Jesum esse,* τὸν ὑπὲρ πάντα θεὸν, *Deum super omnia*; quod loquuntur de Christo tanquam † de *Sapientiâ,* τοῦ θεοῦ κτισθείσης, *à Deo Patre creatâ.* Et dicunt || Spiritum Sanctum à Christo missum esse, & ὑπ' ἐκείνου διδασκόμενον, *& ab eo edoctum.* * *Tertullianus* de Christo, & Spiritu Sancto hæc habet, " Quòd " si Deus Dei (sc. Christus) tanquam Subsțan" tiva res, non erit ipse Deus, sed hactenus " Deus, quia ex ipsius Dei Substantiâ, quâ & " Subsțantiva res est, & ut *Portio aliqua totius,* " multò magis Virtus Altissimi non erit ipse Al" tissimus, quia nec Subsțantiva res est, quòd est " Spi-

* *L.* 5. *c.* 20.

† *L.* 6. *p.* 317.

‖ *Eccles. Dogm. l.* 2. *c.* 14. *p.* 122.

* *L.* 6. *c.* 26.

† *L.* 7. *c.* 36. *p.* 319.

‖ *L.* 3. *c.* 17. *p.* 225.

* *Contr. Prax. cap.* 26.

" Spiritus, ſicut nec Sapientia, nec Providen-
" tia: Et hæc enim Subſtantiæ non ſunt, ſed
" Accidentia cujuſcunque Subſtantiæ". Denique * *Novatianus* Spiritum Sanctum pronuntiat Creaturam. Si enim, inquit, *acceperis Spiritum Subſtantiam Dei, Creaturam feceris Deum; omnis enim Spiritus Creatura eſt.* Ubi Adnotator dicit, non mirum eſſe, errâſſe in hoc Novatianum, neque verò adhuc in Eccleſiâ de Trinitate definitum fuerat. * Cap. 7.

SECTIO SEXTA.

ABSOLVIMUS jam ea, quæ ad Regulam certam & unicam Chriſtianæ Fidei ſtabiliendam neceſſaria judicavimus; iiſque, qui Regulam hanc verbis aſſerere videntur, re autem tollunt, aliámque ejus loco ſubſtituunt, Reſponſum dedimus.

Reſtat ut iis quæ, cum aliquâ Veritatis Specie, contra inceptum noſtrum objici videantur, Reſponſum demus.

Objicitur autem (Primò) Allegoricis hiſce Patrum Interpretationibus favere ipſas S. Scripturas. Atque hoc Patres fere omnes, quibus Allegorica hæc Interpretamenta placuerunt, acceſſitis his à D. Paulo Teſtimoniis, adſtrui contendunt, viz. *Hæc autem in Figurâ facta ſunt noſtri*, 1. Cor. 10. 6. & v. 11. *Hæc autem omnia in Figurâ contingebant.* 2 Cor. 3. 6. *Litera enim occîdit, Spiritus autem vivificat.* Col. 2, 16, 17. *Nemo vos judicet in Cibo, aut in Potu, &c. quæ ſunt Umbra futurorum, Corpus autem Chriſti.* Heb. 8. 5. *Qui exemplari & Umbræ deſervîunt Cœleſtium.* Et

C. 10. 1.

C. 10. 1. *Umbram autem habens Lex futurorum bonorum, non ipſam Imaginem Rerum.*

* *Li. de Geneſi ad lit. To. 3. c. 1. p. 499.*

De Loco primo ſic diſſerit * *Auguſtinus.* "In "Narratione verùm factorum quæritur, utrum "omnia ſecundùm Figuratum tantummodo in-"tellectum accipiantur, an etiam ſecundum Fi-"dem rerùm geſtarum aſſerenda & defendenda "ſint. Nam non eſſe accipienda Figuraliter "nullus Chriſtianus dicere audebit, attendens "Apoſtolum dicentem, *omnia autem hæc in Figu-*"*râ contingebant illis.*

Reſpondeo autem, Locum hunc non de Figuris aut Umbris, quibus Veritas & Corpus reſpondeat, intelligendum eſſe, ſed de Typis, i. e. Exemplis Iræ divinæ in immorigeros; nóſque his Exemplis edoceri monet *Apoſtolus* tanquam pictis Tabulis, quale immineat Idololatris, Scortatoribus, & reliquis Dei Contemptoribus, Judicium, ut nobis ſint documento, ne, ſimiliter Iram Dei provocantes, iiſdem Pœnis ſubjiciamur. Hæc enim, inquit, Iræ divinæ in priſcos Iſraelitas Exempla præ oculis veſtris propoſui, *ne ſitis ἐπιθυμηταὶ κακῶν, καθὼς κἀκεῖνοι, concupiſcentes malorum, ſicut & illi.* V. 6. &c, *à me ſcripta ſunt, πρὸς νουθεσίαν, ad admonitionem veſtram* & cautelam, v. 11. vóſque adeò hiſce Exemplis admoneo, *ut, qui putat ſe ſtare, videat ne cadat.*

Pergo ad verba ejuſdem Apoſtoli, 2 Cor. 3, 6. *Litera occidit, Spiritus autem vivificat.* Ubi, interprete † Origene, *Literam vocat Apoſtolus, τὴν ἀπλουστέραν ἔκδοσιν τῶν θείων γραμμάτων, πνεῦμα δὲ τὴν νοητὴν, Expoſitionem Scripturarum juxta Senſum, literalem, Spiritum autem, intellectualem,* i. e. *ſpiritualem earundem Senſum. Ita luſerunt*, inquit *Calvinus, multi ex Veteribus ſacro Dei verbo, non ſecus ac pilâ verſatili.* Verum Senſum verborum exhibet *Vatablus* his dictis, "Lex dictat Sententiam Mortis in "eos qui eam non implent; Evangelium verò, per "quod

† *Adv. Celſ. l. 6. p. 324.*

" quod confertur Spiritus, confert Vitam æter-
" nam". Unde versibus sequentibus, Lex *Ministratio Mortis & Condemnationis* appellatur, Spiritus autem *Ministratio Justitiæ.*

Ad Verba D. Pauli ad *Colossenses*, *Nemo vos judicet in Cibo, aut in Potu*, &c. *quæ sunt Umbra futurorum, Corpus autem Christi.*

Respondet * *Spencerus*, " Hæc Verba, Sensu non
" sano exposita, nugis multis, & notionibus ma-
" lè fundatis locum fecisse; hinc etenim colle-
" gerunt haud pauci, Ritus omnes *Mosaicos* re-
" rum nostrarum Umbras & Figuras esse, &
" Mysterium aliquod Christianum Ritui cui-
" cunque Judaico ex adverso respondere; hæc
" tamen Apostoli Verba, si diligentiùs expendan-
" tur, nullum huic Opinioni patrocinium præ-
" bent. Cùm enim Neomeniam, Sabbatum, &
" cætera Legis instituta, σκιὰν τῶν μελλόντων appel-
" laverit, id solum intelligi voluit, ea nempe
" omnia, cum Christo ejusque Doctrinâ com-
" parata, meras Umbras fuisse; nec est cur hæc
" Interpretatio nova, aut coacta, Lectori vide-
" atur, cum Locutionis consimilis Exemplum
" apud *Josephum* habeamus; ille enim de *Arche-*
" *lao* loquens, qui Potestatem regiam sine Re-
" gis Titulo exercuit, ἦκεν (φησὶν) παρὰ τὸν Καίσαρα
" σκιὰν αἰτούμενος βασιλείας, ἧς ἥρπασεν ἑαυτῷ τὸ σῶ-
" μα, venit, inquit, Regni Umbram à Domino
" Cæsare postulaturus, cujus sibi Corpus antea ra-
" puisset". De Bello Judaico, l. 2. c. 1. p. 777.

* *De Leg. Heb. l. 1. c. 11. §. 2.*

De Verbis D. Pauli ad Hebræos non multum laborandum, utpote quæ non de Ritibus à Judæis observandis agunt, sed de Præceptis à *Mose* observandis, Hebr. 8. 5. idque non in Ceremoniis præscribendis, sed in Arcâ & Tabernaculo fabricandis; Legemque Umbram & exemplar continere pronuntiant non Virtutum à Christianis, sub

ſub Evangelio præſtandarum, ſed bonorum futurorum, quæ Chriſtianis exhiberentur; non denique rerum in Terris gerendarum, ſed Cœleſtium, nec à nobis, ſicut à Pontificibus Judæorum, ſed à Chriſto ſummo noſtro Pontifice exigendarum. Reſpiciunt etenim futura hæc bona Purificationem, non Carnis ab immunditiis Legalibus, ſed Conſcientiæ ab Operibus mortem promerentibus, Redemptionem à Peccatis, non annuam, ſed æternam, Sacrificium Propitiatorium non continuò repetendum, ſed quod ſemel oblatum in æternum perficeret ſanctificatos: cap. 10. 14. Quæ quidem omnia à Chriſto ſolo Pontifice noſtro, cœleſte Tabernaculum ingrediente, geſta eſſe docet Apoſtolus, cap. 9. 11. et deinceps.

Obj. 2. Objiciatur fortè (Secundò) quòd has Patrum Allegorias ſugillando, Occaſionem aliis præbeamus de S. Scripturis minùs honorificè ſentiendi, utpote in quibus quædam inveniantur à literali Verborum Senſu haud minùs aliena; quæ tamen *Chriſti* & *Apoſtolorum* ſuorum Teſtimoniis corroborata ſunt; puta *Allegoriam de Agar & Sarâ*, quibus adde hæc, *Ex Ægypto vocavi Filium meum*, Matth. 3. 15. *Ipſe Infirmitates noſtras ſuſcepit*, cap. 8. 17. *Diviſerunt Veſtimenta mea*, cap. 17. v. 36. *Os de eo non confringetur*, Johan. 19. v. 36. *Reſpicient in eum quem compunxerunt*, v. 37.

Reſp. Ut huic Objectioni Reſpondeam, quæro imprimis, quid de *Rabbinicis* in Scripturas Veteris Teſtamenti nugis, & *Targumiſtarum Gloſſematis*, de Tremulorum Interpretamentis, de *Cocceanorum* denique Myſteriis ſentiunt hi Patrum in hâc re Patroni; an hæc in medium allata impediant quo minùs ea omnia ludibrio habeantur? An obſtabant quo minùs *Irenæus Valentinianorum* ſom-

nia

nia ex iisdem Scripturis perperam collecta, aut Patres Orthodoxi Hæreticorum commenta sannis acciperent? Quid ergo iniqui faciunt, qui de Patrum his nugis nugaciſſimis idem Judicium ferunt? Hujuſmodi multa, ſi non in *Patrum* Commentariis, ſed inter *Rabbinorum, Hæreticorum,* aliorumve *Phreneticorum* deliria inventa eſſent, cachinnum utique moviſſent, & ludibrio ab omnibus ſanæ mentis exciperentur; nec quiſquam S. Scripturæ injuriam ſe feciſſe exiſtimaret, quòd in iis explodendis ſale calamum ſuum miſcuiſſet, aut facetiis in re ludicrâ uſus eſſet. Quid ergo mirum ſi, cum *Cano Epiſcopo Canarienſi,* dixerimus, *Patres interdum monſtra parere?*

Sed ut preſſiùs agam; Reſpondeo, Allegoriam hanc D. *Pauli* bene intellectam nullum his Patrum παρεμπνεύσεως ſubſidium adferre; Hagaram nempe dicit ejuſq; Filium, adeóque Hagarenos eorundem Poſteros, eandem Arabiam eundémque Montem incolentes, ex quo Lex lata eſt, & pariter circumciſos, Typos fuiſſe Legis Moſaicæ jugo Servitutis Judæos ſubjicientis: Quid aliud autem hic dicit *Apoſtolus,* quàm quod in verbis *Saræ* ab eodem recitatis planè continetur? nempe, *Ejice Ancillam & Filium ejus; non enim Hæres erit Filius Ancillæ cum Filio Liberæ;* & quod Judæi legere, & ex his verbis Dei ad Abrahamum intelligere potuerunt, *ne malum videatur in oculis tuis de Puero hoc, & de Ancillâ; quicquid dixit ad te Sarah, auſculta voci ejus; nam in Iſaac vocabitur tibi Semen.* Ex adverſo Saram Liberam, & Filium ejus verbo Promiſſionis natum, & cui Hæreditatem ex Promiſſione donavit Deus, *dicendo, in Iſaac Semen tibi vocabitur,* Eccleſiæ numeroſæ Chriſtianorum, & Filiorum Promiſſionis è Legis Servitute in Libertatem Filiorum Dei vocatorum ſimiliter Typum geſſiſſe, haud abſonum aut coactum cuiquam videatur: Quid enim amplius

plius in hâc Allegoriâ continetur, quàm in his verbis ejuſdem Apoſtoli, Cap. nono ad Rom. Com. ſeptimo, octavo, nono, *Non qui Semen ſunt Abrahæ, omnes Filij, ſed in Iſaac vocabitur tibi Semen:* (8) *Id eſt, non qui Filij Carnis, hi Filij Dei, ſed qui Filij ſunt Promiſſionis, æſtimantur in Semine.* (9) *Promiſſionis enim Verbum hoc eſt, ſecundum hoc tempus veniam, & erit Saræ Filius*; Videat jam Lector Allegoriæ hujus Fundamenta in Scripturis, ad quas provocat *Apoſtolus*, ſufficienter poſita. Simile aliquid in *Patrum* Allegoriis à me allatis oſtendat aliquis, ut me Injuriæ in Patres oblatæ reum peragat.

In allatis ex aliis locis inſtantiis expendendis non eſt cur operoſius immoremur. Quid enim impedit quo minùs ea, quæ *Davidem* aut *Salomonem*, quos Typos Chriſti fuiſſe omnes agnoſcunt, literali Senſu reſpiciunt, Chriſto, Antitypo, ex eorum Semine oriundo, cum huic eadem contigiſſent, applicarentur? Quid obſtat quo minùs id, quod de Agno Paſchali dictum fuerit, Chriſto Paſchali noſtro Agno referri potuiſſet? Quis denique negabit Spiritum Sanctum in iis quæ de *Iſraelitis*, *primogenitis Dei Filiis*, ex *Ægypto* vocandis, aut de iiſdem in eum, quem compunxerunt, Fide reſpicientibus, dicta fuerint, ultra reſpicere potuiſſe ad Chriſtum ex Ægypto evocandum, aut ad Judæos eidem ab iis Crucifixo Fidem in poſterum adhibentes? Is, cui hæc non ſufficiant, adeat locos allegatos, quos in Commentariis noſtris pro virili elucidavimus.

SEC-

Sectio Septima.

Ad ultimam Objectionem contra Operis noſtri inſtitutum progredior, nempe me in his Patrum Hallucinationibus enarrandis eorum Auctoritatem, in iis quæ Traditiones Eccleſiaſticas, Factique materias reſpiciunt, infirmâſſe.

Ut huic Objectioni plenius reſpondeam, Operis pretium eſſe duco, incipiendo à rebus geſtis quas Facti materias appellamus, rem copioſiùs inveſtigare.

Facta igitur, de quibus Teſtimonium perhibent Patres primævi, multiplicis ſunt generis; Alia enim ſunt quæ ſuis oculis ſe vidiſſe teſtantur, praxíve continuâ & ſubinde, pro re natâ, repetitâ, ubique obtinuiſſe in Eccleſiis ſine ullo Partium Divortio prædicant: Qualia ſunt Patrum eorundem Teſtimonia de Miraculis à Chriſtianis per tria Secula præſtitis, de Donis in Eccleſiâ adhuc ſecundo Seculo obtinentibus, de S. Scripturis in Eccleſiâ lectis, & ὁμολογυμένως receptis, de Triplici Ordine Paſtorum in Eccleſiâ, de Ordinatione ad ſacra Officia à ſolis Epiſcopis præſtandâ; de his, & ſi quæ fuerint ejuſdem generis, quæ ipſi vel ſuis oculis conſpexiſſe, vel Uſu continuo eorum temporibus obtinuiſſe conſtanter aſſerunt, Patres, unâ Voce eadem dicentes, idoneos Rei geſtæ Teſtes judicamus: Nec enim rationi conſonum eſt, tam Orientalis quàm Occidentalis Eccleſiæ Antiſtitibus in iis Fidem detrahere. Siquidem Viros tam ſanctos nec in iis fallere voluiſſe, nec, ſine Animo mendaci, fallere potuiſſe, certiſſimum eſt.

Sunt

Sunt autem alia non pauca, in quibus non ex oculari Inſpectione, ſed ex Famâ, & aliorum relatu, de Rebus non ſuâ Ætate contingentibus, ſed longo temporum intervallo diſſitis, accepta referebant. In quibus *Patres* non tantùm falli potuiſſe, ſed falſum re ipsâ Teſtimonium protuliſſe, Experientiâ & Ratione cognoſcimus: Atque hujus Generis ſunt

Primò, Hiſtoria de *Phœnice* poſt Mortem redivivo, quam, in exemplum Reſurrectionis noſtræ, Patres fere omnes adhibent, & quam ex Fide Gentium, & ex Pſalmiſtæ Verbis malè intellectis adſtruebant: Rem latiùs diduximus, &, ob Paganiſmum Fabulâ permixtum, rejecimus, notis ad Pſal. octogeſimi quarti verſum duodecimum.

Secundò, Ejuſdem generis eſt Fabula de Cellulis *Septuaginta Interpretum.* Eſt ergo obſervandum,

Primò, Patres antiquos omnes, uno *Hieronymo* renitente, Cellularum Fabulam, in quibus *Septuaginta Interpretes* ſeorſim poſiti Vetus Teſtamentum de Fonte Hebraico in Græcam linguam iiſdem planè verbis tranſtulerint, pro certâ & indubitâ Veritate recepiſſe. * *Juſtinus M.* teſtatur *Ptolemæum Ægypti* Regem Septuaginta ſapientibus

* *Cohort. ad Græc. p.* 13, 14.

" Viris, Græcæ ſimul & Hebraicæ Linguæ peritis, vertendorum Antiquos Libros Hebræorum literis conſcriptis laborem demandâſſe, iiſque in hunc finem, ubi Pharos extructa eſt, pari cum interpretibus numero domunculas exſtrui præcepiſſe, ut ſigillatim pro ſe quiſque Interpretationem perficeret, adeóque à congreſſu mutuo cohiberentur, quo exquiſitâ Interpretationis Veritas ex ipſorum etiam conſenſu cognoſci poſcit: Et tandem cognoviſſe Septuaginta hos Viros non ſolùm eâdem Sententiâ, ſed iiſdem Verbis Verſiones ſuas adornâſſe,

" nâsse, καὶ μηδὲ μέχρι μιᾶς λέξεως τὸ πρὸς ἀλλήλους συμ-
" φωνίας διημαρτηκόλας, ac ne in unâ quidem Dicti-
" one alium ab alio dissensisse. Hæc vobis, in-
" quit, Viri Græci, commemorantes οὐ μῦθον,
" οὐδὲ πεπλασμένας ἱστορίας ἀπαγγέλλομεν, non Fabulam,
" aut fictas Historias denuntiamus; utpote qui
" cùm ipsi Alexandriæ fuerimus, vestigia Do-
" muncularum apud Pharum adhuc reliqua vi-
" derimus; & ab Incolis, qui res Patrias à Ma-
" joribus per manus sibi traditas, acceperunt,
" audivimus; quæ etiam intelligere potestis ex
" iis qui hæc scriptis tradiderunt *Philone*, & *Jose-*
pho, & pluribus aliis.

Juxta * *Irenæum*, " *Ptolemæus Lagi* Filius χωρί- * *L.* 3. *c.*
" σας αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων, ἐκέλευσε τοὺς πάντας τὴν αὐτὴν 25.
" ἑρμηνείαν γράψαι, separans eos ab invicem, jus-
" sit omnes eandem interpretari Scripturam. Con-
" venientibus autem ipsis in unum apud *Ptole-*
" *mæum*, & comparantibus suas Interpretationes,
" Scripturæ verè Divinæ creditæ sunt, ὅτι πάντων
" τὰ αὐτὰ καὶ ταὐταῖς λέξεσι, καὶ τοῖς αὐτοῖς ὀνόμασι ἀνα-
" γραψάντων ἀπ' ἀρχῆς μέχρι τέλους, omnibus ea-
" dem, iisdem verbis, & iisdem nominibus reci-
" tantibus ab Initio usque ad Finem. Unoquo-
" que Septuaginta Seniorum, inquit † *Clemens* † *Strom.* 1.
" *Alex.* separatim suam propriam interpretante *p.* 342.
" Prophetiam, conspirabant omnes Interpreta-
" tiones simul collatæ, καὶ τὰς διανοίας καὶ τὰς λέξεις,
" & Sententiis, & Dictionibus. || *Cyrillus Hieroso-* || *Catech.*
lymitanus per omnia convenit cum *Justino* & *Ire-* 4. *p.* 37.
næo, dicitque *Ptolemæum* eos omnes inveniisse
consentientes οὐ μόνον ἐν νοήμασιν, ἀλλὰ καὶ ἐν λέξεσιν,
non modò in Sensibus, sed in Verbis. Eadem
dicunt *Tertullianus* Apol. c. 18. & *Augustinus* de
Civ. Dei l. 18. c. 42, 43. * *Epiphanius* in qui- * *De pond.*
busdam Circumstantiis à cæteris divorsùm abit, *p.* 157,
Septuaginta duos Interpretes constituens, quo- 166.
rum binos in Cellulâ eâdem positos esse dicit; in

Concordiâ Vocum & Sententiarum cum cæteris conſpirat.

Obſervandum ſecundò, Patres eoſdem hos Septuaginta Interpretes prophetico, ſive Divino Spiritu afflatos fuiſſe fidenter aſſerere. Θείᾳ δυνάμει Divinâ Poteſtate Interpretationem hanc factam eſſe vult *Juſtinus*; κατ' ἐπίπνοιαν Θεοῦ afflatu divino *Irenæus*; *Clemens* eam quaſi ἑλληνικὴν προφητείαν *Græcam Prophetiam* recipiendam proponit; *Cyrillus* eam Spiritui Sancto tribuit. Interpretationem hanc aggreſſi ſunt juxta *Epiphanium* Πνεύματος ἁγίου ἔχοντες δωρεὰν Spiritûs Sancti dono inſtructi, μὴ δίχα τῆς θείας ἐπιπνοίας *non ſine Divino Afflatu*, juxta * *Theodoretum*. Agmen denique claudit *Auguſtinus* his verbis; " Per utroſque di-
" cere voluit unus atque idem Spiritus; ſed ita
" ut illi præcederent prophetando, iſti ſeque-
" rentur propheticè illos interpretando". Hinc Voſſio hanc Inſpirationem propugnanti, concedit *P. Simonius* eum conſentientes ſibi habere Patres omnes, ſi unum exceperis *Hieronymum*. " Hi
" tamen, inquit, de rebus ipſis incognitis, certi
" quidpiam definire non potuerunt. Ille autem
" cordatus non eſt, nec religioſus, qui iis quæ
" Fidem non reſpiciunt, à Patrum Sententiâ diſ-
" cedere metuit; & cui conſultius viſum eſt alio-
" rum ſcriptis, quàm Experientiæ, & propriis ocu-
" lis Fidem adhibere. Denique Cenſuræ, inquit, *Hieronymi* Patronum ſe præbuit *Eccleſia Romana*, dum relictâ Septuaginta Interpretum Verſione, quæ per tot Annos univerſum Orbem catholicum ſola occupaverat, *Hieronymianam* recenſuſam ad *Judæorum* Codices, amplexata eſt.

* *Præf. in Pſalmos.*

Obſervandum eſt Tertiò, Patres hos fere omnes exiſtimâſſe Interpretes hos non Legis *Moſaicæ* tantùm, ſed etiam *Prophetarum* Libros in Græcum ſermonem convertiſſe, nempe Libros Moſis καὶ τῶν ἄλλων προφητῶν, & *aliorum Prophetarum*, juxta

Juſti-

Justinum; *Prophetica omnia* secundùm *Irenæum*; τὰς τε τῦ νόμυ, καὶ τὰς προφητικὰς, Legis & Prophetarum Libros, teste *Clemente*; πάσας τὰς γραφὰς, universas Scripturas unicuique tradidit interpretandas, inquit *Cyrillus*; viginti septem Scripturarum Libros in Græcum Sermonem conversos fuisse tradit *Epiphanius*. Interpretabantur, juxta * *Theodoretum*, Psalmos καὶ ἅπασαν θείαν γραφὴν, & universam sacram Scripturam; sacra illa eloquia quæ recipit Ecclesia, & quibus utuntur Populi Christiani, secundùm *Augustinum*. In quibus *Josepho*, *Aristobulo*, & *Philoni* contradicunt. *Josephus* etenim de solâ Legis Translatione continuò loquitur: *Demetrium* enim dicit Regi denuntiâsse adhuc, Bibliothecæ suæ adornandæ defuisse † τὰς Ἰουδαίων νομοθεσίας *Judæorum Legislationes*, i. e. Libros eas continentes; quos ideo comparare operæ pretium esse duxit, quoniam continebant νομοθεσίαν *Legislaturam* valdè Philosophicam, sinceram, & à Deo traditam. Consuluit ergo *Judæorum Pontifici* Literas dirigendas esse, ut mitteret Viros τὰς ἐμπειροτάτυς τῦ νόμων, Legum harum peritissimos, qui eas in Linguam Græcam transferrent. *Eleazarum Pontificem* ait Septuaginta Seniores misisse, secum Legem ferentes, Aureis Literis inscriptam, eúmque Preces fudisse ut ἡ τῦ νόμυ μεταγραφὴ, *Legis Translatio* felicem exitum inveniret. Quod quidem Exemplar re absolutâ, sibi denuò transmitti vult Pontifex; unde (ut obiter id moneam) totius Fabulæ seu, juxta *Hieronymum*, Mendacij, certum indicium oritur: Siquidem ex unico Exemplari singuli seorsim positi Versionem haud facere potuissent.

Ptolemæus Literis ad Pontificem missis dicit, velle se τὸν νόμον Legem *Judæorum* in Linguam Hellenicam versam, in Bibliothecâ suâ reponere; ideóque à Pontifice postulare ut mitteret Viros Legum peritos, qui opus illud peragerent;

* *Præfat. in Psalm.*

† *Antiq. l.* 12. *c.* 2.

Regémque, cùm Lex illa in Græcum Sermonem translata, sibi lecta esset, τὴν σοφίαν τῦ νομοθέτυ Sapientiam Legislatoris laudâsse, & νομοθεσίαν *Legislationem* admirandam pronuntiâsse. Addit denique hanc Legis Versionem ἐν ἡμέραις ἑβδομήκοντα καὶ δυσὶ, in Septuaginta & duabus Diebus absolutam esse, in quo exiguo tempore integra Judæorum 22° Volumina interpretari eos potuisse nemo sanioris mentis judicabit. Hæc autem omnia Legem tantummodo per *Mosem Judæorum* Legislatorem datam, & Legislationem ab eo factam respicere potuisse vel cæcus videat. Quis enim *Prophetas Judæorum* νομοθέτας singulari numero appellaverit, eorúmve Prophetias νομοθεσίας?

* *P.* 2. Sed rem certam faciunt hæc ejusdem * *Josephi* in Procœmio Historiæ suæ verba; "Nec enim inte-"gram Scripturam accipere permissus est, ἀλλ' αὐτὰ μόνα τὰ τῦ νόμυ παρέδοσαν οἱ πεμφθέντες ἐπὶ τὴν ἑξήγησιν πρὸς τὸν Ἀλεξανδρείαν, sed *Legem solam tradiderunt ii qui ob eam interpretandam, Alexandriam missi sunt.*

† *L.* 2. *p.* 309, 310. † Philonem loqui de Lege *Mosis* tantummodo, Libro de Vitâ & Officio *Mosis*, ex eo constat, quòd verba faciens de ejusdem eximiâ Facultate ad Leges condendas, & de Comparatione Legis ab eo latæ, cum Legibus aliorum Legislatorum, πρὸς ἑρμηνείαν τύτων, *ad harum*, inquit, *Interpretationem* obtinendam incitabantur multi, & inter cæteros *Ptolemæus*, qui desiderio τῆς νομοθεσίας ἡμῶν, *Legislationis nostræ* flagrans, petiit ut ei mitterentur Viri periti τὸν νόμον διερμηνεύσαντες, *qui Legem interpretentur*: Quod, inquit, ita ab iis factum est, ut non tam Interpretes quàm *Prophetæ* dicerentur, utpote quibus datum est συνᾴδειν λογισμοῖς εἰλικρινέσι τῷ Μωσέως κεκαθαρμένῳ πνεύματι, *purissimo Mosis Spiritui sinceris rationibus consentire*, non Rerum modò sed & Verborum *Consonantiâ*: Quæ Verba extra dubium ponunt *Philonem* de Legis Mosaicæ

Mosaicæ Interpretatione tantummodo locutum esse.

* *Aristobulus* denique in opere quod *Ptolemæo* Regi inscripsit, testatur Regem, *Demetrij Phalarei* operâ, ὅλην τὴν ἑρμηνείαν ἧς διὰ τῶν νόμων πάντων, *integram Interpretationem omnium quæ Legem respiciebant, assecutum esse.* Cùm igitur certum sit & testimoniis *Augustini* & *Philastrij* confirmatum, Ecclesiam Catholicam Septuaginta Interpretum Versionem, aut aliam ad ejus Exemplar adornatam, usque ad *Hieronymi* tempora in Scripturis citandis exhibuisse, eandémque prophetico Afflatu, Inspiratione divinâ, & Spiritûs Sancti instinctu factam existimâsse, clarum est Ecclesiæ Catholicæ Testimonio Fidem in hâc re minimè adhibendam esse. * *Apud Euseb. Præp. evang. l. 13. c. 12. p. 664.*

Secundò, Magno Consensu tradunt Patres Antiquissimi, Scripturas Veteris Testamenti, sub Captivitate Babylonicâ corruptas, immo deperditas fuisse, &, Deo *Esdram* inspirante, restitutas.

Irenæo || teste, " Corruptis Scripturis eâ Captivitate Populi quæ facta est à *Nabuchodonosor*, " inspiravit Deus *Esdræ* præteritorum Prophetarum omnes rememorare Sermones, & restituere Populo eam Legem quæ data est per *Moysem*". † *Clemens Alex.* eandem Sententiam firmat his Verbis; *In Captivitate Regis Nabuchodonosor,* διαφθαρεισῶν ἧς γεγραφῶν, *cum corruptæ essent Scripturæ, tempore Artaxerxis Persarum Regis, inspiratus Esdras prophetavit omnes veteres Scripturas rursus renovans. Hierosolymis,* inquit || *Tertullianus, Babylonicâ Expugnatione deletis, omne Instrumentum Judaicæ literaturæ per Esdram constat Restitutum.* Basilium Ep. ad Chilonem, Hieronymum adv. Helvidium F 4. B. aliosque eadem dicentes missos facio; id tantùm moneo, Sententiam hanc in Præfatione Synopsis, & à Du-Pin Hist. Can. || *Lib. 3. c. 25.* † *Stro. 1. p. 342.* || *De habitu mulierbri, c. 3.*

Vet. Teſt. l. 1. c. 4. §. 3. abundè refutatam eſſe. Denique de hoc *Pſeudo-Eſdræ* Delirio l. 4. c. 14. comprehenſo, hæc in Locum adnotat *Tremellius.*

" Jam ſequitur Blaſphema in Dei Eccleſiam Fa-
" bula, amiſſa eſſe omnia Exempla Legis; hunc
" verò *Moſchem* alterum, eam reſtituiſſe, cùm
" quadraginta Dierum Spatio jejunaret; quaſi ve-
" rò neque in totâ deportatâ Multitudine, neque
" in Judæâ, fuiſſet pius, aut Propheta quiſpiam,
" à quo unum Legis Exemplum fuiſſet aſſerva-
" tum.

Progredior ad facta, de quibus poſt aliquod temporis ſpatium, Lis inter Eccleſiæ Doctores orta eſt, cujus Exemplum exhibet

1. Doctrina de *Millenio in Terris agendo*, quod per duo Secula nullum habuit Adverſarium: De quo,

Obſervandum (primò) obtinuiſſe hanc Sententiam ab ipſis Apoſtolorum Temporibus; ut enim inittam ‖ *Barnabam* paulò obſcuriùs de hoc Millenio loquentem, * *Juſtini M.* hæc ſunt verba, ἐγὼ δ', καὶ εἰ τινες εἰσιν ὀρθογνώμονες καὶ πάντα χριστιανοὶ, *Ego autem, &, ſi qui Chriſtiani rectæ per omnia Sententiæ ſunt, & Carnis Reſurrectionem futuram eſſe ſcimus;* καὶ χίλια ἔτη ἐν Ἰερουσαλὴμ, *& mille Annos peragendos eſſe in Jeruſalem inſtaurata, & exornata, & dilatata.* † *Irenæo* judice, Benedictio *Jacobi ad tempora hujus Regni, ſine Contradictione, reſpicit, quando Regnabunt juſti ſurgentes è Mortuis.* ‖ Et Capite proximo prolatis *Jeremiæ*, & aliorum Prophetarum verbis, continuò ſubdit, *Tales itaque Repromiſſiones manifeſtiſſimè in Regno juſtorum iſtius Creaturæ Epulationem ſignificant, quam Deus repromittit miniſtraturum ſe.* * Et denique, *hæc autem talia univerſa non in ſupercæleſtibus poſſunt intelligi, ſed in Regni temporibus, renovatâ Terrâ à Chriſto, & reædificatâ Hieruſalem ſecundùm Characterem quæ ſurſum eſt Hieruſalem.*

‖ § 15. * *Dial. cum Tryph. p.* 307.

† *L.* 5. *c.* 33.

‖ *P.* 457. *Col.* 1.

* *C.* 35. *p.* 459.

Se-

Secundò, Unâ voce asserunt Millenij hujus Patroni, Sententiam illam quam amplectuntur, ex iis tam Veteris quam Novi Testamenti documentis firmatam esse, quæ *sine Contradictione* de Resurrectione justorum sunt dicta, nec *Sensum Allegoricum patiuntur.* * Justinus promittit non Hominibus se obsequuturum esse, nec documentis humanis, ἀλλὰ Θεῷ, καὶ τοῖς ἀπ' ἐκείνου διδάγμασιν, *sed Deo ejusque Doctrinis:* † Hæc enim, inquit, quæ de Hierusalem instauratâ locuti sumus, οἱ προφῆται Ἰεζεκιὴλ, καὶ Ησαΐας, καὶ ἄλλοι ὁμολογοῦσιν, *Prophetæ Ezekiel, Esaias, & alii agnoscunt.* || *Novimus* quoq; *dictum illud, Dies Domini sicut mille Anni,* εἰς τοῦτο συνάγειν *huc respicere.* Et *Johannes unus ex duodecem Christi Apostolis, in eâ quæ ipsi exhibita est, Revelatione,* χίλια ἔτη ποιήσειν ἐν Ιερουσαλὴμ τοὺς τῷ ἡμετέρῳ Χριστῷ πιστεύσαντας προεφήτευσε, *prædixit Christo nostro credentes mille Annos in Hierusalem peracturos esse. Tertullianus* * de his mille Annis, & de *Hierusalem* è Cœlo delatâ verba faciens, *hanc,* inquit, *Ezekiel novit, & Apostolus Johannes vidit, & qui apud Fidem nostram, novæ Prophetiæ est Sermo, testatur.* || *Lactantius,* cùm hoc Millenij Regnum ex *Sibyllarum* Carminibus confirmâsset, " Hæc sunt, inquit, quæ à Prophetis futura dicuntur, quorum Testimonia & Verba ponere opus non esse duxi, quoniam esset infinitum, nec tantam rerum Multitudinem mensura Libri caperet, tam multis uno Spiritu similia dicentibus, simulque ne Fastidium legentibus fieret, si ex omnibus collecta, & translata *congererem*". Quod autem *Lactantius* ob has Causas facere detractavit, copiosissimè fecit *Irenæus* ex multis *Geneseos, Isaiæ, Jeremiæ, Ezekielis* Testimoniis, *ex Psalmis, Daniele,* ex *quatuor Evangeliis, ex Actis Apostolorum,* ex Epistolis *Pauli* ad *Romanos, Corinthios, Galatas,* ex Epistolis *D. Petri*; & denique ex *Apocalypsi* ea pro hâc Sententiâ Testimo-

* *Dial. p.* 306.

† *P.* 307.

|| *P.* 308.

* *L.* 3. *contr. Marcion. c.* 24.

|| *L.* 7. *de Vita beata c.* 25. *p.* 726.

nia producens, quæ, si *Irenæo* sit fides adhibenda, *sine Contradictione, & sine Controversiâ*, de hoc Regni in Terris Millenio loquuntur, nec *allegoricè interpretari, aut in alium Sensum detorqueri possunt.*

Tertiò, Notandum est Patres primævos eandem Sententiam existimâsse non tantùm ab *Apostolis*, virisque *Apostolicis* receptam esse, sed ex *Christi* ipsius ore, verbisque ejus disertissimis confirmatam. Hoc de *Apostolo Johanne* prius vidimus. De *Papia Johannis* auditore, & *Polycarpi* sodali, scribit *Eusebius*, eum *miras quasdam Salvatoris Doctrinas, ἐκ παραδόσεως ἀγράφου ex Traditione non scriptâ posuisse, inter quas χιλιάδα τινα φησὶν ἐτῶν ἔσεσθαι μετὰ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν*, &c. *& mille Annorum Spatium post Resurrectionem è mortuis fore dicit, quo Regnum Christi corporaliter existet in Terrâ.*

* *L.* 3. *c.* 39.

† Veriſſimum hoc esse testatur *Irenæus*, qui cum nugas nugaciſſimas de hâc re protuliſſet, *Hæc*, inquit, *Papias, Johannis Auditor, & Polycarpi Amicus, vetus Homo, scriptis testatur, in quarto Librorum suorum.* "*Fertilitas eximia*, inquit ‖ *Irenæus*, "*hisce Temporibus existet*, quemadmodum *Presbyteri* "meminerunt, qui *Johannem* Discipulum *Domini* "viderunt, audisse se ab eo, quemadmodum de "temporibus illis docebat Dominus, & dicebat, *Venient Dies in quibus Vineæ nascentur singulæ decem millia palmitum habentes, & in uno Palmite decem millia Brachiorum*, &c. & adjecit dicens, *hæc autem credibilia sunt credentibus*; & "Juda, inquit, "proditore non credente, & interrogante, Quomodo ergo tales genituræ à Domino perficientur, dixisse Dominum, *videbunt qui pervenient in illa.* Denique à Patribus *Nicænis* in *Concilio Oecumenico* hæc stabilita esse testatur *Gelasius Cyzicenus* his verbis, "Expectamus juxta Scripturas, novos Cælos, & novam Terram apparente Regno *magni Dei, & Salvatoris nostri Je-*

† *L.* 5. *c.* 33. *p.* 455.

‖ *Ibid. p.* 454.

"*su*

" ſu Chriſti, καὶ ἀναπαύσονται τότε ἡ βασιλείας οἱ ἅγιοι ὑ-
" ψίστου, & tunc recipient Regnum ſancti Altiſſimi,
" & erit Terra pura, Terra Viventium; ταῦτα δὲ ἐκ
" τῆς παραδεδομένων τοῖς ἁγίοις ἡμῶν παραδόσεων ἐκκλησιαστικῶν
" διαλυπόσεων συνετάξαμεν, hæc autem ordinavimus ex
" Eccleſiaſticis Conſtitutionibus à ſanctis Patribus no-
" ſtris diligenter factis.

Notandum quartò, teſtari *Juſtinum* hanc Sententiam obtinuiſſe apud omnes * *qui in omnibus Orthodoxi habebantur*: Et juxta *Irenæum*, *iis tantum diſplicuiſſe qui ab Hæreticis Senſibus transferebantur.* * L. 5. c. 32.

Denique obſervat *Euſebius* huic fabulæ infenſus, *Papiam* ejuſdem Erroris Cauſam præbuiſſe πλείοσις ὅσοις τῆς ἐκκλησιαστικῶν, *pleriſque Eccleſiaſticorum*; *receptam* eſſe hanc Doctrinam conſtat non tantùm in partibus *Orientalibus* à *Papiâ*, *Juſtino*, *Irenæo*, *Nepote*, *Methodio*, *Apollinari*; ſed etiam in *Occidentalibus*, & *Meridionalibus*, à *Tertulliano*, *Cypriano*, *Victorino*, *Lactantio*, *Severo*. Unde † *Hieronymus*, *Hæc*, inquit, *licet non ſequamur*, *tamen damnare non poſſumus*, *quia multi Eccleſiaſticorum Virorum*, & *Martyres iſta dixerunt*. Et, || Teſte eodem, *noſtrorum in hâc Parte duntaxat plurima ſequitur Multitudo*. Contrariam tamen Sententiam inter *Eccleſiaſtica Dogmata*, enumeratam invenies à *Gennadio*, inter *Fabulas Hæreticas* à *Theodoreto*. Oſtendant ergo qui Patres contendunt optimos eſſe Scripturarum Interpretes, & Traditionum Teſtes in omnibus fidentiſſmos, quot Fidei capita invenient, ab iis pluribus Scripturæ, aut Traditionis Apoſtolicæ Teſtimoniis confirmata. † *In cap.* 19. *Hier. F.* 137, 138. *præf. in l.* 18. *Eſaiæ F.* 107. *M. de dogm. Eccleſ. c.* 55. || *Hær. fab. l.* 3. *c.* 6.

Id denique imprimis obſervandum eſt, duos primos Scriptores ſecundi Seculi, qui ex rumuſculis Famâque dubiâ res geſtas à Domini *Apoſtolis*, eorumque Diſcipulis nobis tradiderunt, *Papiam* nimirum, & *Irenæum*, Fabulis fingendis, falſiſque Narrationibus, nobis turpiter illuſiſſe.

Ut

Ut à *Papia* incipiam, is quidem profitetur ea se enarrare quæ παρὰ τῶν πρεσβυτέρων ἔμαθεν, *à senioribus didicisset*; nempe ab iis sciscitando quid *Andreas*, quid *Petrus*, quid *cæteri Domini Discipuli dicere solebant*, & *Apostolorum dicta, ab iis qui cum Apostolis versati essent*, se dicit recepisse. Is tamen inter ea quæ Traditione non scriptâ ad se perveniisse restatur, *Eusebio* judice, *Parabolas quasdam & Doctrinas insolentes Domini nostri proponit*, καί τινα ἄλλα μυθικώτερα, *& quædam magis fabulosa ex Apostolorum Narrationibus malè intellectis opinatus est*; σφόδρα γὰρ ἦν σμικρὸς τὸν νοῦν, *fuit enim valde exilis ingenii, utì ex scriptis ejus apparet.* Ex eodem *Papia* habemus Fabulam Rabbinicam de Fructuum monstrosâ Magnitudine, Christo, ex Fide Discipulorum qui *Johannem* audiverunt, adscriptam, cum Judæ proditoris Interrogatione, & Christi responso; horum enim eum Testem producit *Irenæus* *; & ex ejusdem næniis nata est Fabula de *Juda* adeo Corpore inflato, ut progredi non potuit, & Curru ita compresso ut ejus intestina effunderentur: In quo non tantùm Evangelij & D. Petri verbis contradicit, sed rem Antiquitatis totius Silentio refutatam protulit; quod enim à Papiæ Ætate, ad Oecumenij tempora nemo retulit, id fidem à Nemine obtinuisse, fas est existimare.

Ibid.

* *Apud Oecum. in Act. 2.*

Pergo ad *Irenæum* de Christi Ætate ultra quadragesimum Annum productâ, miserè cespitantem, & in re manifestò falsâ omnes Asiæ seniores unâ Voce Testes adhibentem, se hanc Traditionem ab ore *Johannis* & aliorum *Apostolorum* accepisse. Cui adde insulsum illud commentum de Domino Millenij fertilitatem verbis fidem omnem superantibus prædicante, quod tamen *Seniores* à *Johannis* ore hæc *Christum* docentem audientis, si Fides *Irenæo*, receperunt.

L. 2. c. 49. p. 160.

SEC-

Sectio Octava.

ACTUM est de Patrum Testimoniis quæ res gestas respiciunt; reliquum est ut de eorum Fide, in Traditionibus Ecclesiæ recensendis Sententiam nostram proferamus.

Et primò, Non nimiùm fidendum esse Patribus in fervore disputandi Traditionem Ecclesiasticam, Ecclesiæ Catholicæ Judicium, aut Praxin, pro eâ quam amplexi sunt Sententiâ obtendentibus, res ipsa loquitur.

Quis enim nescit *Patres* in multis, Traditiones *Apostolicas*, Sententiam Ecclesiasticam, Ecclesiæ totius consensum, in Causæ, quam agebant, Subsidium, & Firmamentum ostentâsse, cùm secus omnino se rem habuisse, & in diversum Patres abiisse, manifestum fuerit?

Secundò, Experientiâ constat, eosdem ad *Apostolicam Praxin*, aut παράδοσιν utrâque ex Parte provocâsse.

Tertiò, Iidem Sententiam quam minus probabant, sub Novitatis Specie rejiciunt; ab omnibus explosam, à nemine ante Sectæ istius Antesignanum à quo Nomen accepit, receptam fuisse, fidenter, sed Veritate planè renitente, asserunt. Rem paucis Exemplis demonstrabimus.

In primâ Instantiâ decies ad minimum peccat *Gennadius* in *Ecclesiasticis dogmatibus* recensendis.

Capite nimirum undecimo, ubi inter Ecclesiæ Dogmata enumerat hæc duo: Primò, *nihil incorporeum, & invisibile Naturâ esse, nisi solum Deum.* Secundò, *Creaturam omnem corpoream esse, Angelos, & omnes cœlestes Virtutes corporeas esse, licet non Carne subsistant*; cui convenit illud * *Johannis Thessalonicensis, Ecclesiam censere Angelos non omnino incor-*

* *Concil. 2di Nicæn. apud Bin. To. 3. p. 547.*

incorporeos, & inviſibiles eſſe, ſed habere Corpora minuta, & tenuia, quaſiq; Ignea, & Aeria. Eſt tamen certum φύσιν ἀσώματον καὶ ἄϋλον, Naturam incorpoream & Materiâ caſſam Angelis tribuiſſe *Origenem* com. in Joh. p. 16, 17. licèt eoſdem corporeo vehiculo veſtitos eſſe voluerit. Idemque docuiſſe *Greg. Nazianzenum* Hom. de Theologiâ, p. 516. & de Natali Domini, p. 617. *Greg. Nyſſenum de Vitâ Moſis*, p. 195. & de Pauperibus amandis, p. 884. *Chryſoſt.* Hom. 22. in Gen. p. 156. *Theodoretum* To. 1. in Gen. 4. 36. Tom. 3. in Zachar. Cap. 1. p. 886. Orat. 3. adv. Græcos, p. 524. cum multis aliis quos citat *Elmenhorſtius* in hæc Verba.

Cap. decimo quarto hanc inter Dogmata Eccleſiaſtica recenſet, *animas Hominum non eſſe cum Corporibus per Coitum ſeminatas, ſed formato jam Corpore, Animam creari & infundi.* † *Theodoretus* idem aſſerit his verbis, ἡ δὲ ἐκκλησία τῇ θείᾳ πειθομένη γραφῇ, λέγει τὴν ψυχὴν συνδημιουργεῖσθαι τῷ σώματι, *Eccleſia autem divinæ Scripturæ fidem adhibens, Animam dicit unà cum Corpore creari, nec ex Materiâ Seminis Procreationis Cauſam habere, ſed ex Voluntate Opificis poſt Corpus formari.* Idemque docet *Juſtinianus* Imp. pene iiſdem verbis, Epiſtolâ ad *Synodum Conſtantinopolitanam.* † *Hieronymus* denique Deum operari Animas, & in Corpora naſcentium eas mittere, *Eccleſiaſticum* vocat. Idem tamen ‖ *Epiſtolâ* ad *Marcellinum*, & *Anapſychiam* ait, "*Super* Animæ ſtatum memini veſtræ Quæſtiunculæ, imò maximè *Eccleſiaſticæ* Quæſtionis, utrum lapſa deCælo ſit, ſicut Origenes putat; an in Theſauro habeantur Dei olim conditæ, ut quidam Eccleſiaſtici ſtultâ Perſuaſione confidunt, an quotidie à Deo fiant, & mittantur in Corpora, ſecundùm illud quod in Evangelio ſcriptum eſt, *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor*; an certè ex traduce, ut *Tertullianus*, "*Apol-*

† *Hær. Fab. l. 5. cap. 9. p. 274.*

† *Apol. adv. Ruff. F. 87. A.*

‖ *To. 2. F. 113. H.*

" *Apollinarius*, & maxima Pars *Occidentalium* au-
" tumant, ut quomodo Corpus ex Corpore, ſic
" Anima naſcatur ex Animâ, & ſimili cum bru-
" tis animantibus Conditione ſubſiſtat". Quæ verba citat * *Auguſtinus*, & ex iis colligit hanc eſſe Quæſtionem in Eccleſiâ ventilatam, aliis aliud ſentientibus; & in Epiſtolâ ad * Optatum dicit, *Hieronymum* in Oriente degentem admonere Animatum propaginem, Occidentalem Eccleſiam ſolere ſentire. *Prudentius Epiſcopus Tricaſſinus* hac de re ſcribit ad hunc modum: " Utrùm Anima
" de Animâ, ut Caro de Carne naſcatur, mag-
" na Quæſtio eſt, à Patribus diu multúmque
" diſcuſſa, ſed abſque certâ Definitione relicta. Ante hos omnes || *Origenes*, " De Animâ, in-
" quit, utrùm ex Semine traducis ducatur, ita
" ut Ratio ipſius, vel Subſtantia ipſis Seminibus
" corporalibus inſeratur, vel certè ſi intrinſecus
" Corpori indatur, necne, non ſatis manifeſtâ
" Prædicatione diſtinguitur". Ex ejuſdem Commentario in Titum hæc citat * *Pamphilus*, " Sunt verò alia quædam Dogmata quæ in *Apo-*
" *ſtolicis Traditionibus* non habentur, verbi Cau-
" ſâ, ſi quis rationem humanæ Animæ inquirat,
" eum de eâ neque quòd ex Semine traducis du-
" catur, neque quòd honorabilior, & antiquior
" corporeâ Compage ſit, tradiderit *Eccleſiaſtica*
" *Sententia*, propter quod alij nec comprehende-
" re potuerunt qualiter ſentire oporteat de Ani-
" mæ ratione". Inter quos † *Gregorium* M. fuiſſe hæc ejus verba indicant: " De Origine
" Animæ inter ſanctos Patres Inquiſitio non
" parva verſata eſt, utrùm ipſa ab Adam deſcen-
" derit, an certè ſingulis detur, incertum re-
" manſit, eámque in hâc Vitâ inſolubilem faſſi
" ſunt eſſe Quæſtionem; gravis enim eſt Quæ-
" ſtio, nec valet ab Homine comprehendi". *Auguſtinum* toto Vitæ ſuæ decurſu, incertum in hoc

* *Ep.* 27. *F.*

† *Ep.* 157. *p.* 715.

‖ *Proœmio de Principiis F.*112. *A.*

* *Apol. F.* 170. *col.* 1.

† *Epiſt. l.* 7. *indict.* 2. *Ep.* 53.

hoc Argumento fluctuâſſe conſtat, ex ejus ad *Hieronymum* & *Optatum* Epiſtolis, ex l. ſeptimo de Geneſi ad Literam ; & demum ex his verbis :

‖ *Retract. l. 1.* " ‖ Quod attinet ad Animæ Originem, quâ ſit " in Corpore, utrùm de illo uno ſit qui primùm " creatus quando factus eſt Homo in Animam " viventem, an ſimiliter fiant ſingulis ſingulæ, " nec tum ſciebam nec adhuc ſcio ".

Quartò, Idem *Gennadius* cap. decimo, hoc inter *Eccleſiaſtica Dogmata* enumerat, *factos eſſe Angelos, & omnes cæleſtes Virtutes, cùm adhuc Tenebræ ipſam Aquam occultarent.* * *Origenes* autem è contra, " Eſt illud in *Eccleſiaſticâ Prædicatione*, " eſſe Angelos quoſdam & Virtutes bonas, —— " ſed quando iſti creati ſunt, & quomodo ſunt, " non manifeſtò diſtinguitur ". *Origenis* hanc Sententiam propugnâſſe Patres quamplurimos vide notis *Elmenhorſtij* in locum.

* *Proœm. l.* περὶ ἀρχ.

Quintò, Eſt etiam, juxta *Gennadium*, *Eccleſiaſticum Dogma*, † *Non eſſe tertium in Subſtantiâ hominis Spiritum.* ‖ *Hieronymus* è contra : " Alij " Triplicem in Homine volunt affirmare Subſtantiam, Spiritûs quo ſentimus, Animæ quâ " vivimus, Corporis quo incedimus " ; nempe Patres Antiquiſſimi, *Irenæus*, *Clemens Alex.* *Origenes*, utì obſervavimus, Annot. in 1 Theſſ. 5. 23.

† *Cap.* 20.

‖ *Epiſt. ad Hedib. qu.* 12.

Sextò, De Falſitate Verborum quæ occurrunt cap. 34, & 39. infra dicendum eſt.

Septimò, Quod capite quinquageſimo ſecundo inter *Eccleſiaſtica Dogmata* hoc recenſet, *parvulos Baptizatos Euchariſtiæ myſteriis* admittendos eſſe, ab omnibus jam rejicitur.

Octavò, Quod dicit, integrâ Fide credendum eſſe *B. Mariam Dei Chriſti Matrem, & Virginem concepiſſe, & Virginem genuiſſe, & poſt partum Virginem permanſiſſe*, refutatum vide notis in *Luc.* 2. 23.

Nonò,

Nonò, Quod dicit cap. ſeptuageſimo quarto, *nullum Catechumenum quamvis in bonis Operibus defunctum, Vitam æternam habere credimus, excepto Martyrio,* refutatum vide à * D. Bernardo, Teſtimoniis Auguſtini & Ambroſiij. * *Ep.* 73.

Decimò, Poſt *Aſcenſionem Domini ad Cælos, omnium Sanctorum Animas cum Chriſto eſſe, & exeuntes de Corpore ad Chriſtum vadere,* prout *Gennadius* tradit, ab Eccleſiaſticâ Doctrinâ tam longè abeſt, ut Sententiam contrariam per multa Secula ubique obtinuiſſe probavimus notis in 2 ad Timoth. c. 4. v. 8.

Denique, cùm dicit cap. octogeſimo, *Pœnitentiâ aboleri peccata indubitanter credimus, etiamſi in ultimo Vitæ Spiritu admiſſorum pœniteat; & publicâ Lamentatione peccata prodantur, eúmque qui aliter ſentit non Chriſtianum, ſed Novatianum eſſe,* latam feneſtram aperit Licentiæ omnium Chriſtianorum; quæ enim neceſſitas eſſe poteſt piè, juſtè, & ſobriè vivendi, ſi ad Salutem obtinendam ſufficeret Pœnitentia in ultimo Vitæ halitu inchoata?

Porrò, inſtantiam huic rei appoſitiſſimam habemus in *Euſebio Cæſarienſi*; notum etenim eſt omnibus in *Eccleſiaſticâ Hiſtoriâ* verſatis, Fidem *Nicææ* decretam, & Filij cum Patre quo ad Eſſentiam æqualitatem, pro Doctrinâ *Eccleſiaſticâ*, & *Apoſtolica* habitam fuiſſe. *Euſebius* autem in hæc verba, Gal. 3. 22. *Mediator unius non* eſt, *Deus verò unus eſt*; & in verba ejuſdem Apoſtoli, 1 Tim. 2. 5. *Dei & Hominum Mediator, homo J. Chriſtus*: *Inducit temporibus Moſis* † μέσον ὄντα υἱὸν τοῦ Θεοῦ, *Filium Dei medium exiſtentem inter Deum & Angelos,* ὥστε μήτε αὐτὸν εἶναι τὸν ὑπὲρ πάντα Θεὸν, μήτε τῶν Ἀγγέλων ἕνα, *adeò ut nec ſit Deus ille qui eſt ſuper omnia, nec unus Angelorum, ſed medius inter* utroſque, pariter, inquit, inter Deum & Homines intercedens, *nec ipſe eſt,* ὁ εἷς καὶ μόνος Θεὸς *unus & ſolus Deus, nec homo inſtar Hominum*; *medius autem exiſtens* † *L.* 1. *contr. Marcellum. c.* 3. *p.* 9.

istens inter utrumque ἀΝπτερός ὅτι *neutrius ordinis est. Hæc,* inquit, *sunt non tantùm divinis literis consignata, sed confirmata Testimoniis Traditionis non scriptæ, &* τ ἀπὸ περάτων γῆς, ἕως περάτων καθολικῆς ἐκκλησίας τῆ Θεῆ, *Catholicæ Dei Ecclesiæ quæ à fine ad finem terræ diffunditur.* Pergit, * *Eusebius* ad hunc modum, εἷς Θεὸς τῇ ἐκκλησίᾳ κηρύττεϑ, καὶ ἐκ ἔστιν ἕτερος πλὴν αὐτῆ, *unus Deus in Ecclesia prædicatur, & non est alius præter eum; unusque Filius Dei unigenitus qui est Imago paternæ Deitatis,* καὶ διὰ τῆτο Θεὸς *& ob hoc Deus,* † ὅτε γὰρ τ ἐπέκεινα ὅλων Θεὸν ὑὸν ἄν τις εἴπων, εὐσεβὴς εἶεν, *nec enim pius esset qui Filium pronuntiaret illum Deum esse qui est super omnia.* Ex quibus constat Ecclesiam, juxta *Eusebium*, docuisse Filium unum solum verum Deum neutiquam fuisse, sed Deum ideo vocari, quia Imago veri Dei esset; *Imago autem*, ‖ juxta eundem, *non est unum cum eo cujus est Imago, sed Substantia, Re, & Potestate ab eo diversum.*

* *Eccles. Dog. l. 1. c. 2. p. 62.*

† *Cap. 7.*

‖ *P. 1. contr. Marcel. c. 4. p. 25, 29.*

Tertiò, * Si quis, inquit, *censet eum qui genitus est ex Virgine Maria esse* τ ὅτι πάντα Θεὸν, *Deum super omnia,* ἡ ἐκκλησία Θεῆ ἐν ἀθέοις, καὶ βλασφήμοις ἐγκατέλεξεν, *Ecclesia Dei inter atheos, & blasphemos recenset.* Et, denique, † *Ecclesia Dei,* inquit, *prædicat μίαν ἀρχὴν καὶ Θεὸν εἶναι* τ *αὐτὸν πατέρα, unum Principium & Deum, ipsúmque Patrem esse unigeniti & dilecti Filij ejus.* Ex quibus verè existimo Hieronymum dixisse Eusebium impietatis Arij apertissimum propugnatorem fuisse. Epist. ad *Pammach.* & Ocean. To. 2. F. 68. F.

* *De Dog. Eccl. l. 2. c. 4. p. 117.*

† *C. 23.*

Secundò, Patres, immo Ecclesias ad Praxin Apostolicam utrinque provocâsse, paucis Exemplis, sed valde perspicuis, demonstrabimus.

Primò itaque ordior à Contentione de tempore celebrandi Paschatis, quam quidem si cum Revio sensissent rem planè ἀδιάφορον & ab *Apostolis* ipsis aliter in *Occidente*, in *Asiaticis*, aliisque

Orientis Eccleſiis aliter inſtitutam, non eſſet cur tam obſtinatè in Praxi receptâ perſtitiſſent, tantâque animorum Contentione Sententiam utrinque propugnâſſent, nec Patres qui literis ad Victorem πλημμικώτερον ſcriptis, eum ad Pacem cum Aſiaticis Eccleſiis colendam Exemplis, & Argumentis variis movere conati ſunt, de hoc, inter alia, palmario, & ad rem conficiendam appoſitiſſimo, valdèque idoneo, prorſus ſiluiſſent. Porrò de celebri hâc Contentione obſervandum,

Primò, Traditionem ab *Apoſtolis* derivatam, ab utriſque, in Cauſæ ſuæ Patrocinium, adhibitam. Tradit nempe * *Euſebius* eos qui Paſcha die Dominico celebrabant, ἐξ ἀποστολικῆς παραδόσεως hoc feciſſe ex *Traditione Apoſtolicâ*. † *Conſtitutiones Apoſtolicæ*, prout jam editæ ſunt, id μὴ πάσης ὀλιγωρίας cum omni Diligentiâ obſervandum præcipiunt, ἐν κυριακῇ μονῇ in Die Dominicâ ſolâ Paſcha celebrari, & pretioſo Chriſti Sanguine redemptis id imprimis curandum ducunt μηκέτι μετ' Ἰουδαίων ἑορτάζειν ne aliquando cum *Judæis* hoc feſtum agerent. || Canones Apoſtolorum ſub Pœnâ Depoſitionis vetant *Clericum* quemcunque ante vernale æquinoctium Paſcha cum *Judæis* celebrare.

* *Hiſt. Eccl.* l. 5. c. 24.
† *L.* 5. *c.* 17. *p.* 258.
|| *Can.* 5. 62.

Obſervandum ſecundò, de Paſchate eodem cum *Judæis* tempore celebrando, validiora multo eſſe *Traditionis Apoſtolicæ* Indicia. Idem etenim * *Euſebius*, qui Ritum prius dictum *Apoſtolorum* Traditioni, ex ſuo Cerebro, nullóque idoneo teſte allato, adſcribit, fatetur eos qui cum *Judæis* Paſcha celebrârunt, *Apoſtolorum* nomina, ex quibus Traditionem iſtam acceptam tenuerunt, diſertim protuliſſe, ipſóſque *Apoſtolicos* viros recitâſſe, qui Ritum ab ipſis *Apoſtolicis* derivatum, ad ſua uſque tempora detulerunt, *Philippum* nempe & *Johannem Apoſtolos*, *Polycarpum Epiſcopum*

* *Ibid.*

Smyrnenſem, Sagarim Epiſcopum & Martyrem, B. *Papirium*, qui omnes, Seculis primo & ſecundo, Chriſtianam, fidem magnâ cum Laude profitentes ἐτήρησαν τ ἡμέραν τ τεσσαρεσκαιδεκάτης τ πάσχα τ κ τὸ εὐαγγέλιον, obſervârunt Diem Paſchatis quartodecimam ſecundùm *Evangelium, nihil omnino variantes, ſed Regulam Fidei conſtanter ſequentes*, inquit *Polycrates Epiſtolâ ad Victorem, & Romanæ Urbis Eccleſiam.* Porrò *Polycarpum*, qui cum *Johanne* Domini noſtri Diſcipulo, & cum reliquis *Apoſtolis* familiariter vixerat, eundem cum illis Ritum ἀεὶ τετηρηκέναι, id eſt, *Judaïco* more ſemper hoc
* P. 193. feſtum obſervâſſe, tradit ibidem * *Irenæus*, ſuâ ad *Victorem* Epiſtolâ; teſtatur igitur *Johannem*, reliquóſque *Apoſtolos* quibuſcum verſatus eſt *Polycarpus*, Judaïco more Paſcha obſervâſſe. Cum ergo *Polycarpus Apoſtolorum* ſodalis eſſet, immo *Smyrnenſis Eccleſiæ* Regimini præpoſitus, παρὰ τ̃ν ἀυτοπτ̃ων, κ̀ ὑπηρετ̃ων τ̃ Κυρίε, *à Miniſtris Domini, qui eum Oculis ſuis conſpexerant*, ſequitur eum hunc morem Paſchatis celebrandi non ab uno *Johanne*, ſed etiam ab aliis Chriſti Diſcipulis derivatum poſteris tradidiſſe. *Anicetum* verò morem contrarium obſervâſſe tradit idem *Irenæus*, nullâ *Petri*, aut aliorum *Apoſtolorum* Inſtitutione, ſed
† *Ibid.* tantùm † τ̃ συνηθείᾳ τ̃ν παρὰ ἀυτ̃ πρεσβυτέρων, i. e. *Conſuetudine Presbyterorum qui eum præceſſerunt.* Adde quòd *Chriſtianos* omnes cum *Judæis* Paſcha celebrâſſe quamdiu *Hieroſolymis Epiſcopi* ex Circumciſione extitiſſent, hoc eſt, ad Annum Do-
‖ *Hær.* 70. *Audian.* §. 9. mini centeſimum & trigeſimum, docet ‖ *Epiphanius*, Diſſenſionem de Tempore *Paſchatis* obſervandi μ̀ τ χρόνον τ̃ν ἐμπεριτόμων ὁποιόπων, *poſt horum Epiſcoporum tempora incœpiſſe pronuntians*, immo tunc Temporis omnes non modò de facto, cum *Judæis* Paſcha celebrâſſe, ſed etiam de jure debuiſſe aſſerit his verbis, ἐχρ̃ν τότε τ̃ν ὁπαιόπων ἐκ περιτομ̃ς ὄντων ἐν Ἱερουσαλὴμ καταςαθέντων πάντα τὸν

κόμον ἦτοις συνέπεσθ, καὶ μετ' αὐτῶν ὀφείλειν, * *oportuit tunc Episcopis in Hierusalem ex Circumcisione constitutis, Orbem universum obsequi, & cum illis Pascha celebrare* : nec mirum ; *Apostolicam* enim Constitutionem de hâc re factam esse agnoscit ad hunc modum se habentem ; ὑμεῖς μὴ ψηφίζεσθε ἀλλὰ ποιεῖτε ὡς οἱ ἀδελφοὶ ὑμῶν οἱ ἐκ περιτομῆς, μετ' αὐτῶν ἅμα ποιεῖτε, vos temporum rationes *ne subducite* ; *sed eo tempore quo Fratres vestri qui ex Circumcisione sunt, simul Pascha peragite.* * §. 10.

Observandum tertiò, non tantùm *Ecclesias Asiaticas*, ἅμα τοῖς ὁμόροις, *cum finitimis Ecclesiis*, sed † teste *Athanasio*, Ecclesias *Syriæ*, *Ciliciæ*, & *Mesopotamiæ*, cum iis Pascha celebrâsse. Inter enim alias Causas celebrandi *Nicæni Concilij*, hanc bis assignat, quòd οἱ μὲν ἀπὸ τῆς Συρίας, καὶ Κιλικίας, καὶ Μεσοποταμίας ἐκώλυον τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ τῆς ἑορτῆς, καὶ μετὰ τῶν Ἰουδαίων ἐποίουν τὸ πάσχα, *Hæ Ecclesiæ cum Judæis Pascha observabant.* † *De Syn. Arim. p.* 872. *Epist. ad African. p.* 935.

Observandum quartò, *Victorem* Ecclesias *Asiaticas* non tantùm ἑτεροδόξους *pravâ Opinione abreptas* existimâsse, sed eâ de Causâ || ab Ecclesiæ Communione separandas : *Asiaticos* verò contendisse se Pascha celebrâsse juxta *Evangelium*, & κατὰ τὸν κανόνα τῆς πίστεως, *Regulam Fidei*, & in hoc *Deo obedire.* Est ergo, certum neutram Partem reputâsse tempus festi hujus celebrandi inter ἀδιάφορα habendum esse. || *Apud Euseb. H. Eccl. l.* 5. *c.* 24.

Ex quibus in medium allatis, facile est observare in re continuâ Praxi observatâ, difficile esse, certum de Traditione *Apostolicâ*, ubi lis orta est, judicium ferre, eo quòd Secundo Seculo partes litigantes, ad Traditionem *Apostolicam* fidenter provocabant, Praxímque *Apostolicam* utrinque prætendebant. Si enim ij qui à Traditionis Fonte tam parum abfuerint, in hâc re miserè cespitâssent, pronum est conjicere alios à Fonte multò remotiores in Traditionibus Ecclesiæ recensendis,

dis, à Veritate, præsertim ubi Contentio exorta est, deviare potuisse ; quod quidem factum fuisse instantiis haud paucis demonstravimus, & pluribus infrà docebimus.

Secundò, Idem judicium ferendum est de Controversiâ haud minùs celebri, quam * *Eusebius* sic exhibet : εἰ δεῖ τοὺς ἐξ οἱασδ' ἂν αἱρέσεως ὁπωσοῦν ἐπιστρέφοντας διὰ λύτρου καθαίρειν, *utrùm eos qui ex qualibet Hæresi convertuntur, baptismo purgari oporteret.* De quâ notandum primò *Cypriani*, & *Afrorum* cum eo consentientium Sententiâ decretum esse Hæreticos quoscunque ad Ecclesiam conversos baptizandos fuisse, nec aliter in Ecclesiam admittendos. † *Cyprianus* Concilij septuaginta Episcoporum Sententiam sic exhibet. " Quicunque " ab adulterâ, & profanâ Aquâ veniunt, abluendi & sanctificandi sunt salutaris Aquæ Veritate ". Et rursus, " || Observatur à nobis & " tenetur exploratâ & perspectâ Veritate, ut " omnes qui ex quacunque Hæresi, ad Ecclesiam convertuntur, Ecclesiæ unico legitimo " Baptismo baptizentur ". * Firmilianus de suâ & *Concilij Iconiensis* Sententiâ sic scribit, " Plurimi simul convenientes in *Iconio*, diligentissimè tractavimus & confirmavimus *omne omnino* Baptisma repudiandum esse, quod sit " extra Ecclesiam constitutum.

Stephani autem P. Sententiam † *Cyprianus* ex ejusdem Epistolâ his Verbis recenset, " Si quis " ergo à quacunque Hæresi venerit ad nos, nihil innovetur nisi quod traditum est, ut Manus illis imponatur in Pœnitentiam ". Eandem respicere videntur hæc apud || *Cyprianum* Verba ; " Non est autem quòd aliquis dicat " in Nomine Jesu Christi ubicunque, quomodocunque baptizati, gratiam Baptismi sunt " consecuti ". Concilia verò generalia, & sequiorum Seculorum *Patres* quàm plurimi, mediâ in-

* *H. Eccles. l. 7. c. 2.*

† *Epist. 73. §. 1.*

|| *Ep. 74. §. ult.*

* *Apud Cyp. Ep. 25. Ed. Ox. p. 226.*

† *Ep. 74. §. 1.*

|| *Ep. 73. p. 201.*

inter utramque Sententiam viâ incedebant ; *Arianos*, *Macedonianos*, *Sabbatianos*, *Novatianos*, *Catharos*, & *Apollinarios*, ſine Baptiſmo ; *Eunomianos* verò, *Sabellianos*, *Montaniſtas*, καὶ τοὺς ἄλλους Αἱρετικοὺς *aliósque Hæreticos* cum Baptiſmo tantùm admittentes, quo decreto tam *Cypriani*, quàm *Stephani* Sententiam impugnârunt. Regulâ verò, quæ poſtea in Eccleſiâ obtinuit, eos nimirum ſolos ſinè Baptiſmo admittendos, qui plenâ Sanctæ Trinitatis Invocatione baptizati eſſent, *Stephani* ſpeciatim Sententiæ ſemet oppoſuerunt. Unde manifeſtum eſt *Stephani* Opinionem neutiquam apud poſteros obtinuiſſe.

Notandum ſecundò, *Cypriani* Sententiam, nec *ab Agrippino exordium cæpiſſe*, nec poſtea ab aliis omnibus Sacerdotibus exploſam fuiſſe, ſed apud graviſſimos Authores diu antea obtinuiſſe, immo à *Synodis* haud paucis, ab Eccleſiis celeberrimis, à *Canonibus Eccleſiaſticis* admiſſam, & ſtabilitam eſſe. Primò etenim * *Clemens Alex.* docet βάπτισμα τὸ αἱρετικὸν οὐκ ὀικεῖον οὐδὲ γνήσιον ὕδωρ λογίζε- σθαι, *Baptiſma Hæreticorum non propriam, & germanam aquam reputari.* †*Tertullianus* paritèr, " Circa Hæreticos ſanè quid cuſtodiendum eſt, dignè quis retractet ; ad nos enim editum eſt ; " Hæretici autem nullum habent conſortium " Diſciplinæ, quos extraneos eſſe teſtatur ipſa " Ademptio Communicationis, non debeo in " illis cognoſcere quod mihi eſt præceptum, " quia non idem Deus eſt nobis & illis, nec " unus Chriſtus, id eſt idem, ideo nec Baptiſmus " unus quia non idem, quem cùm rite non habeant, ſine dubio non habent, nec capit numerari quod non habetur, ita nec poſſunt accipere quia non habent ". Sententiam hanc ‖ *Athanaſio* placuiſſe, ex iis quæ contra *Arianos* diſputat, certiſſimum eſt ; concedit enim *Arianos* *Patris*, *Filij*, & *Spiritûs Sancti Nomina recitare*,

* *Stro.* 1. *p.* 317.

† *De Baptiſmo* c. 15.

‖ *Orat.* 3. *cont. Arian. p.* 413. *A.B.*

prout Scriptura poſtulat, & tamen fidenter aſſerit *Baptiſma ab illis datum* παντελῶς κενὸν καὶ ἀλυσιτελὲς ἔσῃ, *prorſus vanum & inutile eſſe, & à vero Baptiſmate diverſum*; " Non enim verum Baptiſma
* *Ibid. D.* " exhibet qui ſimpliciter dicit Domine, * ἀλλ' ὁ μὴ τὸ ὄνομα ὅλον καὶ τὴν πίστιν ἔχων ὀρθὴν, " Sed qui cum " Nomine, rectam Fidem habet: quâ ratione motus *Hæreticorum* omnium Baptiſma rejicit his verbis: πολλαὶ γὰρ καὶ ἄλλαι αἱρέσεις λέγουσι τὰ ὀνόματα μόνον, μὴ φρονοῦσαι ἢ μηδὲ ὀρθῶς τὴν πίστιν ἔχουσι, ἀλυσιτελὲς ἔχουσι καὶ τὸ παρ' αὐτῶν διδόμενον ὕδωρ, i. e. " Multæ quidem Hæreſes aliæ, Nomina tantùm " pronuntiantes, non autem rectè ſentientes, " nec Fidem rectam tenentes, inutilem Aquam
† *Epiſt. ad Amphiloc. Can. 1.* " impertiunt". † *Baſilius* antiquam Eccleſiæ Sententiam ſic exhibet: " Qui abrupti ſunt, " laici effecti, nec baptizandi, nec ordinandi " habent Poteſtatem, ut qui non poſſunt Spiritûs Sancti Gratiam amplius aliis præbere, à " quâ ipſi exciderant; quare eos qui ab ipſis " baptizati erant, tanquam à Laicis baptizatos ἐκέλευσαν ἐρχομένους ἐπὶ τὴν ἐκκλησίαν τῷ ἀληθινῷ βαπτίσματι τῷ τῆς ἐκκλησίας ἀναθαυρεῖσθαι, juſſerunt ad Eccle- " ſiam venientes, vero Eccleſiæ Baptiſmo re-
* *L. 1. §. 12.* " purgari". *Optatus Parmenianum* ſic alloquitur, " Vides Hæreticos à Domo Veritatis ſatis " exterres, ſolos habere varia, & falſa Baptiſ- " mata, quibus inquinatus non poſſit abluere,
‖ *L. 5. §. 3.* " immundus emundare". Et rurſus, ‖ " Hære- " ticorum Baptiſmata prophana & ſacrilega ap- " pellat, quæ dum lavant, ſordidant.

* *Cypr. Ep. 71.* † *Ep. 63.* Eadem Sententia firmata eſt in * *Concilio Epiſcoporum Africæ & Numidiæ* ſub *Agrippino*, † in *Concilio Epiſcoporum Septuaginta* & *unius* ſub Cypriano, in *Synodo Epiſcoporum* 87 ex *Provinciâ Africâ*, *Numidiâ*, & *Mauritaniâ* convenientium
* *Ep. 75. p. 221.* ſub *Cypriano*, in *Synodo Iconienſi*, de quâ ſic ‖ *Firmilianus*, " Hæreticos non poſſe baptizare nos

" jam-

" jampridem in Iconio collecti in unam conve-
" nientibus ex *Galatiâ*, & *Ciliciâ*, & *cæteris proxi-*
" *mis Regionibus* confirmavimus tenendum contra
" *Hæreticos* firmiter & vindicandum, cùm à qui-
" busdam de istâ re dubitaretur ". *Dionysius* de-
nique *Alex.* testatur intellexisse se decreta de his
facta esse ἐν τῇ μεγίστῃς ἐπισκόπων συνόδοις, ὥστε τὺς μετα-
νόντας ἀπὸ τῆ αἱρέσεως προκατηχηθέντας ἀπολέσθαι, " in
" maximis Episcoporum Synodis, ut qui ab Hæ-
" resibus ad Catholicam Ecclesiam pervenerint,
" primùm Catechumeni fierent, ac deinde Ve-
" teris, & impuri fermenti sordibus per Baptis-
" mum purgarentur.

Idem *Dionysius* addit Sententiam hanc, & Praxin non apud *Afros* tantùm, sed ἐν πολυανθρωποτάταις ἐκκλησίαις, *in Ecclesiis populosissimis diu antea obtinuisse*, quod satis apparet * ex literis *Stephani* ad *Dionysium*, quibus minatur ob eam Causam à Communione *Heleni*, *Firmiliani* & *cunctorum Sacerdotum in Cilicia, Cappadocia, cunctisque finitimis provinciis se discessurum, eò quod Hæreticos rebaptizarent.* † *Firmilianus Stephani* Humilitatem, & Lenitatem suaviter sugillat his verbis; " Quid
" enim humilius, aut lenius quàm cum tot E-
" piscopis per totum Mundum dissensisse; Pa-
" cem cum singulis vario discordiæ genere rum-
" pentem, modò cum *Orientalibus*, modò vobis-
" cum qui in *Meridie* estis ?

|| *Basilius M. Cæsareæ & Cappadociæ Archiepiscopus* Epistolâ secundâ Canonicâ ad *Amphilochium*, de *Encratitis*, *Saccophoris*, *Apotacticis* & *Novatianis* hæc dicit; ἐνὶ λόγῳ ἡμεῖς ἀναβαπτίζομεν τὺς τοιέτυς, *nos unâ ratione eos rebaptizamus juxta Canones de iis editos*; si *autem prohibita sit apud vos hæc Rebaptizatio, sicut apud Romanos Dispensationis alicujus Gratia,* ἀλλ' ὁ ἡμέτερος λόγος ἰσχὺν ἐχέτω, *nostra tamen ratio robur obtineat, qui eos non recipimus in Ecclesiam* ἐὰν μὴ βαπτίσωσιν εἰς τὸ ἡμέτερον βάπτισμα, *nisi in nostrum*

* *Apud Eusseb. H. Eccl. l. 7. c. 5.*

† *Epi. 75. p. 228.*

|| *Can. 47.*

Baptiſma baptizati fuerint. Denique agnoſcit * *Valeſius*, "Orientales, ac præſertim *Cappadoces* "morem ſuum in rebaptizandis *Hæreticis* con- "ſtantiſſimè retinuiſſe, manſiſſéque morem "iſtum apud illos uſque ad primam Synodum "*Conſtantinopolitanam.*

* *Notis in Euſeb. l. 7. c. 5.*

Quod de divino Canone, & Univerſalis Eccleſiæ Regulâ nugatur *Lirinenſis*, à Veritate prorſus alienum eſt: † Conſtitutiones enim *Apoſtolicæ* "Uno Chriſtianos Baptiſmo contentos "eſſe jubent, non illo, inquiunt, quem inſulſi "Hæretici, ſed inculpati Chriſti Sacerdotes ex- "hibent in Nomine Patris, Filij, & Spiritûs "Sancti. μήτε ἡ τὸ παρὰ τῶν ἀσεβῶν δεκτὸν ὑμῖν ἔστω, "Nec vobis acceptum ſit impiorum Baptiſma. In "quem locum, prætermitto, inquit *Cotelerius*, "loca multa veterum, in quibus generaliter "Baptiſma Hæreticorum impugnatur, aut de "eo, velut de re tantummodo Diſciplinæ agi- "tur". *Canon Apoſtolicus* triceſimus octavus ſic ſe habet: "*Epiſcopum, Presbyterum, aut Diaconum,* ἀίρετικῶν δεξαμένους βάπτισμα, *Hæreticorum Baptiſma recipientes, deponi jubemus.* Canone triceſimo nono, *Si Epiſcopus*, inquiunt, *aut Presbyter eum qui verè habet Baptiſmum denuo baptizaverit,* ἢ τὸν μεμολυσμένον παρὰ τῶν ἀσεβῶν ἐὰν μὴ βαπτίσῃ, *aut ſi inquinatum ab impiis, non baptizaverit, deponatur. Antiqui*, inquit || *Baſilius*, δέχεσθαι βάπτισμα τὸ μηδὲν τῆς πίστεως παρέχεσθαι ἔλαττον ἐκεῖνον, *illum Baptiſmum* (*ſolum*) *recipiendum eſſe ſtatuerunt, qui nihil à Fide recedit.*

† *L. 6. c. 15.*

|| *Ep. Canon. ad Amphil. 1ma.*

Denique utrinque ad Traditionem à principio ſive *Apoſtolicam* provocatum eſt. *Stephanus*, notante * *Euſebio*, prætendebat κεκρατῆσθαι ἀρχῆθεν παράδοσιν, *Traditionem à Principio obtinentem*, adeoque dixiſſe, † *nihil innovetur, niſi quod traditum eſt*; || *quod accepimus ab Apoſtolis, hoc ſequimur,* * *& quod Apoſtoli eos qui ab Hæreſi veniunt, baptizari probibuerint, & hoc cuſtodiendum poſteris tradiderunt:*

* *L. 7. c. 3.*

† *Apud Cypr. Ep. 74.*

|| *Epiſt. 73.*

* *Epiſt. 75. p. 219.*

in

in quibus omnibus unius *Stephani* dicta audivimus. E contra, " Nos, inquit * *Firmilianus*, " Veritati & Conſuetudinem jungimus, & Conſuetudini *Romanorum* Conſuetudinem, ſed Veritatis, opponimus, ab Initio hoc tenentes " quod à Chriſto, & ab *Apoſtolis* traditum eſt, " nec meminimus hoc apud nos aliquando cœpiſſe, &c". Praxis *hæc*, inquit † *Synodus Carthaginenſis*, ea eſt *quam ſemper, fortiter, ſtabiliterque tenuimus.* || *Dionyſius Alex.* dicit, *non ab Afris ſolis hunc morem invectum nunc primò fuiſſe, ἀλλὰ καὶ πρὸ πολλοῦ, ſed & multo antea ſuperiorum Epiſcoporum temporibus, in Eccleſiis populoſiſſimis: Et in Conciliis Fratrum apud Iconium & Synnada, & apud alios quamplurimos idem ſancitum fuiſſe, quorum Sententias & ſtatuta ſubvertere nolim; ſcriptum eſt enim,* " *Non commutabis terminos proximi tui, quos Parentes tui conſtituerant.* * *Baſilius* denique dicit, *ἔδοξε τοῖς ἐξ ἀρχῆς τὸ μὴ πᾶσι αἱρετικῶν παντελῶς ἀθετῆσαι, viſum eſt Patribus ab Initio Hæreticorum Baptiſma prorſus rejicere.* Hinc igitur conſtat,

* *Ep. apud Cypr. 75. p. 226.*

† *Concil. Oxon. To. 1. p. 66.*

|| *Apud Euſeb. Eccl. Hiſt. l. 7. c. 7.*

* *Ep. Canon. prima ad Amphil. Can. prima.*

Primò, Vincentij † Lirinenſis hæc Verba, " (1 Agrippinus primus omnium mortalium " 2 contra Divinum Canonem, 3 contra Eccleſiæ univerſalis Conſuetudinem, 4 contra Senſum omnium Conſacerdotum, 5 contra Morem 6 & inſtituta majorum, rebaptizandum " eſſe cenſebat, 7 ad Novitatem Rei cunctos " reclamâſſe, 8 atque omnes quaquaverſum Sacerdotes, pro ſuo quiſque ſtudio reniſos eſſe. " 9 Retentam igitur eſſe Antiquitatem, 10 explo" ſam Novitatem) quot Sententias, totidem Mendacia continere.

† *Commonit. c. 9.*

Secundò, Conſtat hinc itidem, Eccleſiæ Antiſtites in re continuam Praxin reſpiciente, Traditionem *Apoſtolicam*, & ab Initio obſervatam, falsò de facto prætendiſſe. Quis autem fidem nobis faciet, eos qui Praxin Traditionariam fal-

sò

sò nobis obtrudebant, non potuisse in Doctrinæ Fidei Traditione proponendâ, dolo malo uti, & pro certis, incerta proponere ?

Tertiò, Patres aliquoties Sententiam aliquam sub Novitatis specie rejeciisse, & ab omnibus explosam fuisse, Veritate planè renitente, dixisse, ex Lirinensis Commonitorio, Ignorantiæ, & falsiloquij pleno, modò probavimus, exemplo controversiæ de Hæreticis baptizandis. *Ante Cælestium Pelagij Discipulum neminem negâsse reatu Prævaricationis Adæ omne Genus humanum fuisse constrictum*, pari Insipientiâ dicit. *Gennadius* Anathema iis pronuntiat qui negant baptizatos parvulos ex Adam trahere *Originalis Peccati reatum*, * *quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus, per unum Hominem Peccatum intravit in Mundum — in quo omnes peccaverunt, nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit* : Quæ ambo falsissima esse Tractatu de Originalis Peccati Reatu, & Responsione ad Doctorem Edvardum, multis demonstravimus.

* *Cap.* 34.

Ex *Antiqua*, & *Apostolica Ecclesiæ Christi Traditione* teneri existimat † *Augustinus*, " Præter " Baptismum & Participationem Dominicæ " Mensæ, non solùm non ad Regnum Dei, sed " nec ad Salutem, & Vitam æternam posse " quempiam Hominem pervenire " : Quod jam ab omnibus rejicitur. Porro, ‖ *Infantes*, inquit, *Baptizatos in Christum credere non dubitat Mater Ecclesia, eosdemque inter fideles positos esse universæ Ecclesiæ clamat Authoritas*, quod quidem communi omnium rationi repugnat ; quid enim absonum magis quàm pronuntiare eos in *Christum credere*, qui de Christo nihil sciunt ? eosque *fideles esse*, qui quid sit Fides, prorsus ignorant ?

† *De peccat. meritis l.* 1. *c.* 24. *p.* 670.

‖ *Ibid. c.* 25. *c.* 33. *& l.* 3. *c.* 2.

Ne quis tamen existimet me Traditiones omnes *Ecclesiasticas* vel rejiciendas existimare, vel incertas reddere, sciat me in alio Opere Regulas quas-

quasdam assignâsse, in quibus certæ Traditiones de Fide, & Praxi Ecclesiæ Universalis ab incertis, Primitivæ ab iis quæ sequioribus Seculis obtinuerunt, bene fundatæ à spuriis & ementitis, certò dignoscantur, atque inter certas, veras, & continuò receptas Traditiones, enumerâsse Traditiones de S. Scripturarum ἀυθεντία, de Canone Scripturarum ὁμολογεμένως receptarum, de diei Dominicæ observatione, de tribus Ordinibus sacris Ministrantium, de Ordinatione Clericorum à solis Episcopis celebrandâ, quarum Certitudinem firmis, ni fallor, rationibus confirmavimus, adeóque paratum me esse, si quæ aliæ fuerint Traditiones, quæ eâdem Certitudine, & ex iisdem Principiis probari queant, pro certis & indubitandis agnoscere. Ut autem ea quæ in Libro de Traditionibus latiùs diduximus, in Compendium redigamus, distinguimus

Primò, Inter Traditiones de *Ceremoniis*, & *Constitutionibus Ecclesiasticis* circa ἀδιάφορα, quales sunt *Crucis Signum in Baptismo* adhibitum, *trina Immersio*, *Baptizatorum Unctio*, *Adoratio versùs Orientem*, *osculum Charitatis*, *stantes orare Die Dominico*, & si quæ fuerint ejusdem Generis; & inter Traditiones Fidei, Morúmque ad Salutem Creditu, Factúque necessarias. De primis dicimus cum * *Tertulliano*, "Ubicunque in Ecclesiâ aliquâ receptæ fuerint ejusmodi Ceremoniæ, ob servandas eas esse sine ullo Scripturæ Testimonio, solius Traditionis Titulo, & exinde Consuetudinis Patrocinio". De secundis dicimus cum eodem, † *Neminem de rebus Fidei disputare posse nisi ex Literis Fidei.* In primis agnoscimus cum || *Basilio*, "Ecclesiæ Praxin sufficere, quamvis ignotum fuerit ἐκ ποίων γραμμάτων ἔχομεν, *ex quibus scripturis hæc instituta deriventur.* De secundis dicimus cum eodem *Basilio*, "Manifestum "Infidelitatis Argumentum fuerit, & Signum "Su-

* *De Corona Milit. c. 2.*

† *De præscrip. Cap. 15.*

|| *De vera Fide To. 2. p. 386.*

" Superbiæ certissimum, ἢ ἀθετεῖν τι τῶν γεγραμμέ-
" νων, ἢ ἐπισάγειν τῶν μὴ γεγραμμένων, aut aliquid
" eorum quæ scripta sunt rejicere, aut iis quæ
" scripta sunt aliquid adjicere, cùm dominus
" dixerit, *Oves meæ Vocem meam audiunt*, & *Apo-*
" *stolus* vehementer interdicat ut aliquid adda-
" tur, aut ab iis dematur quæ in Scripturis con-
" tinentur. Denique in primis dicimus cum
* *Augustino*, " Si quid horum tota per Orbem
" frequentat Ecclesia, num hoc ita faciendum
" sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est. In
secundis quærimus cum eodem † *Augustino*,
" Quid amplius te doceam quàm id quod apud
" *Apostolos* legimus? sancta enim Scriptura Do-
" ctrinæ nostræ Regulam figit, ne audeamus sa-
" pere præter quàm oportet sapere". Immo di-
cimus cum eodem ‖, " Sive de Christo, sive de
" ejus Ecclesiâ, sive de quacunque aliâ re quæ
" pertinet ad Fidem, vitamque nostram, si
" Angelus de Cœlis vobis annuntiaverit præter-
" quam quod in Scripturis legalibus, & evan-
" gelicis accepistis, *Anathema sit*". Cum enim,
notante *Hieronymo*, *non est in verbis Scripturarum Evangelium, sed in Sensu*; *non in Sermonum Foliis, sed in Radice Rationis*: Qui Sensum Evangelij à Patribus accipiendum esse contendunt, non ex Evangeliis, ij non à Christo in Evangeliis loquente, sed à Patribus, Christi interpretibus, Fidem nostram recipiendam esse asserunt.

* *Epist. 118. ad Januar. p. 558.*

† *De bono viduitatis To. 4. p. 1018.*

‖ *De literis Petiliani l. 3. c. 6.*

Secundò, Distinctio adhibenda est inter Traditiones quæ universim obtinebant, nemine ferè repugnante, & Traditiones tertio, quartóve Seculo ortas, & robur ex sequenti Praxi, Fidéve obtinentes. Traditiones prioris generis ideo admittendas ducimus, quoniam *Apostolorum* ipsorum Tempora includunt; posterioris Generis sunt Traditiones *de Eucharistiâ infantibus* baptizatis *administrandâ*, *de Mariâ post partum Virgine*, *de Chri-*

Christo ex Utero Virginis clauso prodeunte, & per Fores Apostolorum Corpore suo penetrante; quas meritò rejiciendas esse existimamus.

Tertiò, Distinguendum est inter Traditiones de Rebus quas suo Tempore receptas fuisse *Patres* pronuntiant, & de rebus futura Tempora respicientibus, quales sunt, *Traditio* Patrum ferè omnium *de Fine Mundi brevi imminente, de Antichristo subitò venturo, de Elia & Enocho ante secundum Christi Adventum personaliter apparituris*; in quibus Patres cespitâsse, Experientiâ & ratione didicimus.

Quartò, Discrimen adhibendum est inter Traditiones à Principio ferè ortas, & per aliquot Secula, nemine repugnante, obtinentes, quæ tamen postea ab aliis improbari, & deseri cœperunt, interque Errores, immo Hæreses numerari; qualis erat Traditio de *Angelis malis cum Mulieribus rem habentibus*; aut quæ longiori Temporum intervallo prævaluerunt, puta *abstinentia ab Idolothytis, ab esu Sanguinis & suffocati*, à quo religiosè abstinebat GensChristiana usque ad Seculum duodecimum; postquam verò obtinuisset Sententia de Carne & Sanguine Christi Christianis ad comedendum bibendúmque concessis, Esus Sanguinis, etiam extra Eucharistiam, obtinuit. Notandum est insuper Traditionum quasdam à *Judaicâ* in Christianam Ecclesiam irrepsisse, nempe Traditio *de Millenio, de Cellulis Septuaginta Interpretum, de Elia personaliter venturo*: quasdam verò à Scripturis malè intellectis Originem suam duxisse, iisque melius intellectis, aliud de iis Judicium latum esse. Nempe Sententia *de juramento quolibet à Christo prorsus prohibito, de Abstinentiâ ab Idolothytis comedendis, & ab Esu Sanguinis & suffocati, de Fine Mundi, & Antichristi adventu*, quæ omnes ab iis Traditionibus quæ ab

Initio

Initio incipientes adhuc obtinent, Eccleſiâ conſentiente, ſeparandæ ſunt.

Quintò, Diſtinguendum eſt inter Traditiones de rebus créditu, factúque neceſſariis, & non neceſſariis. Traditionibus ad Fidem Moréſque neceſſariis Fides adhibenda eſt, utpote ſine quibus nec Fides, nec Vita Chriſtiana eſſe poteſt; adeò ut Argumentum negativum in his omnibus certiſſimum eſt, Hoc, vel illud inter Fidei, Morúmve Dogmata neceſſaria prius loccum non obtinuit, ergo nec hâc Ætate creditu, factúve neceſſarium dici poſſit, quoniam Eccleſia in neceſſariis nunquam deficit. In non neceſſariis autem certum eſt Eccleſiam integram errare poſſe; quod enim alicui Eccleſiæ ita contingere poteſt, ut adhuc maneat vera Eccleſia, id omnibus poteſt competere.

Denique diſtinguendum inter Traditiones à Patribus nobis traditas, quæ Rationis Judicio firmantur, ita ut Ratio monſtret eas pro veris Traditionibus obtinere non potuiſſe, niſi revera tales extitiſſent, & inter Traditiones, quæ, licet ex primævâ Antiquitate Originem habuiſſent, nullo Rationis Judicio firmari poſſunt. Prioribus Fides firma ex Rationis Judicio adhibenda eſt; de poſterioribus ſecus judicamus, nempe *de Traditione Cellularum Septuaginta Interpretum*, & de *perſonali Adventu Enochi*, *& Eliæ ante finale Judicium.*

Actum eſt hactenus de Patribus diviſim ſumptis; de iiſdem in Conciliis convenientibus hoc unicum imprimis obſervandum eſt, nempe Concilia Fidem non ſanam exhibentia, & quæ ab aliis *Hæretica* dici ſolent, fidenter aſſerere ſe *Fidem Eccleſiaſticam*, *Eccleſiæ univerſalis Sententiam, Fidemque ab Initio traditam proponere.* v. g.

Pri-

Primò, *Episcopi nonaginta Antiochiæ* congregati, quanquam Fidem Nicææ decretam minimè amplexi essent, dicunt se Symbolis suis non aliam Fidem quàm ἣ ἐξ ἀρχῆς ἐκτεθεῖσαν quæ ab Initio *exposita sit*, proposuisse, Socrat. Hist. Eccl. l. 2. c. 10. p. 86. Sozom. Hist. Eccl. l. 2. cap. 5. Huic etiam Fidei formulæ Patres in *Seleucienſi Concilio* congregati subscripserunt. Socrat. ibid. c. 39.

Secundò, *Episcopi Orientis* longam Fidei formulam composuerunt, in quâ dicunt, *Ecclesiam universalem anathematizare eos qui negant*, τῇ βουλήσει *voluntariè Patrem genuisse Filium suum, sed Generationem ejus Patri necessariam esse statuunt*; asserunt porro *Filium* ὑποτεταχθέναι τῷ Πατρὶ καὶ τῷ Θεῷ, *Patri, & Deo subditum fuisse, eique ministrâsse in Mundi fabricatione.* Immo *Philippopoli congregati* ὁμοούσιον *anathematizabant*, ἀνομοίου *vocabulum Literis suis inserebant*, & tamen profitentur se in his τὸ ἐκκλησιαστικὸν φρόνημα *Ecclesiasticam Sententiam proposuisse.* Socrat. Hist. Eccl. l. 2. c. 18. p. 97, 98, 99. & cap. 20. p. 102.

Tertiò, *Sirmienſe Concilium* inducit Filium Dei ὑπουργοῦντα τῷ Πατρὶ, *Patri subservientem in Mundi productione*; *Anathematique subjiciunt* Patres ibidem congregati, *eos qui Deum Patrem, & Deum Filium dici audientes, duos Deos esse pronuntiant, quia*, inquiunt, ἐ συνπάσομαι ἢ ὑὸν τῷ Πατρὶ, *non eâdem Dignitate præditum Filium cum Patre dicimus, sed eidem* ὑποτεταγμένον *i. e. subditum, eo dicente, Ascendo ad Patrem meum*, & Patrem vestrum, ad Deum meum, & Deum vestrum. *Anathema porro eis denuntiant qui dicunt* μὴ θελήσαντος τοῦ Παθὸς *Patrem non voluntariè genuisse Filium*; atque hæc, inquiunt, dicimus διαχειθέντες τὸ χριστιανικὸν ἢ ἔννοιαν, *accuratè exponentes Christianæ Religionis Sententiam.* Denique *nulli*, inquiunt, *dubium esse potest, Patrem*

trem τιμῇ, ἀξίᾳ, καὶ θεότητι *Honore, Dignitate, & Deitate Filio majorem esse, Christo dicente, Pater qui me misit, major me est,* καὶ τοῦτο καθολικὸν εἴδει ἀγνοεῖ, *& hoc Catholicum esse nemo ignorat.* Socrat. Hist. Eccles. l. 2. c. 28. p. 122, 124, 125. Sozom. H. Eccl. l. 4. c. 5.

Ariminensis Consilij *Patres* se dicunt exponere τὴν πίστιν καθολικὴν *Fidem Catholicam*, & tamen Filium Patri non ὁμοούσιον, sed ὅμοιον similem esse pronuntiant; idemque præstant Patres *Seleuciæ* congregati. Socrat. Hist. Eccl. l. 2. c. 37. p. 143. c. 39. p. 147.

Sectio Nona.

DEnique si quis existimaverit me in sanctos Patres non eâ quâ decuit reverentiâ stylum acuisse, eorum Authoritati, in Scripturis interpretandis, & in controversiis decidendis parum tribuisse, sciat id mihi cum aliis tam Pontificiis quàm Reformatis, immo cum ipsis Patribus, commune esse.

In Latinorum, Reformatorúmque Sententiis producendis, post magni *Dallæi*, & *Oubertini* Industriam in hâc re collocatam, frustra operam impenderemus; Inspiciat qui de hoc dubitat, utrorumque Commentarios in loca à nobis annotata, ubi inveniat eos à Patrum Interpretamentis non tantùm diversùm abeuntes, sed etiam eorum commenta plerumque refutantes, & cum fastidio rejicientes.

Pa-

Patres itidem ipsi hanc nobis de illorum Sententiis judicandi Libertatem concedunt, eámque solis Scripturis ἀυθεντίαν tribuunt, ut ab earum Sententiâ deviare non liceat. Audivimus * *Augustinum* dicentem, "Se didicisse solis iis Scripturarum Libris qui Canonici appellantur, hunc tantum Honorem deferre, ut nullum horum Authorum scribendo aliquid errâsse firmissimè credat; alios autem ita se legere, ut, quantalibet Sanctitate, & Doctrinâ polleant, non ideo verum putet quòd ipsi dixerint, sed quòd sibi per Authores istos Canonicos, vel Ratione probabili quæ à vero non abhorreat, probare potuerunt. † *Origenes* in hæc Verba Ezekielis, *Propheta super Prophetas*, "Potest, inquit, & super eos qui docent in Ecclesiâ, si aliter quàm poscit Veritas, docent, præsens sermo congruere". Et de seipso in Ecclesiâ docente, & Scripturas interpretante loquens, monet ‖ *audientes*, "Ut diligenter attendant, & accipiant Gratiam Spiritus, de quâ dictum est, *Discretio Spirituum*, ut probati trapezitæ facti, diligenter observent quando falsus sim Magister, quando verò prædicem quæ sunt Pietatis ac Veritatis". "Ne mihi, inquit * *Cyrillus* Hieros. ea tibi proferenti simpliciter, fidem adhibeas, ἐὰν μὴ ἀπόδειξιν ἐκ τῶν θείων μὴ λάβῃς γεγραμμένων, nisi ex Divinis Scripturis, eorum quæ dicam Demonstrationem accipias". "Neminem velim, inquit † *Augustinus*, sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit. ‖ Neque enim, inquit, negare debeo, sicut in ipsis moribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possunt justo judicio, & nullâ temeritate, culpari". Denique, "* De Canonicâ Veritate Veteris & Novi Testamenti non licet dubitare;

* *Epist.* 19

† *Ho.* 2. *in Ezek. Fol.* 135. *F.*

‖ *Ibid. l. g.*

* *Catech.* 4. *p.* 30. *B.*

† *De bono persev. c.* 21.

‖ *De Origine Anim. l.* 4. *c.* 1.

* *L. XI. contr. Faustum Manich. cap.* 5.

" re; in opuſculis autem poſteriorum, quæ li-
" bris innumerabilibus continentur, ſi quâ
" fortè diſſonare propterea putantur à vero, quia
" non ut dicta ſunt, intelligantur, tamen libe-
" rum habet ibi Lector, Auditórve, judicium,
" quo vel approbet quod placuerit; vel impro-
" bet, quod offenderit". Porro inſtantias de hâc re dedimus in Dogmate Antiquorum omnium ſecundâ ad quartam Centuriam, unanimi Conſenſu ex Geneſeos ſexto obtinente, de Angelis malis cum fœminis congredientibus; quod tamen *Chryſoſtomi* & *Theodoreti* judicio ij tantùm ſentiebant qui ἐμβεβήνατοι, λίαν ἠλίθιοι, καὶ βλάσφημα φθεγγόμενοι, *Cælo percuſſi, valde ſtupidi, & blaſphema loquebantur*, & à Philaſtrio inter Hæreticos cenſentur.

Millenij Dogma Patres multi ab Initio ad quintum Seculum amplexi ſunt, quos omnes *Hieronymus ſemijudæos, ridiculos,* χιλιάστας, *viros qui Ventrem pro Deo habent*, immo *Hæreticos* pronuntiat. † *Origenes* hoc Dogma πάντων ἀπόπτατον καὶ μοχθηρὸν *omnium abſurdiſſimum & nefarium eſſe cenſet, quòd magnæ ſtultitiæ probrum Chriſtianiſmo affigebat.* Plura ejuſdem generis ſedulus Lector inveniet in hoc Opere ſparſim annotata, adeo ut operæ precium vix eſſet in iis recenſendis ampliùs immorari.

† *Philoc. c. 26. p. 99.*

IN-

INDEX

Eorum quæ in hâc Præfatione continentur.

Sectio Prima

Continet Rationem totius Operis, nempe ut S. Scriptura pro Regulâ Fidei integrâ, juxtâ Ecclesiæ Anglicanæ, & omnium Reformatorum Sententiam, agnoscatur, p. 1.

Sectio Secunda

Ostendit non posse ab hac Regulâ, ad Patrum Instituta & Traditiones, deviari, sine Sacrilegâ in Deum Patrem, & Christum, Fidei nostræ Authorem & Ducem, injuriâ, p. 3.

Sectio Tertia

Monstrat Regulam Fidei Christianæ postulare, ut Christum, unicum ejus Authorem habeat, utque integra sit &, in rebus omnibus creditu, factúve necessariis

ceſſariis, perſpicua, adeoque plane ἀσύγχυτα eſſe Scripturas S. pro tali Regulâ agnoſcere, & tamen ad Patrum Sententias, ut tutius & felicius earum ſenſum aſſequamur, nos remittere, p. 8. S. Scripturas in rebus creditu, factuq; neceſſariis perſpicuas eſſe, adeoque Interprete non egere, ex Patribus, & Ratione demonſtratur, p. 11. Scripturas ſeipſas interpretari poſſe oſtenditur, p. 12.

Sectio Quarta

DISSERIT de novâ Viri docti Methodo Scripturas ex Patribus puriorum Seculorum interpretandi. Ubi oſtenditur eam nec tutam, nec utilem eſſe, ſed in multis fallacem, (Primò) Exemplis quamplurimis quæ in hoc Libro continentur, p. 14. (Secundò) Eandem Patrum ferè omnium unanimi Judicio repugnare, p. 19.

Sectio Quinta

QUÆDAM à Viro docto precariò dicta indicat, p. 25. Experientiæ partim contrariam, partim falſam eſſe ejus Sententiam, p. 26. Lirinenſis delirium, à Scripturis ad Eccleſiæ Patrumque Sententias, provocandum eſſe, eò quòd aliter Hæretici, aliter Orthodoxi Scripturas interpretabantur, refutatur (Primò) Ex Patrum ipſorum Sententiis, p. 27. Secundò, ex eo quod Hæretici fere omnes, ab hoc monacho recenſiti, ad Patrum ſuffragia provocabant, p. 28. Falſiſſimum eſſe quod Vir doctus aſſerit, Patres Catholicos primorum Seculorum unanimes fuiſſe in Doctrinâ Trinitatis, & Chriſti Deitate, aſſerendâ, multis probatur. Primò, Teſtimoniis doctiſſimorum Pontificiorum, Huetij, Cotelerij, & Petavii, p. 29. Secundò, Teſtimoniis Baſilij, Ruffini, Photij, qui Clementem Rom. Clementem Alex. Authorem Recognitionum, Dionyſium Alex. Gregorium Thaumatur-

turgum, Pierium Martyrem, Eusebium denique Pamphili, inter Patres, à Fide Orthodoxâ deviantes, enumerant, p. 31. Talem fuisse Origenis Sententiam latiùs contra doctissimi Bulli Sententiam defenditur, p. 33. De Spiritu Sancto malè sensisse Tertullianum, Origenem, Novatianum, Dionysium Alex. Pierium, Theognostum, Pseudo-Clementem, Firmianum, & Eusebium, Testimoniis Patrum probatur, p. 39. Ostenditur hoc ultrà; primò, ex Symbolis Antiquis, in quibus integram Fidem, cui nihil addi possit, contineri asserunt Irenæus & Tertullianus, p. 40. Secundò, Ex iis omnibus idem probatur, ex quibus Eusebij Cæsariensis Doctrinæ Hæreseos labem impingit Petavius: Nempe (primò,) quòd Christum δευτέραν θεότητα, post Patris Essentiam, appellat, p. 44. (Secundò) Quod dixit, Patrem ante Filium extitisse, eumque Filium genuisse antequam facta omnia moliretur, p. 45. (Tertiò) Quòd Filium alium à Patre Deum nuncupavit, p. 46. (Quartò) Quòd eum qui antiquis Patriarchis conspiciendum se præbuit, nullum aliam scribit fuisse quàm Deum Verbum & Filium. p. 48. (Quintò) Quòd Filium non Necessitate, sed Voluntate, & Consilio Patris productum esse statuit, p. 52. (Sextò) Quòd Filium Patri ὑπηρετεῖν dicit, eumque honore, Patre minorem pronuntiat, ibid. Quæ omnia à Patribus Antenicænis dicta esse ostensum est, p. 53.

Sectio Sexta

RESPONDET Argumentis pro Patrum Allegoriis ex Scripturâ ductis, nempe ex 1 Cor. X. 11. 2 Cor. III. 6. Coloss. II. 16, 17. Hebr. VIII. 5. X. 1. p. 57. Speciatim Argumento ex Allegoriâ D. Pauli capite quarto ad Galatas, p. 60.

SEC-

Sectio Septima

RESPONDET ſuſpicioni, me, in his Patrum Hallucinationibus enarrandis, eorum Authoritatem in iis quæ facti materias reſpiciunt, infirmâſſe: Primò, agnoſcendo in iis quæ oculis ſuis ſe vidiſſe teſtantur Patres, Praxique continuâ aut ſubinde repetitâ ubique obtinuiſſe, ſine ullo partium Divortio, prædicant, me Fidem iis adhibendam eſſe judicare; non autem in iis quæ non ex oculari Inſpectione, ſed ex Famâ & aliorum relatu de rebus non ſuâ Ætate geſtis, ſed longo temporum intervallo diſſitis, accepta referebant, p. 63. In iis etenim Patres falſa Teſtimonia protuliſſe conſtat, (primò) Ex Hiſtoriâ de Phœnice; (ſecundò) Ex Hiſtoriâ de Cellulis Septuaginta Interpretum, libriſque ab iis in Græcam linguam tranſlatis: (tertiò) Ex Hiſtoriâ de Scripturis Veteris Teſtamenti corruptis, & deperditis, & ab Eſdra reſtitutis, p. 64. Nec, ſecundò, in eis de quibus poſt aliquod temporis ſpatium lis inter Eccleſiæ Doctores orta eſt, v. g. de Millenio in Terris agendo, p. 70. Oſtenditur Papiam, & Irenæum, falſa multa pro rebus geſtis, & Apoſtolorum, aut Apoſtolicorum Virorum Teſtimoniis confirmatis, tradidiſſe, p. 74.

Sectio Octava

AGIT de Patrum Fide in Traditionibus Eccleſiæ recenſendis, ubi non nimiùm fidendum eſſe Patribus, documento eſt, quòd in multis Traditiones Eccleſiaſticas, Sententiam Eccleſiaſticam, Eccleſiæ totius conſenſum, in Cauſæ ſuæ ſubſidium, falsò adhibent. Qua in re decies ad minimum peccâſſe Gennadium, ea pro Dogmatis Eccleſiaſticis adhibendo, quæ conſtat talia non fuiſſe, monſtratum eſt, p. 75. Inſolenter in hac re peccat Euſebius, p. 79. Hinc eſt quod Patres utrinque ad Praxin Apoſtolicam provocabant,

cabant, in Contentione de Tempore [illegible] brandi, p. 80. Et in Controversiâ de Hæreticis rebaptizandis, p. 84. de qua Lirinensis numerosa mendacia notantur, p. 89. Idem ulterius probatur ex Verbis Lirinensis, Augustini, & Gennadij, p. 90. Sex Regulæ proponuntur, ex quibus Traditiones veræ, certæque ab ementitis, dubiis, & incertis discernantur, p. 91. Concilia quæ olim Hæretica dicebantur, non minùs quàm Orthodoxa, fidenter asserunt se Fidem Ecclesiasticam, Ecclesiæ Universalis Sententiam, Doctrinamque ab Initio traditam docuisse, p. 94.

Sectio Nona

OSTENDIT tam Latinos quàm Reformatos, Patribus, in Scripturis interpretandis, & in controversiis decidendis, parum tribuisse, eandemque de ipsorum Sententiis judicandi Libertatem, Patres concessisse; & demum posteriorum Seculorum Patres de priorum Sententiis idem judicium tulisse, exemplis demonstratur, p. 96.

ER-

Errata in Præfatione.

Pagina 2. *Linea* 9. *adde* &. P. 7. L. 14. *l.* discere. P. 8. L. 10. *l.* mensura. P. 32. L. 21. *Alexandrinum l.* Alexandrinæ. P. 35. L. 21. *l.* judico. P. 55. L. 21. *turrianum l.* Turrianum. P. 86. L. 27. *l.* extorres.

In Libro.

Pag. 54. L. 25. *l.* polentæ. P. 61. L. 9. *sola l.* tota. P. 118. L. 35. *ad.* quo. P. 124. L. 12. *modum l.* mundum. P. 165. L. 21. *l.* admittit. P. 173. L. 23. *dediſſe l.* docuiſſe. P. 269. L. 22. *ad.* eſſet. P. 312. L. 3. *datam l.* inquam. P. 334. L. 32. *ad.* Lex. P. 166. L. 23. *l.* Encratitæ. P. 178. L. 32. *Abraham l.* abducam.

Stricturæ Patrum in GENESIN.

GEN. I. v. 1. *In principio fecit Deus cælum & terram.*] "Plerique exi-
" ſtimant, inquit * *Hieronymus*,
" ſicut in Altercatione quoque
" *Jaſonis* & *Papiſcæ* ſcriptum eſt,
" & *Tertullianus* in libro contra
" *Praxeam* diſputat, nec non *Hi-*
" *larius* in expoſitione cujuſdam Pſalmi affirmat,
" in Hebræo haberi, *in Filio fecit Deus cælum & ter-*
" *ram*; quod falſum eſſe ipſius rei veritas compro-
" bat. Nam 70 *Interpretes*, & *Symmachus*, & *Theodotio*
" *in principio* tranſtulerunt, & in Hebræo ſcriptum
" eſt *breſith*, quod *Aquila* interpretatur in *Capi-*
" *tulo*, & non *baben*, quod interpretatur *in Filio*:
" magis itaque ſecundum ſenſum, quam ſecun-
" dum verbi tranſlationem, de Chriſto accipi po-
" teſt, qui tam in ipſâ fronte Geneſeos, quæ ca-
" put librorum omnium eſt, quam in principio
" *Johannis* Evangeliſtæ, cæli & terræ Conditor ap-
" probatur; unde in Pſalterio de ſeipſo ait Pſ.
" xxxix. 7. in capite libri *ſcriptum eſt de me*, id
" eſt in principio Geneſeos." *In hoc principio*, inquit † *Ambroſius*, *hoc eſt*, *in Chriſto fecit Deus cælum & terram.* Fabricavit mundum ὁ λόγος πνευματικὸς juxta ‖ *Baſilium*. Plura addere ſupervacaneum eſt; notante ſiquidem magno * *Petavio*, *fuit hæc apud Antiquos pervagata multumque communis opinio, principii nomine Verbum ſignificari, ſive Filium.*

V. 26. *Faciamus hominem ad imaginem noſtram.*] Hæc verba Deum Patrem ad Filium & Spiritum ſanctum,

* *Tradit. Hebr. in Geneſ. f.* 70.

† *Hexaem. l.* 1. *cap.* 4.

‖ *Hexaem. Hom.* 1.

* *De Offic. ſex dierum, l.* 1. *c.* 1. §. 16.

ſanctum, aut ſaltem ad Filium, direxiſſe, omnes fere Patres ab ipſis *Apoſtolorum* temporibus fidenter pronuntiant. Juxta [a] *Barnabam dicit Pater Filio, Faciamus hominem ſecundum Imaginem & Similitudinem noſtram:* τέτῳ ὁ πατὴρ προσομιλεῖ, *huic*, inquit [b] *Juſtinus, loquitur Pater dicendo, Faciamus hominem ſecundum Imaginem noſtram*, & ecce Adam factus eſt ſicut unus ex nobis. " *Homo*, ſecundum † *Irenæ-*
† *L.4. Præfat.* " *um, eſt temperatio animæ & carnis, qui ſecundum*
" *ſimilitudinem Dei plaſmatus eſt per manus ejus, hoc*
" *eſt per Filium & Spiritum, quibus & dixit faciamus*
‖ *Ibid. c.37. & l.5. c.1. & 28.* " *hominem:* & rurſus, ‖ *non Angeli fecerunt nos, nec*
" *alius quis præter Verbum Domini, nec virtus longe*
" *abſiſtens à Patre omnium*, nec enim indigebat
" *horum Deus, ad faciendum quæ apud ſe præfinierat*
" *fieri, quaſi ipſe ſuas non haberet manus, adeſt enim*
" *ei ſemper Verbum & Sapientia, Filius & Spiritus,*
" *per quos, & in quibus, omnia libere & ſponte fecit,*
" *ad quos & loquitur dicens, faciamus hominem ad*
" *imaginem noſtram:*" ubi *Feuardentius* duodecim Patres adducit cum *Irenæo* in hâc ſententiâ conſentientes, inter quos eminent loca [c] *Theophili* Antiocheni parallela. *Deus omnia fecit per Verbum ſuum & Sapientiam.* Et rurſus dicendo *faciamus hominem*, &c. *invenitur loquens ſicut auxilio indigens, nec tamen alteri cuiquam dixit faciamus, niſi Filio ejus, & Sapientiæ.* De reliquis ſigillatim citandis non ſum ſollicitus, teſtante quippe [d] *Epiphanio, hæc Patrem Filio dixiſſe eſt communis fidelium ſententia ex veritate profecta.* Immo ſi quis ſententiam hanc amplexus non fuerit, eum anathemate ferit *Concilium*

---

[a] Λέγει τῷ υἱῷ ποιήσωμεν κατ' εἰκόνα, καὶ καθ' ὁμοίωσιν ἡμῶν τὸν ἄνθρωπον.

[b] Juſtinus dial. cum Tryph. p. 285.

[c] Ὁ Θεὸς διὰ τοῦ λόγου αὐτοῦ καὶ τῆς σοφίας ἐποίησε τὰ πάντα. l. 1. p. 74. Ἐπ μὲν καὶ ὡς βοηθείας χρήζων ὁ Θεὸς δι' εἰσκλαι, λέγων, ποιήσωμεν ἄνθρωπον κ. τ. λ. οὐκ ἄλλῳ δὲ τινι εἴρηκε ποιήσωμεν, ἀλλ' ἢ τῷ ἑαυτοῦ λόγῳ, καὶ τῇ ἑαυτοῦ σοφίᾳ. l. 2. p. 96.

[d] Ἡ ἐξ ἀληθείας ὁρμωμένη πίστων ἔννοια.

Syrmi-

Syrmienſe, his apud * *Socratem* verbis, *Si quis dixerit non Patrem ad Filium, ſed Deum ad ſeipſum dixiſſe, faciamus hominem, Anathema ſit.* Quo non obſtante, hæc habet *Cartwrightus* in locum, " *Myſterium* " *Trinitatis hic innui cenſent plurimi, quod Mercero* " *atque aliis eruditis pariter ac orthodoxis haud placet;* " *nec mihi ſane hujuſmodi locis inniti ad impugnandum Adverſarium ſat tutum videtur.* Illud interim " obſervo, alibi aliquoties in ſcripturâ plurale de " Deo uſurpari, cum de eo tanquam hominis " Conditore fit ſermo; nempe Eccleſ. xij. 1. me- " mento boreicha *Creatorum tuorum.*" Et Job xxxv. 10. *ubi eſt Deus factores mei?* adde Pſal. clxix. 2. Iſa. liv. 5.

* *Hiſt. Eccl. l.* 2. *c.* 30. *p.* 123.

Cap. II. 1, 2. *Fecit Deus in ſex diebus opera ejus, & quievit die ſeptimâ.*] Ita 70 Interpretes: ubi [e] *Barnabas* hanc myſticam Hexaëmeri expoſitionem adhibet. *Advertite, filii, quid vult hoc, Conſummavit in ſex diebus: hoc dicit quod conſummabit Dominus in ſex millibus annorum omnia. Dies enim apud illum mille annos indicat. Sic enim ipſe teſtatur dicens, ecce hodiernus dies erit ſicut mille anni. Itaque, filii, in ſex diebus, hoc eſt in ſex annorum millibus, conſummabuntur omnia.* † *Irenæus* pariter hæc habet: *Quotquot diebus factus eſt mundus, tot millenis annis conſummatur, Et propter hoc ait Scriptura Geneſeos, & conſummavit die ſexto omnia opera ſua quæ fecit, & requievit in die ſeptimâ*, &c. Hoc autem eſt & antefactorum narratio, καὶ τῶν ἐσομένων προφητεία, *& futurorum prophetia, etenim dies Domini quaſi mille anni, in ſex autem diebus conſummata ſunt quæ facta ſunt.* Φανερὸν οὖν ὅτι ἡ συντέλεια αὐτῶν τὸ ϛ' ἔτος ἔσται, *manifeſtum ergo eſt quoniam conſummatio ipſorum ſextus milleſimus annus eſt.* * *Cotelerius*, in locum *Barnabæ*, agnoſcit " placuiſſe hanc ſententiam Hebræis ex Eliæ " ſcholâ profectis, Chaldæis, Theologis, *Orpheo*,

† *L.* 5. *c.* 28

* *P.* 32.

[e] Τοῦτο λέγει ὅτι συντελεῖ ὁ κύριος ἐν ἑξακισχιλίοις ἔτεσι τὰ πάντα. ἡμέρα γὰρ παρ' αὐτῷ χίλια ἔτη. §. 15.

" *Hiſtorico Tuſcho* apud Suidam in voce τρεγενία
" χώρα, utque ad noſtros veniam, inter Græcos
" *Irenæo*, l. 5. c. 28, 29. *Hippolyto* apud *Photium*,
" Cod. 202. *Euſtathio* in *Hexaëmeron*, p. 55. *Pſeu-*
" *do Juſtino* qu. & reſp. cap. 71. inter Latinos
" autem *Lactantio* inſtit. l. 7. cap. 14, 15. & Epit.
" cap. 10. *Hilario* in Matthæum cap. 18. & 20. *Hie-*
" *ronymo* Ep. 139. ad *Cyprianum*, & in *Michaiam*
" c. 4. ab initio. Autori quæſtionum vet. & no-
" vi Teſt. qu. 106. *Gaudentio Brixiano* Tract. 10.
" *Caſſiodoro* variarum l. 1. Epiſt. 10. atque *Iſidoro*
" in Geneſin; ab his omnibus, inquam, nec non
" ab aliis pluribus, & ab indocto vulgo creditum
" eſt mundum, poſt annum à Creatione ſextum
" milleſimum, ſive poſt ſextam ætatem, ad finem,
" ac in melius inſtaurationem, venturum." De quâ ſententiâ judicium ſuum ita fert; " Multis
" auctoritatibus, nullâ firmâ ratione ſe tuentur, qui
" certum mundo terminum temporis figunt, quo
" adveniente non amplius permanſurus ſit in
" præſenti ſtatu, in præſtantiorem ſcilicet refor-
" mandus."

V. 17. *Quo die comedis de eo, morte morieris.*] Hunc Diem non pro viginti quatuor horarum ſpatio, ſed pro die Domini ſive pro annis mille, infra quod tempus mortuus eſt Adam, accipiunt Patres Antiquiſſimi. [f] Juſtinus M. citatis his verbis, *juxta dies ligni vitæ, dies populi mei erunt*, ea dicit τὰ χίλια ἔτη ὡς μυστικῶς μηνεύειν, *mille annos in myſterio indicare: ut enim Adæ dictum eſt quo die de ligno ediſſet, in illo ſe moriturum eſſe, ita agnoſcimus eum mille annos non impleviſſe.* * *Irenæum* ejuſdem ſententiæ fuiſſe exiſtimat *Feuardentius*, eſtque ex verbis ejus certum, *Anteceſſores ſuos idem docuiſſe. Quidam*, inquit, *rurſus in milleſimum annum revocant mortem Adæ, quoniam enim Dies Domini ſicut mille anni, non*

*L. 5. c. 23.

[f] Ἔγνωμεν αὐτὸν μὴ ἀναπληρώσαντα χίλια ἔτη. Dial. cum Tryph. p. 308.

ſuper-

ſuperpoſuit autem mille annos, ſed intra eos mortuus eſt, tranſgreſſionis adimplens ſententiam. Id inſuper eſt notatu dignum, Patres omnes, qui ante *Auguſtinum* floruerunt, comminationem hanc ad mortem corporis retuliſſe, quam quidem, ſine promiſſo Reſurrectionis, æternùm duraturam ſcimus.

Cap. VI. 4. *Ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt mares, iſti ſunt potentes,* 70 γίγαντες, *à ſæculo viri famoſi.*] Obtinuit hæc ſententia apud *Patres* ferè omnes qui quatuor primævis ſæculis floruerunt, filios illos Dei qui filias hominum adamâſſe dicuntur, Angelos fuiſſe malos, ſive *Apoſtaticos*, qui, ſpecie mulierum allecti, aſſumptis hominum corporibus, cum illis rem habuerunt, & prolem ex iis ſuſceperunt. Aſſerit nempe [g] *Juſtinus*, Deum eorum quæ ſub cælis ſunt providentiam Angelis conceſſiſſe: *Angeli autem, ordinem ſuum tranſgredientes, cum mulieribus commixti ſunt, & ex iis filios genuerunt qui Dæmones vocantur.*

† *Irenæus* docet Deum temporibus Noe juſte diluvium induxiſſe, ut *extingueret peſſimum Genus eorum qui tunc erant hominum, qui jam fructificare Deo non poterant, cum Angeli tranſgreſſores commixti fuiſſent iis.* † *L.4.c.70. p.371.*

Additque * Beſtiam *recapitulâſſe* in ſemetipſo *omnem quæ fuit ante Diluvium malitiæ commixtionem, quæ facta eſt ab Angelicâ Apoſtaſiâ.* [h] *Athenagoras*, ne fides fabulæ detrahatûr, hæc in anteceſſu exhibet, *Scitote nos nihil dicere ſine teſtimonio, ſed ea quæ Prophetæ tradiderunt indicare.* Pergit autem ſic, *Malorum Angelorum aliquos deſiderio virginum inflatos, & libidine carnis accenſos fuiſſe: ex iis ergo, qui virginum amore flagrabant, nati ſunt ii qui Gigantes appellantur.* Mentem labi in libidinem, lapſûſque * *L.5.c.29.*

---

[g] Οἱ δὲ Ἄγγελοι, παραβάντες τὴν δὲ τὴν τάξιν, γυναικῶν μίξεσιν ἡττήθησαν, καὶ παῖδας ἐτέκνωσαν, οἱ εἰσὶν οἱ λεγόμενοι Δαίμονες. Apol. 1. p. 44.

[h] Ἴστε δὲ μηδὲν ἡμᾶς ἀμάρτυρον λέγειν· ἃ δὲ τοῖς Προφήταις ἐκπεφώνηται μηνύειν. Legat. p. 27.

mercedem recipere, probat † *Clemens Alex.* exemplo Angelorum qui *Dei pulchritudinem reliquerunt διὰ κάλλος μαρανθέντος, ob pulchritudinem quæ flaccessit.* Porro Angeli, juxta ‖ *Clementem,* quidam *ἀκρατεῖς γενόμενοι ἐπιθυμίᾳ ἁλόντες, incontinentes & libidine victi, de cælo deciderunt.* Eademque repetit Stro. 5. p. 550. * *Tertullianus* Angelos appellat quosdam *Desertores Dei, amatores Fœminarum, proditores etiam hujus Curiositatis* (i. e. Idololatriæ) *propterea quoque damnatos à Deo.* Et Angelos qui ad filias hominum de cælo ruerunt; addit denique *mulierem velamen habere debere propter Angelos, quos legimus à Deo & cælo excidisse propter concupiscentiam mulierum.* † *Minutius* fontem erroris paganici sic aperit: *Spiritus sunt insinceri, vagi, à cælesti vigore terrenis labibus & cupiditatibus degravati. Isti igitur spiritus, postquam simplicitatem substantiæ suæ, onusti & immersi vitiis, perdiderunt, ad solatium calamitatis suæ non desinunt perditi jam perdere, & depravati errorem pravitatis infundere.* Eadem fere habet ‖ *Cyprianus* de Idolorum vanitate, & de habitu Virginum, docet *Apostatas Angelos, ad terrena contagia devolutos, à cœlesti vigore recessisse.* Dicit * *Lactantius Satanam terræ principem alios Angelos consuetudine ipsâ paulatim pellexisse, & mulierum congressibus inquinasse.* † *Eusebius* censet ea quæ Poëtæ de Gigantum turpitudine & petulantiâ tradiderunt, ad ea pertinere, quæ de *Gigantibus,* eorumq; parentibus, ante diluvium, Sacræ Literæ his verbis commemorant. *Gigantes,* inquit ‖ *Ambrosius, Sacræ Scripturæ Conditor ex Angelis & mulieribus generatos asserit. Angeli,* inquit * *Sulpitius, speciosarum formâ virginum capti, illicitas cupiditates appetierunt, ac, naturæ suæ originisq; degeneres, relictis superioribus, quorum incolæ erant, matrimoniis se mortalibus miscuerunt; ex quorum coitu Gigantes editi esse dicuntur, cum diversæ intra se naturæ permixtio monstra gigneret.* Deniq; *Diabolus,* inquit † *Epiphanius, petulanter egit, quemadmodum & illi qui postea carnis amore flagrârunt,*

† *Pædag. l. 2. c. 2. p. 222.*

‖ *Stro. 3. p. 450.*

* *De Idol. c. 9. de Veland. Virgin. c. 7. de Cultu fœm. l. 1. c. 2.*

† *P. 29.*

‖ *Ed. Ox. p. 13. & p. 99.*

* *L. 2. c. 14.*

† *Præp. Evang. l. 5. c. 4.*

‖ *De Noe & Arca c. 4.*

* *Hist. S. l. 1. §. 3.*

† *Hær. 64. n. 21*

runt, & cum filiabus hominum stupri consuetudinem habuerunt. Ubi *Petavius hanc Patrum vetustiorum ferè omnium communem sententiam fuisse* dicit. Hanc autem fabulam ex vanis *Judæorum Traditionibus* desumptam fuisse dubitare non potest is, qui novit * *Philonem* non modo ἄγγελοι in textu legisse, sed contendere eos, juxta *Mosis* verba, *cum fœminis revera consuesse*; [i] *Josephumq;* fidenter pronuntiare, quod *multi Angeli Dei cum mulieribus congressi progeniem procreârunt insolentem, &, fiduciâ roboris, omne jus fasq; contemnentem.* Sed Apocryphum *Enochi* Librum hanc fabulam plenius enarrasse constat. Scriptum est enim, teste † Origene; ἐν τῇ Ενὼχ, *in libro Enoch,* (περὶ) τῆς τῶν υἱῶν τοῦ θεοῦ καταβάσεως εἰς τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων; *de descensu filiorum Dei* (*in diebus Jared*) *ad filias hominum*: Verba Enochi, apud [k] *Grabium*, sunt hæc; *Ad filias hominum terræ diverterunt, & cum iis dormierunt, polluti cum mulieribus.* De eodem Libro, vide *Tertullianum* de Cultu Fœminarum, l. 1. c. 2. & *Hilarium* in Psalm. cxxxii. p. 1062.

* *De Gigant. p. 211*

† *Com. in Joh. p. 132.*

Hos tamen omnes S. Antistites, per tria Sæcula uno ore eadem docentes, [l] *Theodoretus sydera tos & valdè stupidos pronuntiat, Scripturas S. oscitanter legere ait; Valdè insanire, rem omnium absurdissimam, immo blasphemam, loqui docet Chrysostomus.* Inter Hæreticos ponit * *Philastrius.* Ut mittam *Augustinum* de Civ. Dei, l. 15. c. 23. *Basilium Seleucien sem*, Orat. 6. & *Cassianum*, Coll. 8. c. 21. de hâc Antiquorum Patrum hallucinatione mitius loquentes.

* *In lat.*

---

[i] Πολλοὶ Ἄγγελοι Θεοῦ γυναιξὶ συμμιγέντες ὑβρισας ἐγέννησαν παῖδας. Antiq. l. 4. c. 4. p. 8.

[k] Ἐπορεύθησαν πρὸς τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων, καὶ συνεκοιμήθησαν μετ' αὐτῶν, καὶ ἐν ταῖς πλείαις ἐμιάνθησαν. Grab. Spicileg. p. 350.

[l] Ἐμβροντήτους καὶ ἄγαν ἠλιθίους in Gen. q. 47.

Cap. XVII. *Tulit autem Abraham omnes vernaculos domûs suæ, universosq; quos emerat, & cunctos mares ex omnibus viris domûs suæ, & circumcidit carnem præputij eorum.* v. 23. Et Cap. xiv. v. 14. *Numeravit expeditos vervaculos suos trecentos decem & octo*] Hæc verba respiciens [m] *Barnabas* mysticam eorum significationem ad hunc modum explicat: Quod Abrahamus, qui primus dedit Circumcisionem, *in Spiritu prospiciens in Filium, circumcidit, (eos,) accepto trium literarum documento: Narrat enim Scriptura quod Abraham viros è domo suâ decem & octo, & trecentos, circumcidit. Quæ ergo illi in hoc data est cognitio, discite. Primo decem & octo, dein trecentos. Decem autem & octo exprimuntur, per Iota decem, η octo: Habes initium nominis* Ιησῦς; *quia vero crux in figura literæ* T, *quæ designat numerum* Ccc, *habitura erat gratiam, ideo ait & trecentos. Ostendit itaq; Jesum in duabus literis, & crucem in tertiâ. Scit hoc, qui insitum donum doctrinæ suæ posuit in nobis.* Et post tam putidum Commentum, hæc addit; *Nemo Germanum magis à me sermonem didicit*; nec multum hic enitor.

Has autem περιεμπνεία dono Spiritus Sancti tribuere, tremulum magis sapit, quam *Apostolum.* * Clemens Alex. dicit, Dominici signi typum, quod ad figuram attinet, fuisse τὸ τριακόσιον σημεῖον, elementum quod significat trecentos; ἰῶτα *autem & θῆτα significare nomen salutare; significari ergo eos esse Abrahæ domesticos, & ei conjunctos, quod ad salutem attinet, qui ad signum & nomen Domini confugerunt.*

* *Strom. 6. p. 656.*

Patres reliquos in hâc Allegoriâ cum *Barnaba* consentientes vide apud † *Cotelerium.* Duo tamen hujus Commenti fundamenta convellere videantur.

† *Not. in Barnab. p. 19.*

---

[m] Ἐν τῷ πνεύματι προβλέψας εἰς τὸν υἱὸν πεπίστευκε λαβὼν τριῶν γραμμάτων δόγματα —— ὁδοὺς γνησιώτερον ἔμαθεν ἀπ' ἐμοῦ λόγον. Sect. 9.

1°. Quod

1°. Quod Litera *Tau*, apud Hebræos, nec crucem exhibet, nec numerum τριακόσιον, ſed τετρακόσιον.

2°. Quod *Cadmus*, à quo literas Græcas ſe accepiſſe *Græci* fere omnes agnoſcunt, poſt *Abrahami* ætatem floruit, tempore nimirum *Judicum*. Vide ſententiam hanc plenius refutatam à *Coteleriо*, loco citato.

Cap. XIX. 24. *Et pluit Dominus ſulphur & ignem à Domino.*] Hinc probat [p] *Juſtinus* Dei Filium *alium eſſe numero Deum ab eo qui omnia condidit.* Hoc autem probat, 1°. *Quia ingenitus Deus & Pater omnium neq; aſcendit nec deſcendit: Pater omnium nec venit in locum aliquem, neq; ambulat, nec eſt movens, aut loco comprehenſibilis: Verum hæc omnia reſpiciunt eum Filium ejus, qui juxta ejus voluntatem Deus eſt. Aliter,* [o] inquit, *Si Scripturas interpretemur, eò res evadet, ut Pater & Dominus omnium tum in Cælis non fuerit.* * *Irenæus* pariter: *In everſione Sodomitarum Scriptura ait, Et pluit Dominus ſuper Sodomam & Gomorrham ignem & ſulphur à Domino de cælo: Filium enim hic ſignificat, qui & Abrahæ conlocutus eſt, à Patre accepiſſe poteſtatem judicandi Sodomitas, propter iniquitatem eorum.* * *L. 3. c. 6.*

† *Tertullianus* ex his verbis infert, *Dominum ſe Dei Filium oſtendiſſe.* ‖ *Cyprianus* ex iiſdem probat, *Nihil Patrem judicare, ſed Filium.* Utq; mittam *Euſebium*, Demonſtr. Evang. l. 5. c. 23. *Athanaſium*, contra Gregales Sabellij, p. 655. *Hilarium*, l. 5. de Trin. p. 84. *Ambroſium*, l. de Fide, cap. 2. alioſq; à *Feuardentio* in locum *Irenæi* citatos: * *Concilium Syrmienſe* Anathemate conſtringit eos

† *Adv. Prax. c. 13.*
‖ *Teſt. ad Quirin. p. 3. n. 33.*
* *Apud Hilar. de Synod. p. 373.*

---

[p] Ἕτερον ἀριθμῷ εἶναι θεὸν τοῦ τὰ πάντα ποιήσαντος, λέγω — ἐκεῖνον τὸν Χριστὸν βάλλην τῷ ἐκείνου καὶ θεὸν ὄντα, υἱὸν αὐτοῦ. Dial. cum Tryph. p. 276, 277. & p. 356.

[o] Ἐὰν μὴ οὕτω νοήσωμεν τὰς γραφὰς, συμβήσεται τὸν πατέρα καὶ κύριον τῶν ὅλων μὴ γεγενῆσθαι ποτὲ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. p. 357.

qui

qui contra ſentiebant, his verbis: *Si quis, Pluit Dominus à Domino, non de Patre & Filio intelligat, ſed ſeipſum à ſe dicat pluiſſe, Anathema ſit.* Sunt tamen digna notatu *Gallaſij* in Notis ad *Irenæum* verba. Sed quia debilis eſt illa probatio, & *Judæi* nos magis exagitant, ac rident Hæretici, quaſi Scripturas torqueamus teſtimoniis deſtituti, præſtat ſane alios locos planiores, cum de tanta re agitur, in medium adferre. Nam planè videtur *Moſes* ad Majeſtatem Dei contemplandum, atq; admirabile illud ſupplicium, quod ſolâ manu ſuâ Deus exequutus ſit, mentes noſtras evehere: Atque idem eſt cum ait pluiſſe à Deo, ac ſi diceret *à Seipſo.* Quam Interpretationem ſequuti ſunt *Chryſoſtomus*, *Oecumenius*, & *Theophylactus*; dum exponunt ſimilem Pauli locum, Δῴη ἐυτῷ ὁ κύριος εὑρεῖν ἔλεος παρὰ κυρίου. 2 Tim. i. 18.

V. 36. *Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre ſuo.*] Eſt hic itidem notandum, *Patres* Antiquiſſimos inceſtum hunc filiarum Lot omni crimine abſolviſſe. Cum enim * *Irenæus* in genere dixiſſet *de quibus Scripturæ non increpant, ſed ſimpliciter ſunt poſitæ, nos non debere fieri accuſatores----- ſed typum quærere*; exemplum exhibet in Loto, qui eduxit de *Sodomis* filias ſuas, quæ conceperunt de patre ſuo. " Etenim Lot non ex ſua " voluntate, neq; ex ſuâ concupiſcentiâ carnali, " neq; ſenſum, neq; cogitationem hujuſmodi " operationis accipiens, conſummavit typum. " Neſciente enim homine, neq; libidini ſervi" ente, diſpenſatio perficiebatur, per quam duæ " filiæ, id eſt duæ Synagogæ, ab uno & eodem " patre in ſobolem adoptatæ, ſignificabantur " ſine carnis libidine. Et pro filiabus Loti hanc Apologiam exhibet. † " Illæ quidem filiæ, ſe" cundum ſimplicitatem & innocentiam, pu" tantes univerſos homines periiſſe, dicebant " hæc (quæ ſcripta ſunt v. 32.) Quapropter & " ipſæ excuſabiles ſunt, arbitrantes ſe ſolas re" lictas

* L. 4. c. 50 & 51.

† Ibid.

" lictas cum patre ſuo ad conſervationem ge-
" neris humani ; & propter hoc circumveni-
" ebant patrem. Per verba autem eorum ſigni-
" ficabatur neminem eſſe alterum, qui poſſit fi-
" liorum generationem majori & minori Syna-
" gogæ præſtare, quam patrem noſtrum. Pater
" autem generis humani Verbum Dei eſt. To-
" tum autem ſignificabatur per Lot ; quoniam
" ſemen Patris omnium, id eſt, *Spiritus Dei*,
" per quem facta ſunt omnia, commixtus, &
" unitus eſt carni, hoc eſt plaſmati ſuo : Per
" quam commixtionem & unitatem, duæ Syna-
" gogæ, id eſt, duæ Congregationes fructifican-
" tes ex patre ſuo filios vivos vivo Deo. *Ori-
genes*, Hom. 5. in Geneſin, non ſine judicio
contra ſenſum allegoricum ab *Irenæo* allatum,
hæc objicit. " * Scio nonnullos, quantum ad * *F.* XI.
" Allegoriam pertinet, Lot traxiſſe ad Domini *H.* 1.
" Perſonam, & Filias ejus ad duo Teſtamenta ;
" ſed hæc, qui ſciat quid de *Ammonitis* & *Moa-
bitis*, qui de genere Lot deſcendunt, Scriptura
" dicit (Deut. xxiii. 3. Nehem. xiii. 1.) neſcio ſi
" libenter accipiat. Filias tamen Loti excu-
ſat his verbis : " † Suſpicatæ ſunt tale aliquid fa- † *Ibid. G.*
" ctum, quale audierant in temporibus *Noæ* ; &,
" ad reparandum Mortalium Poſteritatem, ſo-
" las ſe eſſe cum Patre ſervatas. Recupe-
" randi ergo humani generis deſiderium ſumunt,
" atq; inſtaurandi ſæculi, ex ſe dandum opi-
" nantur exordium. Et quamvis grave eis cri-
" men videretur furari concubitum patris, gra-
" vior tamen eis videbatur impietas, ſi humanæ,
" ut putabatur, Poſteritatis ſpem, ſervatâ caſti-
" tate, delerent. Propter hoc ergo conſilium in-
" eunt minori, ut ego arbitror, culpâ ; ſpe ta-
" men argumentoq; majore patris mæſtitiam
" vel rigorem vino molliunt & ſolvunt ; ſin-
" gulis ingreſſæ noctibus, ſingulæ ſuſcipiunt ab
" ignorante conceptum ; ultra non repetunt,

" non

" non requirunt. Ubi hic libidinis culpa? U-
" bi inceſtûs crimen arguitur? Quomodo dabi-
" tur vitio, quod non iteratur in facto? Juxta
† *L.* 1. *de Abraham. cap.* 6. † *Ambroſium* pariter, " excuſantur Filiæ Sancti
" Loth; quia putaverunt non vicinæ Regionis,
" ſed totius Orbis, fuiſſe illud excidium, ſe ſolas
" cum patre ſuperſtites omnibus populis re-
" manſiſſe; & ideo ne genus deficeret huma-
" num, paternum petiſſe concubitum, ut ſemen
" generationis humanæ de patre ſuo reſuſcita-
" rent. Non ergo libidinis vitium fuit, ſed ge-
" nerationis remedium; quod non puto crimi-
" nis duci loco.

* *In Gen. Qu.* 70. * *Theodoretus* illas omnimodo κατηγορίας ἀδίκους à *crimine immunes*, ob eandem rationem, pronuntiat. † *Chryſoſtomus* tam patrem quam filias ab
† *In Gen. Hom.* 44. *p.*363,364. omni crimine, ex S. Scripturæ teſtimonio, immunes pronuntiat. Vide, inquit, accurate ſcopum Scripturæ pro ipſis Apologiam ferentis, καὶ παντὸς αὐτὰς ἀπαλλάξεις ἐγκλήματος, & omni eas crimine abſolves. Et rurſus; Quomodo non eſſet extremæ dementiæ atq; ſtultitiæ, eos, quos Sacra Scriptura liberat ab omni crimine, immo pro quibus tantam Apologiam facit, nos peccati plenos condemnare?

Cap. XXXVIII. 25. *Ex viro cujus hæc ſunt, concepi.*] Thamaris inceſtum ab omni crimine liberant Patres non pauci, fructumq; ex eo ortum myſticè plures exponunt. *In gemino hoc fœtu,*
**L.*4. *c.*42. juxta * *Irenæum, clarè indicat Scriptura eum quidem populum qui habet coccinum ſignum, id eſt, eam fidem quæ eſt in præputio, præoſtenſum quidem in Patriarchis, poſt deinde ſubſtractum ut naſceretur frater ejus; deinde ſic eum, qui prior eſſet, ſecundo loco natum, qui eſt cognitus per ſignum coccinum quod erat in eo, quod eſt paſſio juſti præfigurata in Abel, & deſcripta à prophetis, perfecta vero in noviſſimis temporibus in filio Dei.* " Si veris intendas animum, inquit † *Am-*
† *S.* 1. *de Abraham. cap.* 6. " *broſius*, non hæc mulier tam famoſa quam ju-
" ſta;

" ſta : Non enim temporalis uſum libidinis " quæſivit, ſed ſucceſſionis gratiam concupi- " vit ; ſed non ita iſtam defendimus, ut illum " accuſemus, immo utrumq; excuſemus. Non " autem nos, ſed Myſterium quod copulæ iſtius " fructus expreſſit : vides quanta ænigmata my- " ſterium prodant — cur enim alter manum præ- " miſit ex utero, alter genitali præceſſit exortu, " niſi quia per geminorum myſterium, gemina " deſcribitur vita populorum, una ſecundum le- " gem, altera ſecundum fidem, una ſecundum " literam, altera ſecundum gratiam?" *Thamar* ſedens habitu * meretricis typum gerit Eccleſiæ ex gentibus evocatæ, inquit † *Auguſtinus*, accipiens annulum, monile, & virgam, vocatione ſignatur, juſtificatione decoratur, glorificatione exaltatur. *Judas*, juxta *Theodoretum*, ſciens unde concepiſſet, illam innocentem pronuntiavit. Gemini autem duos denotabant populos, Phares ſcilicet populum Judaicum, Zara vero eos qui ex Gentibus crediderunt. Eodem modo Myſterium explicat S. *Chryſoſtomus* ; hæc autem præmittit, *Nemo hæc audiens Thamar incuſet, diſpenſatio enim obſervata eſt, & propterea neq; illa reprehenſionem ullam ſuſtinuit, nec Judas criminibus oneratus eſt.*

* *In Gen. qu.* 95. 96.
† *Contra Fauſtum. c.*38. *l.*22.

Cap. XLIX. 11,12. *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem aſinam ſuam, lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum. Rubicundi erunt oculi ejus vino, & dentes ejus ex lacte candidi.* Quæ omnia hoc tantum ſignificant, tantam futuram eſſe in tribu Judæ racemorum copiam, ut vulgo Aſini vitibus alligarentur, viteſque tantam vini copiam profundere, ut eo uti, aquæ ad morem, ſine detrimento potuiſſent ad veſtes abluendas, eoq; bibendo oculi eorum rubicundi eſſent.

P Καὶ διὰ τοῦτο ἐπὶ αὐτῇ μέμψις τινὰ ὑπέμεινεν, ἕτι ὁ Ιουδὰς ἐγκλήμασιν ὑπόδικος γέγονε. Ho. 68. in Geneſ. p. 477.

Mirum

Mirum tamen quot hic Myſteria invenerunt Patres Antiquiſſimi, qui, cum * *Theodoreto* in locum, hæc omnia ad Chriſtum ejuſq; paſſionem, genteſque per ejus diſcipulos ad fidem adducendas, referunt: *Pullum*, inquit, *populum Gentilem appellat, utpote indomitum & rectore carentem, quem manſuetum reddiderunt diſcipuli Chriſti, ad fidem eos adducentes. Pullum hunc alligarunt viti, hoc eſt, ſibi ipſis. Per ſtolam, Chriſt corpus, per vinum αἷμα μυϛικὸν Sanguinem quem Chriſtus vinum myſticum appellavit, per integram ſententiam τὸ σωτήριον πάθος paſſionem ſalutarem, quâ peccata noſtra abluuntur, & per ruborem oculorum τὴν μετὰ τὸ πάθος εὐφροσύνην lætitiam quæ ſecuta eſt paſſionem, lavans in ſanguine uvæ ſtolam ſuam*, juxta [q] *Juſtinum, paſſionem ejus quam ſubiturus erat prænuntiavit, per ſanguinem purgans ſibi credentes.* † *Irenæus* cùm hæc verba citaſſet, *inquirant*, inquit, *quæ vitis, & qui pullus ejus, & quod indumentum, & qui oculi, & qui dentes, & quod vinum, & unumquodque ex dictis exquirant, & invenient non alium niſi Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum annuntiatum. Vinum allegorice vocari ſanguinem Domini*, ex his verbis probat || *Clemens Alex. Origines*, citatis his verbis, *alligans ad vitem pullum ſuum, Hoc*, inquit, *de Chriſto & proprie & ſingulariter dicitur, & Stola Chriſti, quæ lavatur in vino, meritò ejus intelligitur Eccleſia, quam ipſe mundavit ſibi ſanguine ſuo. Sanguinis veterem figuram in vino recognoſcas*, inquit *Tertullianus, in rubore veſtimentorum ejus qui venit ex Edom: ſed multo manifeſtius Geneſis in benedictione Judæ, ex cujus tribu carnis cenſus Chriſti proceſſurus, jam tunc Chriſtum in Juda delineabat:* Lavabit, inquit, in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ amictum ſuum; ſtolam & amictum, carnem demonſtrans, & vinum ſanguinem. His adde ex

* *In Geneſ. qu.* 110.

† *L.* 4. *C.* 23.

|| *Pædagog. L.* 1. *c.* 6. *p.* 105.

* *Ho.* 17. *in Geneſ. F.* 28. *D.F.*

* *Contra Marcion. L.* 4. *c.*40.

[q] Παραγγελλικὸν ἦν τῷ πάθει ἃ πάσχειν ἔμελλε, δι' αἵματος καθαίρων τοὺς πεδίοντας αὐτῷ. Apol. 2. p. 74.

Feuar-

Feuardentio Athanaſium, Qu. 105. ad *Antiochum*, *Chryſoſtomum*, Ho. 67. in *Geneſin*, *Ambroſium* de benedictionibus Patriarcharum, C. 4. *Auguſtinum* Cont. Fauſtum, *l.* 12. *cap.* 42.

SECTIO SECUNDA

Continet Patrum quædam in Exodum *Scitamenta.*

CAP. III. 2. *Videbat quod Rubus arderet, & non combureretur.*] Indicat hoc, ſecundum [a] *Theodoretum*, "Quod unigenitus humanitatem "aſſumens, & Virginalem Uterum inhabitans, "immaculatam ſervaret Virginitatem." Hoc, inquit, [b] *Gregorius Nyſſ.* "Moſes videtur per eam "lucem agnoviſſe, quod enim tunc per flammam "& rubum ſignificabatur, progrediente tempore "perſpicue in myſterio Virginis apertum fuit." Quemadmodum enim ibi ignis accendit rubum, & rubus non comburitur, ita hic Virgo lucem parit, & non corrumpitur. Inſuper dicit, typo Rubum præfigurare Virginis Deiparæ corpus. En rationem demonſtrativam! Caro etenim eo ipſo quod caro eſt peccatum eſt: Peccatum autem in Scripturâ vocatur Spina. Ignis in Rubo, inquit * *Cornelius à Lapide*, eſt Deus in carne, ſive Verbum caro factum. Rubus enim ſpinoſus, aſper, humilis & vilis, ſignificat Chriſti Humanitatem. "Succenſus Rubus quid aliud ſignificat, niſi

* *In locum.*

---

[a] Ὁ μονογενὴς ἐκανθρώπησε, καὶ παρθενικὴν οἰκήσας κοιλίαν φυλάξει τῷ παρθενίαν ἀκήρατον. in Exod. qu. 6.

[b] Ὥσπερ γὰρ ἐκεῖ ἡ βάτος, καὶ ἄπτει, τὸ πῦρ, καὶ οὐ καίεται, οὕτω καὶ ἐνταῦθα ἡ παρθένος, καὶ τίκτει τὸ φῶς, καὶ οὐ φθείρεται. Orat. in Natal. Dom. To. 2. p. 776.

"quod

" quod ex illo populo exiret, qui in igne Deitatis carnis noſtræ dolores, quaſi Rubi ſpinas, " ſuſciperet; & inconſumptam humanitatis noſtræ ſubſtantiam, etiam in ipſâ Divinitatis " flammâ, ſervaret? Hinc & *Cyrillus Al.* contra *Eutychetem* probat, " Duas Naturas in Chriſto " manſiſſe integras, illæſas, & inconfuſas: Sicut in rubo hoc integer manſit tam rubus, " quam ignis. *Cornelius à Lap.* ibid.

Porro [c] *Juſtinus M.* ex hoc loco Exodi, in ſe ſuſcipit demonſtrare, eum qui in Rubo apparuerit Moſi, & allocutus eſt ei in igne flammæ, & dixit ei, *Ego ſum Deus Abrahæ, Iſaaci, & Jacobi,* non Conditorem omnium fuiſſe, ſed ejus Filium. Hoc autem Argumento utitur: *Quod nemo, cui vel minimum mentis ſit, auſus ſit dicere, factorem & parentem omnium ſuper cæleſtia omnia reliquiſſe, & in exigua terræ parte apparuiſſe.* Unde infert, eum fuiſſe *Verbum, miniſtrans ſupermundano Deo, ſuper quem alius non eſt.* † *Tertullianus* pariter: " Quale eſt, ut Deus Omnipotens, Inviſibilis, quem nemo videt hominum, nec videre poteſt----Ille Altiſſimus in Paradiſo ad " veſperam deambularet, quærens Adam; & " Arcam poſt introitum Noe clauderet; & apud " Abraham ſub quercu refrigeraverit; & Moyſem in rubo ardenti vocaverit: Ni hæc in " imagine, & ſpeculo, & ænigmate fuiſſent; " ſcilicet & hæc nec de Filio Dei credenda fuiſſe, ſi non eſſent ſcripta, fortaſſe non credenda de Patre, licet ſcripta.

† *Adv. Prax. c. 16.*

V. 8. *Educam de terrâ illâ in terram bonam, & ſpatioſam, in terram quæ fluit lacte & melle.*

---

c Τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων καὶ πατέρα, καταλείποντα τὰ ὑπ' ἐρανὸν ἅπαντα, ἐν ὀλίγῳ γῆς μορίῳ πφάνθαι. Dial. cum Tryph. p. 282, 283, 284.

d *Barna-*

Barnabas ex dono Scientiæ, ut ait, hæc ita interpretatur. *Discite quid dicit cognitio, sperate in Jesum qui in carne manifestandus est vobis: homo siquidem est terra quæ patitur; ex substantiâ enim terræ formatus est Adam. Cur autem dicit, in terram bonam?* Scilicet, *ubi renovavit nos per remissionem peccatorum, efficit ut aliam formam haberemus, & animam puerili similem, ac si nos ipse reformaverit. Sed quare lactis & mellis fit mentio? quoniam infans primum melle, tum lacte vivificit, fide promissionis & verbo vivificati, vivemus terram possidentes.* Et, quod præcipue dolendum est, ob interpretationem tam frivolam & insulsam, erumpit in hæc verba: *Benedictus sit Deus qui sapientiam & intellectum occultorum suorum posuit in nobis.* * *Tertullianus* carpit Judæos, quod terram sanctam *Judaicum* proprie Solum reputant. *Carnem potius Domini interpretandam, quæ exinde, & in omnibus Christum indutis, terra sit sancta, vere sancta, per incolatum Spiritûs Sancti, vere lacte & melle manans, vere Judæa, per Dei familiaritatem.*

* *De resur. carnis. c.* 26.

Cap. 4. 3. *Projecit virgam in terram, & versa est in Colubrum*, i. e. secundum † *Irenæum, in typum incarnationis Dominicæ*, de quâ, post multa alia typica, ut ipsi videbatur, documenta, sic pergit: " Propter hoc & Moyses, ostendens typum, projecit " Virgam in terram, ut, ea incarnata, omnem " Ægyptiorum prævaricationem, quæ insurgeret " adversus Dei dispositionem, argueret, absorberet. Ubi *Feuardentius*; Virgæ Mosaicæ transmutationem *adventum filii Dei in carnem præsignâsse, cum Irenæo, sentiunt etiam plerique Antiquorum.* Virga per quam geruntur hæc omnia, per quam Ægyptus subjicitur, & Pharaoh superatur, juxta ‖ *Ori-*

† *L.* 3. *C.* 29.

‖ *Ho.* 4. *in Exod. F.* 35.

---

d Τί λέγει ἡ γνῶσις μαθετε, ἐλπίσαι ὅτι τὸν ἐν σαρκὶ μέλλοντα φανερῶθαι ὑμῖν Ἰησοῦν χειρὸν — ἀναξαίνισας ἡμᾶς — ἐπέθηκεν ἡμᾶς ἄλλον τύπον, καὶ παιδίον ἔχειν τὴν ψυχήν. Sect. 6. — Εὐλογητὸς ὁ κύριος ἡμῶν ὁ σοφίαν καὶ νοῦν θέμενος ἐν ἡμῖν τῶν κρυφίων αὐτοῦ. Ibid.

ginem, Crux Christi est, per quam mundus hic vincitur, & princeps hujus mundi, cum principatibus & potestatibus, triumphatur. Sufficiens erat Moses servientes ipsos, inquit [e] *Gregorius Nyss. in terram promissionis reducere, virgæ in serpentem versæ auxilio, quâ mihi videtur manifestari per ænigma Mysterium Deitatis hominibus apparentis per carnem Domini.*

* *Lib. de Solom. c. 2.* * *Ambrosius* denique: "Sic & alibi *Moses* virgam "projicit in terram, quæ in similitudinem est cor"porata Serpentis, quæ & ipsa imago erat cor"poris Domini; ideo omnium Ægyptiorum po"testatem, quia tantæ virtutis in se typum ge"rebat, absorbuit". Reliquos vide apud *Feuardentium* in locum *Irenæi.*

Cap. XII. 51. *Eâdem die eduxit Dominus filios Israel de terrâ Ægypti.*] *Universa, inquit* † *Irenæus, quæ ex Ægypto fiebat profectio populi à Deo, typus & imago fuit profectionis Ecclesiæ quæ erat futura de gentibus.* Figuræ istius singulas partes copiosâ oratione exhibet *Origenes*, Hom. quintâ in *Exodum*, cum aliis quos vide apud *Feuardentium* in locum. Pergit *Irenæus*: *Propter hoc & in fine educens eam hinc in suam hæreditatem, quam non Moyses quidem famulus Dei, sed Jesus filius Dei in hæreditatem dabit*: Terram Sanctam respiciens, in qua cum Christo Rege suo Ecclesiam in fine mundi futuram credidit *Irenæus.*

† *L. 4. c. 50.*

Cap. XVII. 11. *Cumque levaret manus Moses, vincebat Israel.*] Levâsse Mosem manus suas *in formâ Crucis* hariolantur Patres haud pauci. Ita [f] *Barnabas*: *Dicit spiritus ad cor Mosis ut faceret signum Crucis, & ejus qui erat passurus, quia, si in hunc non speraverint, semper debellabuntur. Posuit ergo Moses*

---

[e] ὡς μοι δοκεῖ δι' αἰνίσματος τὸ διὰ σαρκὸς φανερωθὲν τῆς κυείας μυστήριον τῆς φανείσης τοῖς ἀνθρώποις θεότητος. De vitâ Mosis. To. 1. p. 192.

[f] "Ινα ποιήσῃ τύπον σταυροῦ— ἵνα γνῶσιν ὅτι ὁ δύναται σωθῆναι, ἐὰν μὴ ἐπ' αὐτῷ ἐλπίζωσι. Sect. 12.

brachium

rachium ſuper brachium in medio aggeris, *&, omnes ſupereminens, manus extendebat, ſicque rurſus Iſraelitæ vincebant : cum autem manus demittebat, iterum occidebantur. Cur hoc? ut cognoſcerent ſe non poſſe ſalvari, niſi ſperaverint in illo Jeſu Nave contra Amalechitas pugnante* : inquit [g] *Juſtinus M.* Moſes ipſe Deum orabat, manibus utrinque expanſis : non enim, propterea quod Moſes orabat, populus in prælio ſuperior erat, ſed quod, nomine Jeſu in primâ acie verſante, ipſe Crucis ſignum fecerit. *Nec prævaluiſſet Moſes oratione, notante* * *Tertulliano, niſi quia illic, ubi nomen Jeſu dimicabat, Crucis quoque habitus erat neceſſarius, per quam Jeſus victoriam erat relaturus.* Hoc ſigno Crucis & *Amalec* victum eſſe ab Jeſu per *Moſem* ex his verbis probat † *Cyprianus.* Utque reliquos mittam, extendens manus, inquit || *Theodoretus, typum implevit pro nobis crucifixi.*

* *Contr. Marcion. L. 3. c. 18.*

† *Teſt. ad Quirin. L. 2. N. 21.*

|| *In Exod. ch. 34.*

Cap. XX. v. 5. *Viſitans peccata patrum ſuper filios.*] Deum Veteris Teſtamenti *Marcionis* Diſcipuli ſævitiæ incuſabant, quoniam minatus eſſet ſe peccata parentum in filios redditurum. In hoc Sermone ſolent nos Hæretici ſugillare, inquit **Origenes*, quod non ſit boni Dei ſermo, qui pro peccatis alterius alium plecti dicat, ſed ſecundum ipſorum rationem, qui dum legis mandatum, & ſi non bonum, juſtum tamen dicunt, nec ipſi quidem poſſunt oſtendere, quomodo, ſecundum ſenſum ſuum, juſtitiæ ſuæ convenire videatur, ſi alius, alio peccante, puniatur. Et † Lib. ſecundo de principiis, Cap. quinto : Sed hæc ita ſentiunt, qui nihil audire, præter literam, norunt ; alioquin oſtendant quomodo juſtum eſt, ſecundum literam, in tertiam & quartam progeniem, parentum reddi peccata in ſinum filiorum. A nobis autem talia iſta non ſecundum literam in-

* *Ho. 8. in Exod. Fol. 44.*

† *F. 127. P.*

---

[g] Ἀλλ' ὅτι ἐν ἀρχῇ τ μάχης, τὸ ὀνόμα ⊙ Ἰησοῦ ὄν ⊙, αὐτὸς τὸ σημεῖον τ σταυρ ἐποίει. Dial. cum Tryph. p. 317, 318.

† *In Ezek.* 18. *F.* 105. telliguntur, *&c.* † Hieronymus pariter dicit, "Solere hoc in loco Hæreticos, qui vetus non "recipiunt Instrumentum, contra Creatorem di- "cere; Quam bonus & justus Deus Legis & Pro- "phetarum, qui, quiescens & silens ad peccata "patrum, reddit his qui non peccarunt! immo "quanta in eo crudelitas, ut iram suam usque "ad tertiam & quartam generationem extendat! "*Hieronymus* ergo in loco Exodi scandalum oc- "cultum agnoscit, quod injustitiæ videretur "Dei, alium peccare, & alium luere pœnas. Si "enim reddit peccata patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, injustum videtur "ut alius peccet, & alius puniatur. Sed ex eo "quod sequitur, *his qui oderunt me*, comminationis sive præcepti scandalum solvit; non enim "ideo puniuntur in tertiâ quartâque generatione, quia deliquerunt patres eorum, cum patres potius, qui fuerunt peccatores, puniri "debuerunt; sed quia patrum extiterunt æmulatores, & oderunt Deum hæreditario malo, & "impietate in ramos quoque de radice crescente. [h] *Cyrillus Alexandrinus* disertim asserit, hanc pœnæ in filios trajectionem ad tertiam quartamque generationem *a normâ justitiæ multum aberrare, Deumque adeo hoc tantum velle, quod quanquam iram suam adversus eos qui ipsum odio habent in tertiam quartamque generationem distulerit, eos tandem pœnis afficiet.* ‖ *Theodoretus dicit, nudæ literæ hic attendere* Συκοφάντης *impium esse, Deum ipsum docuisse contrarium imperando,* Deut. 24. 26. Ezek. 18. 3. Denique cum *Cyrillo consentit, comminatione hâc divinam clementiam indicari, adjectum est enim his qui oderunt me*, i. e. *si nepotes & posteri patrum & progenitorum consequentur nequitiam, supplicium de eis sumam.*

‖ *Ch.* 40. *in Exod.*

[h] Ἐκκεκινήκαι πολὺ τὸν τῆς δικαίου δίκτμον, in Joh. ix. 1, 2, 3.

SECTIO TERTIA

Exhibet Patrum Speculationes quasdam in Leviticum.

CAP. I. V. 3. *Qui obtulerit hostiam Domino de pecoribus, id est, de bobus & ovibus* ; v. 10. *de capris* ; v. 14. *de turturibus, aut pullis columbæ.*] Miro acumine ludunt Antiqui in Allegoriis suis de Sacrificiis hisce, eorumq; partibus, rituq; quo offerri debeant.

Etenim in hoc conveniunt penè omnes cum * *Augustino* ; qui, de Christo scribens, " Hic est, " inquit, qui nunc in hœdi typo, nunc in ovis, " nunc in vituli offerebatur. Hœdus, quòd Sa- " crificium pro delictis sit ; Ovis, quòd volun- " taria bestia ; Vitulus, quòd immaculata sit " Victima. † Bos significat Christi Fortitudi- " nem & Labores ; Ovis, ejus Innocentiam ; " Hœdus, formam Peccatoris ; Turtur, arctam " cum Deo conjunctionem ; Pulli Columba- " rum, mansuetudinem ". Ita *Cyrillus Alexand.* Lib. 15. *de Adoratione in Spiritu & Veritate.* Et *Procopius*, in Cap. iv. *Levit.* nondum satis " Christum pariter inveniunt in Mincha incar- " natum, mortuum, crucifixum. Est enim " Mincha caro Christi, primò in clibano, id " est in utero B. Virginis in incarnatione cocta ; " Secundò, in sartagine, id est passione Crucis " frixa ; Tertiò, in craticula ejusdem crucis " mortua, ut percoctum nobis in Eucharistiæ " Sacramento præbeat panem & alimentum. Ita *Hesychius.* Parum hoc. * *Origenes* & *Beda* per craticulam, sartaginem, & clibanum, intelligunt tres S. Scripturæ sensus ; viz. literalem, moralem, & mysticum, quibus coquitur Ecclesiæ panis.

* *In Apocalyps. c. 6.*

† *Vide Cornel. à Lapide in loc.*

* *In Levit. Hom. 5. F. 65. B.*

nis. Vides, Lector, quo jure *Lorinus Origenem* & *Heſychium* appellat *miros Allegoriſtas*. De Hirco pro peccato, & altero Emiſſario, idem ſentiunt. † Ταῦτα hæc enim, juxta † *Theodoretum*, ſunt τύποι τῦ Δεσπότυ Χριστῦ, typi Domini Chriſti; ita tamen ut hæc duo animalia non pro duabus Perſonis, ſed pro duabus Naturis accipiantur. Cum enim per unum Hircum adumbrari commodè non poſſit mortalitas ſimul & immortalitas Chriſti, neceſſariò duos offerri juſſit; *ut ille qui mactabatur carnis paſſibilem naturam figuraret; qui verò ſolvebatur, indicaret Divinitatis naturam impaſſibilem*; [i] *Cyrillus Alex.* Similiter duo Hirci aſſumuntur, non tanquam duo Chriſti ſint, aut duo Filij, ſed potius quòd oportebat videri eum immolatum pro nobis, & morientem ſecundùm carnem, viventem autem ſecundùm ſpiritum. Deſcriptus autem per utrumq; unus Chriſtus eſt, & moriens pro nobis ſecundùm carnem, & morte ſuperior, ſecundùm Divinitatis naturam.

† *In Levit. Qu.* 22.

2. Ad partes Sacrificij accedimus. Ubi notandum 1. Quòd partes Hoſtiæ pacificæ quæ Deo accedunt, ſunt *Adeps*, qui *operit vitalia*, & quicquid pinguedinis eſt intrinſecus; *Renes cum Adipe*, quo teguntur ilia, & in oblatione ovis, *Adeps*, & *cauda tota*. "Adipes, inquit * *Origenes*, "animam diximus Chriſti, quæ eſt Eccleſia "amicorum ejus, pro quibus animam ſuam po- "ſuit. Poteſt ergo fieri, & in hoc loco, ut quod "mandatur nè quis adipes edat, hoc ſit quod & "Dominus dicit, *Nè quis ſcandalizet unum ex "minimis his qui credunt in eo. Cauda*, quæ finis "eſt corporis, ſymbolum eſt conſummationis & "perſeverantiæ in bonis operibus". Præcepto

* *Hom.* 5. *in Levit. F.* 67. *A.*

---

[i] Ἵνα ὁ μὲν δυόμενος τῆς σαρκὸς τὸ παθητὸν σεβιπώσῃ· ὁ δὲ ἀπολυόμενος δηλώσῃ τὸ ἀπαθὲς τῆς θεότητος. Contr. Julian. l. 9. p. 301, 302.

legis,

legis, inquit * *Gregorius*, " *Cauda* hostiæ in Sa- * *Hom.* 15.
" crificio jubetur offerri ; in *caudâ* quippe finis *in Evang.*
" est corporis ; & ille bene immolat, qui Sacri-
" ficium boni operis usq; ad finem debitæ per-
" ducit actionis ". De sanguinis aspersione ad
hunc modum ludit † *Origenes* ; " Quod de san- † *Hom.* 3.
" guine hostiæ septies ante Dominum Sacer- *F.* 59. *A.*
" dos respergere memoratur, evidenter Sancti Spi-
" ritûs virtus septemplicis gratiæ sub mysterio de-
" signatur. Quatuor cornua Altaris, quæ san-
" guine linuntur, Christi passionem referri qua-
" tuor Evangeliis indicant. Reliquus autem
" sanguis qui ad basin Altaris effunditur, puto
" quòd illius gratiæ formam designat, quâ in no-
" vissimis diebus, postquam plenitudo gentium
" subintroierit, omnisq; reliquus fuerit Israel ad
" ultimum, velut ad basin Altaris positus, effusi-
" onem Christi sanguinis etiam ipse suscipiet.
Porro partes quas Sacerdoti pro cibo concedit Deus, sunt *Pectusculum*, & *Armus dexter* ; de quibus ad hunc modum differit *Origenes* : " Quod
" ergo est Sacerdotis pectus, aut quale ? Tale
" ego puto esse quod plenum sit sapientiæ, ple-
" num scientiæ, plenum omni divinâ intelligen-
" tiâ. Et quid dico plenum intelligentiâ ? Im-
" mo quod plenum sit Deo. Quale est brachi-
" um Sacerdotis, quod ei offerunt filij Israel pro
" salute suâ quâ salvantur ". Similia habent *Hesychius* & *Gregorius* apud *Cornelium à Lapide*, in locum. Ad has autem Allegoricas ineptias ideo Patres confugerunt, quòd cum *Origene* sentiebant præcepta de Sacrificiis, secundùm literalem sensum intellecta, Deo protinus indigna esse. *Hæc omnia*, inquit * *Origenes*, *nisi alio sensu accipiamus* * *In Levit.*
quàm literæ textus ostendit, cum in Ecclesiâ recitan- *Hom.* 5. *F.*
tur, obstaculum magis & subversionem Christianæ 63. *C. D.*
Religioni, quàm rationem & ædificationem præstabunt :
Atq; hinc Allegorias has confinxit, *ut dignè Deo, quæ hic scribuntur, intelligantur.* Et *Theodoretus*,

poſtquam, ex variis animalium ſacrificiis, omnia fere virtutis officia nobis præ oculis poſita, & typicè mandata ſtatuiſſet, & ſpeciatim ex turturum continentiâ, ſecundarum nuptiarum fugam; ex eo quòd Volatilia Legiſlator dividi non juſſit, Deum totâ mente diligendum eſſe, animumq; Volatilium more ſurſum ferendum, nec in terrena & cæleſtia partiendum fore; hæc addit: [k] " Hoc modo Sacrificia intelligentes, legem " de eis inveniemus & infirmitati Judæorum " adaptatam, & Evangelicæ perfectioni non in- " utilem ". Et cum Allegorias conſimiles in medium attuliſſet *Cyrillus Alex.* [l] " Hinc, inquit, " nullo negotio demonſtravimus eos à veritate " multum aberrare, & riſu dignam objectio- " nem contra hæc inſtituta facere, qui, ſoli li- " teræ attendentes, nihil intelligunt eorum quæ " ſub literâ occultantur ". Quæ ex hâc myſticos ſenſus adhibendi κακοηθείᾳ oriuntur tam Eccleſiæ Chriſtianæ, quàm Judaicæ incommoda, vide apud *Spencerum* de Legibus Hebræorum ritualibus, lib. 1. cap. 11. §. 5. Et quàm infenſi eſſent *Origeni* Patres haud pauci, quòd *Allegoriæ umbris, & caſſis imaginibus Scripturarum tolleret veritatem*, vide apud *Huetium Origenianorum*, l. 2. Quæſt. 13. §. 1. Id interim monendum eſt, quod ij ipſi, qui ob hanc circa Allegorias περιέργειαν carpunt Origenem, viz. *Hieronymus*, *Chryſoſtomus*, & præſertim *Auguſtinus*, haud minus peccare ſoleant, aut genio indulgere in veteris teſtamenti myſticis ſenſibus adhibendis; ut mittam *Hilari-*

---

[k] Οὕτω τὰ περὶ τῶν θυσιῶν νοοῦντες, ἁρμόσομεν καὶ τῇ τῶν Ἰουδαίων ἀσθενείᾳ τὸν περὶ τέτων νόμον ἁρμόδιον, καὶ τῇ εὐαγγελικῇ τελειότητι τοιαύτην νομοθεσίαν ἀνεπίπλην. Theodoret. qu. 1. in Levit. p. 116.

[l] Οἱ φιλῶ τῷ γράμματι τὸν ἑαυτῶν ἀφελοῦντες νοῦν, καὶ τῶν ἔσω κεκρυμμένων συνιέντες ἀγνοοῦσιν. De ador. in Spiritu, l. 16.

um, *Ambrosium*, *Gregorium*, haud minùs Allegoriis, quàm ipse *Origenes*, abundantes.

Cap. XI. 47. *Ut differentias noveritis mundi & immundi, & sciatis quid comedere, & quid respuere debeatis.*] Patres antiquissimi ea quæ de cibis, & animalibus mundis & immundis, hoc capite occurrunt, esse vitiorum à quibus cavere, & virtutum ad quas contendere debemus, symbola indigitant: Vel secundùm * *Augustinum*, *Hæc de eis præcepta populo carnali fuisse posita ad significationem humanorum morum, & ut futuram disciplinam spiritualis Christiani populi prophetarent.* [m] *Barnabas* disertim dicit, *Nullum esse à Deo mandatum de non edendo (immunda)*; *Moses autem in Spiritu dixit de porco in hunc finem*; " Ut non versemur cum " hominibus qui similes sunt porcis, qui, in de- " liciis viventes, Domini sui oblivisc untur. Nec " manducabis *Aquilam*, *Accipitrem*, *Milvum*; i. e. " non assimilaberis hominibus qui aliena rapiunt " iniqué". Et post similia, de cæteris animalibus immundis, tropologicè prolata, *Moses*, inquit, *De escis tria decreta edidit in Spiritu*; *illi vero* (Judæi scilicet) *juxta carnis cupiditatem, quasi de escis egisset, acceperunt.* " Horum, inquit, tri- " um decretorum scientiam habuit *David*, di- " citq; similiter, *Beatus vir qui non abiit in consi-* " *lio impiorum*, i. e. sicut pisces ambulant in pro- " fundo maris; *& in viâ peccatorum non stetit*, i. e. " qui velut sus peccant; *& in cathedrâ pestilenti-* " *um non sedit*, quemadmodum aves quæ ad " rapinam sedent". Atq; hæc tanquam ex Tripode, sive ex dono scientiæ, obtrudit, dicendo, *Habetis perfectè de cognitione.* Pergit deniq; ad munda animalia, de quibus edere permissum

* *Contra Adamantium*, c. 15.

---

[m] Οὐκ ἔστιν ἐντολὴν θεοῦ τὸ μὴ φαγεῖν, Μωυσῆς δὲ ἐν πνεύματι ἐλάλησε —— οἱ δὲ κατ' ἐπιθυμίαν τῆς σαρκὸς, ὡς ἀεὶ τῆς βρωμάτων ἐδέξαντο. Sect. 10. p. 6, 7, 8.

est,

est his verbis, Dixit *Moses*, *manducabitis omne bifidum & ruminans*; " Per ruminantem autem in-
" telligit eum qui in corde de verbo Domini me-
" ditatur. Cur autem de bifido mentionem fa-
" cit? Quoniam Justus in hoc mundo ambulat,
" & seculum sanctum (*i. e.* millennium) expe-
" ctat". Et cum interpretationem tam crudam & insulsam protulisset, triumphos agit his verbis, *Videte quàm pulchre sanxerit Moses; nos ergo rectè mandata intelligentes loquimur ut Dominus voluit, propterea aures nostras, & corda corda circumcidit, ut ista animadvertamus.* * *Irenæus* pariter loquens de eis qui propter irrationabilem conversationem jumentis assimilantur, " prædixit, inquit, figuraliter omnia hæc
" lex de animalibus, delineans hominem; quæ-
" cunque duplicem ungulam habent & rumi-
" nant, munda enuntians; quæcunque autem
" aut utrumque, vel alterum horum non habent,
" velut immunda segregans. Qui sunt ergo mun-
" di? Qui in Patrem & Filium per fidem iter
" firmiter faciunt; hæc est enim firmitas eorum
" qui duplicis sunt ungulæ, & eloquia Dei me-
" ditantur die ac nocte, uti operibus bonis ador-
" nentur; hæc est enim ruminantium virtus.
" Immunda autem, quæ neque duplicem ungu-
" lam habent, neque ruminant, hoc est, qui
" neque in Deum fidem habent, neque eloquia
" ejus meditantur. *Clemens Alexandrinus* dicit, Mosem his verbis, *Non comedes leporem, nec hyænam, συμβολικῶς indicâsse, nolle se τῆς ποιότητος αὐτῶν μεταλαμβάνειν ἄνθρωπον, hominem qualitatis eorum participem esse.* His accedit, quòd sentit, non oportere nos his assimilari animalibus, *citra ullam dubitationem significare sapientissimum Mosem per hoc interdictum.* " Quid stultius, inquit || *Septimius*,
" quid infirmius, quàm sacrificiorum cruento-
" rum, & holocautomatum nidorosorum à Deo
" exactio? quid infirmius quam vasculorum &
" grabatorum purgatio? Quid tam humile

* *L.* 5. *c.* 8. *p.* 410.

† *Pædag. L.* 2 *c.* 10. *p.* 188.

|| *Lib.* 5. *Contra Marcion*

quám

" quàm talionis indictio? Quid tam contempti-
" bile quàm ciborum exceptio"? * Novatianus * C. 12.
de cibis Judaicis verba faciens, ſic incipit; " Im-
" primis illud collocandum eſt, legem eſſe ſpi-
" ritalem, quam ſi ſpiritalem negant, utique
" blaſphemant; ſi, devitantes blaſphemiam, ſpi-
" ritalem confitentur, ſpiritaliter legant — cæ-
" terum culpa gravis inuritur, ſi terreſtris & hu-
" mana ſacris & ſpiritalibus literis doctrina præ-
" ſtatur; quod ne fiat cavendum eſt. Caveri au-
" tem poteſt, ſi, quæ à Deo præcepta ſunt, ſic
" tractantur, ne auctoritatem ejus minuant aſ-
" ſumpta; ne, dum quædam impura & non
" munda dicuntur, inſtitutio illorum infamem
" reddiderit inſtitutorem". Objiciens igitur le-
gem latam de cibis mundis & immundis; " Quid
" igitur, inquit, dicemus? Immundáne ergo
" animalia? Quid enim eſt aliud, non munda,
" quam quæ lex à ciborum uſu ſeparavit? Quid
" enim & illud quod jam diximus, ergo & inſti-
" tutor non mundorum Deus, & culpa factorum
" in artificem redunbabit, qui non munda pro-
" duxit; quod utique dicere ſummæ extremæ-
" que inſcitiæ eſt, Deum accuſare quaſi inſtitue-
" rit immunda, & divinæ majeſtati crimen in-
" ferre, quaſi fecerit reproba. Spiritalis ergo
" lex iſta ſpiritaliter recipienda eſt, ut legis ra-
" tio divina & certa præſtetur". Inſolentiùs
adhuc loquitur *Origenes* his verbis: " Si adſidea-
" mus literæ, & ſecundum hoc quod *Judæis*, vel
" id quod vulgo videtur, accipiamus quæ in lege
" ſcripta ſunt, erubeſco dicere & confiteri quia
" tales leges dederit Deus; videbuntur enim
" magis elegantes & rationabiles hominum le-
" ges; verbi gratiâ, vel *Romanorum*, vel *Athenien-
" ſium*, vel *Lacedæmoniorum*: ſi verò ſecundum
" hanc intelligentiam, quam *docet Eccleſia*, acci-
" piatur Dei lex, tunc plane omnes humanas
" ſupereminet leges. His ita præmiſſis, ſpiritali,

" ut

" ut commonuimus, intelligentiâ de mundis &
" immundis animalibus aliqua perſtringamus".
Sciunt eruditi Ethnicos hanc *Judæorum* de cibis, quos lex immundos pronuntiat, ſententiam deriſiſſe, atque Hæreticos, præſertim *Manichæos*, hanc legem contemptui habuiſſe ; quod ex *Auguſtini* loco, contra *Adamantium Manichæum* antea producto, liquet. Atque hinc fieri potuit ut Patres, præeuntibus *Judæis* inter *Gentiles* verſantibus, Allegoricum hunc ſenſum amplecterentur. Ut enim mittam ea quæ * *Plutarchus* contra *Judæos* objicit, nempe quòd quæ ab ipſis dicuntur μύθοις ἔοικεν *fabulis ſimilia ſunt*, niſi *fortaſſe rationes quaſdam probas habeant, quas non afferunt* ; [n] *Ariſtæus* dicit, " Videri multis quædam eorum quæ lege
" ſancita ſunt ſupervacuam continere curioſi-
" tatem ; ea nempe quæ reſpiciunt eſculenta,
" & poculenta, & immundorum diſcrimina.
" Quibus reſpondet Pontifex *Eleazarus*, Deum
" hæc ſanxiſſe τεθπολομικῶς, figuratâ oratione,
" ſermonem ad emendationem morum dirigens.
" *Moſes* enim hæc omnia ſancte inſtituit Juſtitiæ
" gratiâ, ad caſtimoniam, morumque perfectio-
" nem ; per animalia quæ impura nuncupavit
" παράσημον ἔν ἔθετο, ſymbolo docuit potentiâ
" aut viribus ſuis ad opprimendam aliorum li-
" bertatem, aut illos ullo rei genere ſpoliandos,
" nunquam abutendum eſſe ; ſed potius ſummâ
" cum æquitate vitam inſtituendam eſſe ; quem-
" admodum cicures iſtæ & manſuetæ volucres
" & pecudes, quarum uſum nobis conceſſit ad
" morum informationem". Et poſt alia ejuſdem generis multa, *hæc*, inquit, *Pontifex, Græcis ad ſe miſſis, de ſenſu legum Sacrarum allegorice diſſeruit.*

* *Sympoſ. l. 4. Qu. 5.*

[n] Νομίζειν τοῖς πολλοῖς ἀδιάφορα ἔχειν τινὰ πρὸς ἐν τῇ νομοθεσίᾳ, λέγω δὲ περί τε βρωτῶν, καὶ ποτῶν, καὶ πρὸς νομιζομένων ἁγνεύεσθαι εἶναι. Apud Euſeb. præp. Ev. l. 8. c. 9.

Philo

° *Philo* similiter, de ruminantibus & ungulam dividentibus scribens, " Hanc, inquit, legem si " juxta literam inspiciamus, non video quam ha- " beat rationem ; sin autem figuratam rationem " respicias, rationem habet valde necessariam ". Quibus dictis, pergit in tropologiâ illâ adhibendâ, quâ Patres antea laudati usi sunt.

Cap. XII. v. 2. *Mulier si susceperit semine peperit masculum, immunda erit septem diebus.*] " Communis Patrum olim fuit sententia, inquit *Cor-* " *nelius à Lapide*, Virginem parientem Christum, " hâc lege non fuisse comprehensam, eò quod " ipsa non ex suscepto viri semine suum emit- " tens, sed ex Spiritu sancto Christi corpus ex " purissimo ejus sanguine efformante, Christum " conceperit ". Ita docent *Origenes*, *Eusebius Emissenus*, *Chrysostomus* ; gravissimè verò * *Cyrillus Alexandrinus* his verbis ; " Clarè patet in quantam " impietatem prolabantur *Ariani*, qui Deiparam " Mariam iis sacrificiis, quæ pro puerperis ex le- " ge offerri mos esset, opus habuisse asserant ". Fateor in † *Origene* hæc verba reperiri, *Non superfluo addidit Legislator, mulier si conceperit semen, & pepererit filium ; sed esse exceptionem mysticam quæ solam Mariam à cæteris mulieribus segregaret, cujus partus non ex conceptione seminis, sed ex præsentiâ Sancti Spiritûs, & virtute Altissimi fuerit.* Hæc autem in se falsa esse constat ; Christum enim non tantùm ex semine Davidis, sed ex semine mulieris natum esse sacra Scriptura disertim asserit, matremque ejus διὰ τὸν καθαρισμὸν αὐτῶν ob utriusque purificationem sacrificium juxta hanc legem obtulisse, Luc. 2. 22. Nec tantum || *Tertulliani* spurcitias genitalium in Christi partu agnoscentis, sed etiam veræ *Origenis* sententiæ esse prorsus contraria, qui Homiliâ in verba Lucæ

* *L. 2. de fide ad Reginas.*

† *Ho. 8. in Levit. F. 74.*

|| *De carne Christi. C. 8. El. 3. Contra Marcion. c. 11.*

° Πρὸς τὸν ῥητὸν ὁπίσκεψιν, ἐκ οἷς ἂν ἔχοι λόγον, πρὸς δὲ τὸν ἐπόνοιαν ἀναγκαιότατον De Agricult. p. 160.

prolata,

prolata, *propter purgationem eorum*, "Si, inquit, scriptum esset, propter purgationem ejus, id est Mariæ quæ pepererat, nihil quæstionis oriretur; & audaciter diceremus Mariam, quæ homo erat, purgatione indiguisse post partum". Unde pronum est conjicere, hæc, quæ sequiorem ætatem redolent, *Origeni à Rufino* addita fuisse.

Cap. XXI. à Ver. 16. ad vicesimum. *Homo de semine tuo qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo: Non accedet ad Ministerium ejus, si cæcus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, vel manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculis, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel hernioſus.*]

* *In Levit. Qu.* 30. "Deus, inquit * *Theodoretus*, eum qui habet aliquam maculam in corpore non permittit ministrare, per affectiones involuntarias prohibens ea quæ ex consilio procedunt; oculorum quippe cæcitas cognitionis inopiam significat; auris amputatio inobedientiam; naris autem ablatio discretionis privationem; manûs abscissio in agendo socordiam; eodemq; modo de reliquis sentiendum est". † *Cyrillus Alexandrinus* rem latius prosequitur, atq; hoc præmittens, *Vitio verti à rerum Conditore non posse debilitates corporis quæ ex naturâ præter voluntatem eveniunt*, hos omnes corporis defectus atq; ἀνωμαλίας varia vitiorum animi genera notare contendit.

† *De Ador. in Spiritu, l.* 12. *p.* 412, 413. "Ineptus, inquit, ad Sacerdotium est spiritualiter cæcus, i. e. planè imprudens, menteq; & prudentiâ carens; & claudus, id est, qui rectè incedere nescit, atq; ad integre ambulandum non est firmus; gibbosus, i. e. in terram incurvatus, & ad carnis affectus proclivis". Et sic deinceps. Eademq; habet *Gregorius M.* de Curâ Pastorali, Cap. ult.

SECTIO QUARTA

Exhibet quasdam Patrum Stricturas in Numeros.

CAP. III. 39. *Viginti duo millia.*] Lepidam hic rationem assignat *Theodoretus*, cur minor fuerit cæteris Levitarum numerus, viz. *tanquam imperantium*: *Oportet enim eos qui præsunt, subditis esse pauciores.*

Cap. XII. 1. *Locuta est Maria & Aaron contra Mosem, propter uxorem ejus Æthiopissam.*] "Per "nuptias Moysi, inquit * *Irenæus*, *nuptiæ verbi* "*ostendebantur*; & per *Æthiopissam* conjugem, ea "quæ ex Gentibus est Ecclesia manifestabatur". † *Apollinarius* ait Mosem, post Sephoram, duxisse hanc Æthiopissam, *ut typus esset Domini Christi, qui, post Israeliticam, Ecclesiam ex Gentibus desponsavit.* Hanc autem sententiam appellat *Theodoretus* fabulam magis anilem, quàm illud ‖ *Josephi* de bello *Mosis* contra *Æthiopes*, & *Regis* filiam post partam victoriam ducentis: *Fabulas autem fingere non est Spiritûs Divini.* His adde quòd Sephora ipsa sit Æthiopissa, seu Cuthitis, nec aliam, post ipsam, *Mosi* nupsisse legimus.

* *L. 4. c. 37. p. 336.*

† *Apud Theodoret. Qu. 22.*

‖ *Antiq. l. 2. c. 10.*

Cap. XIII. 17. *Vocavitq; Hosee filium Nun Jehosua.*] * *Justinus M.* docet *Mosem* in mysterio docuisse ὅτι ἀυτῦ τὸ ὄνομα τῦ θεῦ Ιησῦς ἦν, quod *Jesus esset Dei ipsius nomen*: "De Angelo enim qui po-"pulum suum introducturus esset in terram Ca-"naan sic dicit, *Non rebella ei, non enim dimittet* "*te, nomen namq; meum in eo est.* Si ergo consi-"deretis eum, qui populum in terram duxit, Je-"sum vocatum esse, intelligetis hæc verba, scil: "*nomen meum in eo est*, Jesum indicare. † *Tertullianus*

* *Dial. cum Tryph. p. 300.*

† *Contrà Jud. c. 9.*

lianus ibidem : " Dum *Mosi* succeſſor deſtinatur " Auſes filius Nave, transfertur certè de pri- " ſtino nomine, & incipit vocari Jeſus. Certè, " inquis, hanc prius dicimus figuram futuri fu- " iſſe. Nam quia Jeſus Chriſtus ſecundum po- " pulum (quod ſumus nos Nationes in Sæculi " deſerto commorantes antea) introducturus eſ- " ſet in terram repromiſſionis, melle & lacte " fluentem, id eſt in vitæ æternæ poſſeſſionem, " quâ nihil dulcius, idq; non per *Moſem*, id eſt " per Legis Diſciplinam, ſed per *Jeſum*, id eſt " per novæ Legis Gratiam, ideo is vir, qui in " hujus Sacramenti imaginem parabatur, etiam " nominis Dominici inauguratus eſt figurâ, ut " Jeſus nominaretur". Atq; hoc, poſt *Juſtinum M.* probat ex his verbis Exod. xxiij. 21. *Nomen meum ſuper illum eſt.* Porro ex eo quod *Mosi* ſucceſſit *Joſua*, inferunt Legi Moſaicæ novam legem inducendam : " Idcirco enim *Mosi* ſucceſſit, ut " oſtenderet novam legem, per *Jeſum Chriſtum* " datam, veteri Legi ſucceſſuram, quæ data eſt " per *Moſem*". Ita *Tertullianus* adv. *Marcion.* l. 3. c. 16. *Lactantius* de verâ Sapientiâ; l. 4. c. 17. *Hieronymus* in Pſal. lxxxvi. 2. In Circumciſione per *Joſuam* factâ, ſpiritualis noſtræ Circumciſionis, inquiunt, figura erat, ſignificans nudandum eſſe pectus, id eſt, aperto & ſimplici corde oportere nos vivere. Ita *Tertullianus* contra Judæos, c. 9. *Lactantius* ibid. Deniq; * ut *Joſua typicus credentem meretricem Raab vivam ſervavit, ita verus Jeſus dicit, Ecce publicani & meretrices præcedunt vos in regnum Dei.* Vide *Irenæum*, l. 4. c. 37. p. 337.

* *Cyril. Hieroſ. Catech.* 10. p. 87.

Cap. XV. 32. *Cum inveniſſent hominem colligentem ligna.*] " Is, qui arida ligna attulit in ca- " ſtra Dei, juſtè lapidatus eſt, inquit † *Irenæus* : " *Omnis enim arbor quæ non fert bonum fructum ex-* " *ſcindetur, & in ignem mittetur.*

† L. 4. c. 20.

Cap.

Cap. XVIII. 20. *Dixit Dominus ad Aaron, in terrâ eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos : Ego Dominus pars & hæreditas tua.*] Hæc de diſcipulis Domini dicta eſſe aſſerit * *Irenæus*; *utpote qui dereliquerant patrem & matrem, & omnibus proximis renuntiaverunt, propter verbum Dei, & teſtamentum ejus.* * *Ibid.*

Cap. XIX. 2. *Præcipe filiis Iſrael, ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in quâ nulla ſit macula.*] [p] *Barnabas* de vaccâ hâc rufâ multa de cerebro ſuo finxiſſe videtur. 1. Quod juvencam hanc offerre ex mandato debuerunt viri *conſummatæ nequitiæ.* 2. *Quod baculo alliganda eſſet lana coccinea, cum hyſſopo, ut populus ſanguine aſpergeretur.* 3. Quod eſſent *tres pueri ſanguinem aſpergentes.* Rem autem ad hunc modum explicat; viz. *Vitulus ille Jeſus eſt; homines nequam qui eum obtulerunt ſunt ij qui dominum ad necem adduxerunt: Pueri autem aſpergentes ſunt ij qui fauſtè nuntiaverunt nobis remiſſionem peccatorum, & purificationem cordis, quibus dedit Evangelij prædicandi poteſtatem; quiq; ſunt duodecim, in tribuum teſtimonium, quia apud Iſraelitas duodecim erant tribus.* Sed cur tres pueri aſpergentes? Εἰς μαρτύριον--- *in teſtimonium Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, qui magni fuerunt coram Deo.* Cur vero lana in ligno aut baculo? *Quia regnum Jeſu in ligno exiſtit. Hæc*, inquit, *nobis manifeſta ſunt, Judæis autem obſcura.* " Vacca hæc, juxta † *Theodoretum*, προ- † *In Numer. Qu.* 35.
" τυποῖ τὸ σωτήριον πάθος, præfigurat ſalutarem
" paſſionem, quæ totius mundi delictum ab-
" ſtulit. Et 1. Vacca rufa prænotat τὸ γήϊνον
" σῶμα corpus terreſtre, quia nomen Adæ ter-

[p] Ἄνδρες ἐν οἷς ἁμαρτίαι τέλειαι — ὁ μόχος ἔτός ἐστιν ὁ Ἰησοῦς· οἱ προσφέροντες ἄνδρες ἁμαρτωλοὶ οἱ προσενέγκαντες αὐτὸν. ὅτι σφαγὴν — τί τρεῖς παῖδες οἱ βαπτίζοντες; εἰς μαρτύριον Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ — τί τὸ ἔριον ὅτι τὸ ξύλον; ἅτι βασιλεία τοῦ Ἰησοῦ ὅτι τῷ ξύλῳ. Sect. 8.

" ram rubram ſignificat ; ex quâ corpus ipſius
" formatum eſt. 2. Quod vacca maculâ care-
" bat, Chriſti Domini à peccato impunitatem
" innuit. 3. Quod vacca jugum ſubiiſſe non
" debet, Servatoris noſtri libertatem ſignificat.
" Jugum enim denotat ſervitutem. 4. Quod
" vacca hæc mactatur extra caſtra, indicat paſ-
" ſionem Servatoris extra portam peractam.
" 5. Totam vaccam unà cum pelle & reliquis
" cremari mandavit, quia Chriſti Domini om-
" nia erant munda. 6. Cedrinum lignum cru-
" cis ſymbolum fuit ; ſicut enim illud immune
" eſt à corruptela, ita lignum crucis vivificat.
" 7. Hyſſopus adjicitur, quia color vivificans
" diſſolvit frigiditatem mortis. 8. Coccinum
" ſignum erat ſanguinis Dominici. Deniq;
" eum qui cremavit vaccam impurum eſſe di-
" cit uſq; ad veſperam, ad eos denotandos qui
" *Dominum Chriſtum* crucifixerunt ". O quam ſimplex eſt Divi Pauli de hâc vaccâ diſſer-tatio, Hebr. ix. 23, 24. & ab his περιεργείαις aliena!

Cap. XXII. 4. *Linget populus hic omnes circui-tus noſtros, ſicut bos lambit herbas.*] Cur tali uſus eſt exemplo? Ob hoc, ſine dubio ; Quia vitu-lus ore abrumpit herbam de campo, & linguâ, tanquam falce, quæcunq; invenerit, ſecat ; ita ergo & populus hic, quaſi vitulus, ore & labiis pugnat, & arma habet in verbis & precibus. Hanc expoſitionem *Origenes* agnoſcit ſe didiciſſe à Magiſtro quodam qui ex Hebræis crediderat. Hom. 13. ſuper Numeros, F. 116. B.

V. 22. *Balaam inſidebat Aſinæ ſuæ.*] *Aſina hæc typum geſſit corporis Chriſti ; Salvator enim onus peccatorum noſtrorum in ſe ſuſcepit.* * *Irenæus.* Jux-ta † *Origenem* vero, " Hæc aſina eſt Eccleſia, quæ
" prius portabat *Balaam*, id eſt contrarias po-
" teſtates, nunc vero Chriſtum, ex quo ſoluta
" eſt à Diſcipulis, & à quibus innexa erat vinculis
" libe-

* *Ed. Oxon.* p. 470.
† *Hom.* 13. F. 117. A.

" liberata, ut Filius Dei ſederet ſuper eam, &
" cum ipsâ ingrederetur ſanctam civitatem Hi-
" eruſalem cæleſtem". Quæ in animum inducunt proverbium illud, *Aſini caput ne laves nitro*; i. e. ne multum operis impendas in rem vilem.

SECTIO QUINTA

Exhibet Patrum in Deuteronomium παρερμηνείας.

CAP. IV. ver. 19. *Ne fortè, levatis oculis in cælum, videas ſolem, & lunam, & aſtra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas quæ creavit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus quæ ſub cælo ſunt.*] Ex hoc loco docent Patres antiquiſſimi, Deum non tantum Gentibus permiſiſſe ſolis & aſtrorum cultum, ſed etiam corpora illa cæleſtia iis in cultum tradidiſſe. *Solem quidem*, inquit [q] *Juſtinus*, *Deus dedit prius adorari, ut ſcriptum eſt.* [r] *Clemens Alexandrinus* ſimiliter: *Dicit Lex, Deum dediſſe Ethnicis ſolem, & lunam, & aſtra quæ fecerit, in cultum; ne, ſi omnino eſſent athei, prorſus etiam interirent.* Et paulo poſt; *Hæc enim via erat data gentibus, ad Deum per aſtrorum cultum aſſurgere.* * *Origenes*, *Clementis* diſcipulus, ad hæc verba, *fortè reſpiciens*, ſic loquitur: " *Sol, luna & aſtra*, ut ante nos quidam diſſeruerunt, illis conceſſa erant qui minus digni

* *Com. in Joh. p.* 48.

---

[q] Τὸν μὲν Ἥλιον ὁ Θεὸς ἐδεδώκει προτέρων εἰς τὸ προσκυνεῖν αὐτὸν, ὡς γέγραπται. Dial. cum Tryph. p. 349.

[r] Τὸν ἥλιον καὶ σελήνην, καὶ τὰ ἄστρα, εἰς θρησκείαν ἀπέλιπεν ὁ Θεὸς τοῖς ἔθνεσι φησὶν ὁ νόμος, &c. Strō. 6. p. 669.

" habebantur, *ut Deus deorum eorum Deus dice-*
" *retur.* Sic autem rem accipiebant, moti ex iis
" quæ in Deuteronomio ſic ſe habent : *Ne, cum*
" *ſuſpexeris ſolem & lunam, & omne cœli ornamen-*
" *tum, adorabis ea, quæ diſtribuit Deus tuus cunctis*
" *gentibus.* Vobis autem non ſic dedit Domi-
" nus Deus tuus, ſed Gentibus ; ut qui non poſ-
" ſunt ad Intelligibilem Naturam recurrere, per
" deos ſenſibiles, ad Deitatem (agnoſcendam)
" animum erigentes, ſaltem lubenter in his ſiſte-
" rent, nec ad Idola, & Dæmonia colenda pro-
" labantur". Et rurſus libro quinto adverſus Celſum, eidem roganti quare Judæi non colerent ſolem, lunam, & aſtra, reſpondet hoc in ipſis his verbis eſſe prohibitum : [s] " Quod ſi à nobis,
" inquit, pariter exigatur ratio cur non cola-
" mus ſolem, lunam, ſidera, alioſq; quos Græci
" appellant ἐυφανεῖς θεὸς, καὶ αἰσθητὰς, *conſpicuos &*
" *ſenſibiles deos* ; dicemus quod Moſis Lex ſcit
" Deum hæc attribuiſſe omnibus gentibus ſub
" cœlo ; non autem eis quos in peculiarem por-
" tionem elegit ſibi ex omnibus terræ populis".

* *Dem. Evang. l. 4. c. 9.*

* *Euſebius* dicit " iis qui per infirmitatem ſuffici-
" entes non eſſent τὸν ἀόρατον ἐποπτεύειν, *Deum in-*
viſibilem conſpicere, eundem ſolem, lunam, & aſtra
conceſſiſſe, ne ad contrarias, & Dæmoniacas poteſtates
converterentur. Viſibilium ergo opera præſtantiſſima
conveniebat iis tradi, qui nihil præſtantius concepiſſent,
ut in iis quodammodo ille, qui oculis cerni non potuit,
quaſi in ſpeculo, contemplandus appareat. In hanc autem ſententiam *Judæos* Patres adduxiſſe ex his Interpretum LXX verbis conjicio, qui Hoſeæ c. 13. com. quarto hæc habent : *Ego ſum Deus firmans*
cælum, & creans terram, cujus manus firmârunt om-
nem exercitum cæli, & non dedi tibi ea, ut poſt ea

---

[s] Ὁ Μωϋσέως νόμος ἐπίσταται τούτους ἀπονενοημένους μὴ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ, οὐκέτι δὲ καὶ πρὸς εἰς ἐξαίρετον μερίδα ληφθεῖσι παρ' αὐτοῦ. P. 236.

incederes. Quibus adde hæc *Tryphonis* verba, apud [t] *Justinum*: " Demonstra nobis alium esse De-
" um, præter opificem universi; *solem* & *lunam*
" dicere cavens, *quæ scriptum est à Deo permissa*
" *esse, ut tanquam deos adorarent.*

Cap. V. 22. *Hi sunt sermones omnes quos loquutus est Dominus ad omnem synagogam filiorum Israel in monte, & nihil adjecit, & scripsit ea in duabus tabulis lapideis.*] " Deus, secundùm * *Ire-* *L. 4. c. 28.
" næum*, primò quidem per præcepta naturalia,
" quæ in initio insita dedit hominibus, admonet
" *Judæos*, id est per Decalogum, & nihil plus
" ab eis requisivit; quemadmodum *Moses* in
" Deuteronomio ait, *Hi sunt sermones*, &c. † At †*Ibid. c. 29.*
" ubi conversi sunt ad Vituli factionem, & re-
" versi sunt animis suis in Ægyptum, servi pro
" liberis concupiscentes esse, aptam concupi-
" scentiæ suæ receperunt reliquam servitutem,
" à Deo quidem non abscindentem, in servitu-
" tis autem jugo dominantem eis. Quemadmo-
" dum & *Ezechiel* propheta, causas talis legis da-
" tæ reddens, ait, *Cum post concupiscentiam cordis*
" (Heb. gilili abotthem, *idola patrum suorum*)
" *erant oculi eorum, & ego dedi eis præcepta non bo-*
" *na, & justificationes in quibus non vivent in eis*".
* *Hieronymus* pariter in hæc verba *Jeremiæ*, c. vij. * *Fol.* 125.
22. *Non sum loquutus patribus vestris, & non præ-* *F.*
cepi eis, in die quâ eduxi eos de terrâ Ægypti, de ver-
bo holocautomatum, & victimarum; " Manifestim,
" inquit, intelligitur, quod primùm Decalogum
" dederit in tabulis lapideis scriptum digito Dei,
" &, post offensam Idololatriæ, caputq; Vituli,
" postea jusserit sibi magis fieri quàm Dæmoni-
" bus, auferens puram Religionem mandatorum
" Dei, & concedens sanguinem victimarum,

[t] Ἀ μέλλεσθαι τοῖς ἔθνεσιν συγχωρηκέναι τὸν θεὸν, ὡς θεοῖς προσκυνεῖν. Dial. cum Tryph. p. 274.

" carniumq; desiderium ". Rem ipsam quod attinet, eadem docet * *Justinus M.* his verbis, " Ex quo autem injustus & ingratus " erga Deum populus vester apparuit, vitulo in " eremo fabrefacto, ex tunc Deus, ad populum " hunc se accommodans, hostias etiam tanquam " nomini suo offerre præcepit, ne Idola colere- " retis". Atq; hoc firmat ex locis *Jeremiæ* & *Ezechielis* jam adductis. Idem docent [v] *Constitutiones Apostolicæ*, his verbis : " Sit tibi ante oculos po- " situm cognoscere quid sit Lex naturalis, quid " autem postea addita, quæq; in eremo con- " flantibus vitulum sunt introducta. Lex enim " in iis consistit, quæ Deus locutus sit antequam " populus in Idololatriam inciderit, & Apim illam Ægyptiorum fecerant; id est, in Deca- " logo ; quæ illis, postquam peccârunt, in- " jecta sunt, vincula fuerunt ". Patres quarti & quinti Seculi cum iis consentientes vide apud *Cotelerium*, Notis ad *Constitutiones Apostolicas* ; ubi hæc addit : " Verùm, non obstante horum au- " ctoritate, compertum habetur ex veritate di- " vinorum eloquiorum, ante vitulum conflatum " & cultum, præceptos fuisse eodem modo quo " postea multos legales ritus, circumcisionem, " sacrificia, pascha, oblationes varias, festa, &c. " Quinimo dimitti præcipiuntur Hebræi ex " Ægypto, ut sacrificent ac immolent Deo ". Quibus adde hæc *Grabij* verba in locum *Irenæi* : " Attamen *Irenæus*, unà cum *Justino M.* aliisq; " recentioribus Patribus, verba *Ezekielis* haud " rectè ad leges de Sacrificiis Deo offerendis re- " tulerunt cum de Sacrificiis, quæ Judæi suâ " sponte Idolis offerre suis injungebant, sint in-

* *Dial.cum Tryph. p.* 237.

---

[v] Νόμ☉ γάρ ὅτι τίνα ἐλάλησε ὁ θεὸς περὶ τῶ τὸν λαὸν εἰδωλολαβῆσαι, τετίσι ὁ δεκάλογ☉, ἃ δὲ ἁμαρτήσασιν αὐτοῖς ἐπιτέθη, δεσμά. L. 1. c. 6. p. 139.

" telli-

" telligenda, ut ex ſequenti v. 26. et 31. &
" Actorum Apoſtol. c. 7. v. 39, 43. conſtat."

Cap. XVI. 5, 6. *Non poteris immolare Phaſe in quâlibet urbium tuarum : ſed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi, immolabiſque Phaſe veſpere ad ſolis occaſum.* Ex hoc loco contendit * " *Irenæus Moyſem* diem Paſſionis Filii " Dei non ignorâſſe, ſed figurative prænuntia- " viſſe, eam Paſcha nominans ; & in eadem ip- " ſâ, quæ ante tantum temporis à *Moyſe* prædi- " cata eſt, paſſus eſt Dominus, adimplens Paſ- " cha ; non ſolùm autem diem deſcripſit, ſed & " locum, & extremitatem temporum, & ſignum " occaſûs ſolis, dicens non *poteris immolare Paſcha*". * *L.* 4. *c.* 23.

Ubi duo *Irenæi* παραδόματα præ oculis ponit *Feuardentius* ; Primò etenim non ipſo, inquit, die ſolennitatis Paſchatis paſſus eſt Chriſtus, ut ſatis colligi poteſt ex *Johannis* 19. 14, 31. Nec illâ ipſâ horâ quâ comedebatur agnus, ſed eo ipſo tempore quod inter eſum agni, & ſabbatum magnum interfluxit, quod tempus more *Judæorum* vocatur dies Paſchæ. Secundò, quod *Irenæus* exiſtimavit vocem Paſchatis deductam eſſe à Græco verbo πάσχειν, quod pati ſignificat, cum tamen vere Hebraica, vel potius Chaldaica ſit, & Tranſitum ſignificet Angeli percutientis Ægyptios, ex 12. 12, 13. Hoc autem illi commune fuiſſe dicit cum *Tertulliano* Lib. contra Judæos, cap. 10. Nazianzeno Orat. ſecunda de Paſchate, p. 683. Lactantio Lib. 4. c. 26. aliiſque.

Cap. 28. 66. *Et erit vita tua quaſi pendens ante te, timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ.*] Id eſt in ſummo inter gentes timore verſabimini, tantaque erit anxietas veſtra, ut neque noctu neque interdiu quieturus ſit animus veſter. Severam hanc comminationem converterunt Patres antiquiſſimi in prædictionem, ſive promiſſum de Chriſto, qui eſt vita noſtra, in cruce patiente, & verba ſequentia, *non credes vitæ tuæ*, in prædi-

ctionem de incredulitate *Judæorum*. Ita † *Irenæus*: "Significans quoniam qui ab initio condi-
"dit & fecit ea Verbum, & in noviſſimis tem-
"poribus redimens & vivificans oſtenditur pen-
"dens in ligno, & non credent ei, ait enim,
"*& erit vita tua pendens ante oculos tuos, & non*
"*credes vitæ tuæ.* Et rurſus, ‖ Verbum caro fa-
"ctum eſt, & pependit ſuper lignum uti uni-
"verſa in ſeipſum recapitularentur, & ſui pro-
"prii illum non receperunt homines. Quemad-
"modum Moyſes hoc ipſum manifeſtavit popu-
"lo, *& erit vita tua pendens ante oculos tuos, & non*
"*credes vitæ tuæ.* Hujus ſigni (*i. e.* Crucis) ſa-
"cramentum variis modis prædicatum eſt, in quo
"vita hominibus præſtruebatur, in quo Judæi
"non eſſent crediturі, ſicut Moſes antea nunti-
"abat in *Exodo* (*lapſu memoriæ*) dicens, *et erit vi-*
ta tua pendens in ligno ante oculos tuos, & non credes
vitæ tuæ. Ita * *Tertullianus*, & infra citans hæc ver-
ba, *lignum attulit fructum ſuum*, dicit Judæis, non
intelligere lignum illud in Paradiſo, quod mor-
tem dedit Protoplaſtis, ſed lignum paſſionis Chri-
ſti, unde vita pendens à vobis credita non eſt.
Quod Cruci Chriſtum fixuri eſſent Judæi, probat
† *Cyprianus* ex his verbis, *Et erit pendens vita tua*
ante oculos tuos, & non credes vitæ tuæ. Inter vati-
cinia de morte ipſius hoc enumerat ‖ *Athanaſius*;
"*Moſes*, inquit, primus magnâ voce id prænun-
"tiat, dicens, Vitam veſtram ſuſpenſam ante
"oculos veſtros videbitis, & non credetis. Chri-
ſti paſſionem, inquit *Epiphanius*, etiam *Moſes* an-
te prænuntians dicebat, *viz. videbitis vitam ve-*
ſtram coram vobis ſuper lignum ſuſpenſam. Quibus
adde *Novatianum* de Trinitate, cap. 9. Lactant. l.
5. c. 18. p. 513. *Cyrillum* Catech. 13. p. 131.
Auguſt. contra Fauſtum M. L. 16. c. 22. *Ruffinum*
in ſymbolo apud *Hieron.* To. 4. F. 49. G.

† *L.* 4. *c.* 23.

‖ *L.* 5. *c.* 18.

* *Adv. Judæos cap.* xi. 13.

† *Ad Quirin. L.* 2. *ch.* 20.

‖ *De incar. Verbi. p.* 87, 90.

Cap. 32. 7. *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi*, v. 8. *Quando*

dividebat

dividebat Altissimus gentes, & quando separabat filios Adam, constituit terminos eorum juxta numerum filiorum Israel. κατὰ ἀριθμὸν Ἀγγέλων θεῦ, *secundum numerum Angelorum Dei.* Ita Interpretes, legentes forte pro beni Israel, beni el. Textui Hebraico convenit non tantum *Versio vulgaris*, sed Aquila, Symmachus, &c. notante *Catena* apud *Nobilium*, ὅπου δὲ λοιποὶ ἐκδεδώκασιν ἐξηγνεῦται. Ita *Codex Samaritanus*, *Targum Jonathan*, & *Hierosolymitanus*, versio *Syriaca*, *Arabica*, *Persica*. * *Origenes* commentario in Matthæum legit κατὰ ἀριθμὸν υἱῶν Ισραὴλ, ita in aliis exemplaribus legi agnoscit † Homil. 28. in Numeros, ita melius legi fatetur, Homilia 13. in Ezek. F. 155. A. & juxta hanc lectionem sensum sic exhibet *Targum Jonathan*, *Cum filii Israelis sive Jacobi, qui in Ægyptum descenderant, fuissent, juxta codices Hebræos, septuaginta, divisit pariter Deus incolas universæ terræ in septuaginta gentes.* Atque hanc interpretationem verissimam esse ex his indiciis colligo; Primo, Quod ex historiis præteritarum ætatum, patrumque, & seniorum traditionibus ad ipsos derivatis, facti hujus notitiam petendam esse commate septimo edocet. Secundo, Quod gentes, ex tribus Noachi filiis per omnes terrarum oras, post diluvium, sparsas, septuaginta fuisse ex capite Geneseos decimo colligitur. Atque hinc orta est traditio non tantum Patrum antiquissimorum, *Irenæi*, *Clementis Alexandrini* aliorumque, sed etiam *Judæorum* & *Ethnicorum*, duas supra septuaginta gentes & linguas olim extitisse, duas nimirum supra septuaginta, propter *Elisam* & *Kainanem* à Græcâ Versione additos: de quibus vide Bocharti phaleg, L. 1. c. 15. Grabium in Irenæum, L. 3. Cap. 33. & Cotelerium notis in librum tertium Recogn. P. 363. De

* *In Matt.* p. 256.

† *Ho. F.* 149. *B.*

---

x Ἑβδομήκοντα δύο χώρας ἀρχαίας ἡ οἰκουμένη εἶναι. Hor. Apoll. Hieroglyph. l. 1. c. 14.

Septua-

Septuaginta Interpretum versione quæ est κατὰ ἀριθμὸν Ἀγγέλων θεῦ *juxta numerum Angelorum Dei*, ingenua est Thomæ Gale conjectura; "Credo eos aliquid dedisse auribus Ægyptiorum, quorum opinionem de divisione antiquâ confirmare viderentur, simul & invidiam declinabant docendo istam divisionem factam non juxta numerum filiorum Israel, quod Ægyptii haud commodè admisissent, sed juxta numerum Angelorum, quod multo honestius sonaret: ii enim non tantum statuunt septuaginta duas fuisse jam olim orbis terrarum Regiones, sed etiam, * ex Angelis Deum stipantibus, per cunctas in terrâ gentes numen aliquod sortitum esse præfecturam, communemque provinciam". Notandum secundo, Patrum plerosque juxta hanc Septuaginta Interpretum versionem hæc verba citâsse, nempe *Clement. Rom.* ep. I. ad *Corinth.* §. 29. *Irenæum* L. 3. c. 12. p. 230. Plerique Græcorum & Latinorum, atque inde, notante Grotio, Christiani materiam sumpsere multa incerta differendi de Angelis, quos hic filios Dei dici arbitrabantur. Hinc enim orta est fabula de Angelis ordinem ipsis commissum transgredientibus, & cum fœminis rem habentibus. Hinc illud Patrum de qualitatibus horum Angelorum divortium, dum aliqui bonos, alii autem Angelos malos gentibus præpositos fuisse statuebant. Alii cum *Justino M.* aliisque non paucis, ex bonis, libidinis æstu, factos malos. Alii denique cum *Origene* & *Hieronymo* utriusque generis Angelos gentibus præponunt. Ita *Clemens Recognitionum* L. 3. Sectione secundâ docet, septuaginta duabus gentibus principales Angelos, ex iis qui ei ministrabant, statuisse. Idem tamen L. 8. c. 55. dicit Deum eos qui bona ele-

* Καθ' ἕκαστον δὲ ἔθνος ἦν ὅτι τῆς γῆς, διακεκληρῶσθαί τινα ὑπ' αὐτῆς κοινὸν θεσπέσιον. Jambl. de Mysteriis Ægypt. sect. 5. cap. 25.

gerunt,

gerunt, suo principatui & curæ sociâsse, eos verò qui ad mala declinarent, Angelis regendos permisisse, his qui non per substantiam, sed per propositum cum Deo permanere noluerunt, invidiæ & superbiæ vitio corrupti. * *Origenes* pariter introducit gentes dicentes, servi erimus tibi, *cum prius non essemus tui, sed virtutum adversariarum servi; Quando enim divisit Altissimus gentes, facti sumus non oves ipsius, neque cum populo Jacob funiculus hæreditatis ejus, sed partes eramus aliorum.*

Sectio Sexta

Proponit paucula quædam Patrum Σχεδιάσματα *in* Josuam.

CAp. 2. VI. *Josue misit duos viros exploratores.* Com. 2. *Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris meretricis nomine Raab.)* Notatu hic dignum est, Primo,* *Irenæum* duos hos viros, vel lapsu memoriæ, vel mysticæ interpretationis gratiâ, in tres viros immutâsse: Sic enim verba ejus se habent: " Raab fornicaria suscepit tres speculato- " res qui speculabantur universam terram, & " apud se abscondit, Patrem scilicet, & Filium, " & Spiritum sanctum ".Secundo, Hanc Raab de Meretrice extemplò Prophetissam constituunt. Hæc enim Meretricis verba cum protulisset *Clemens* Romanus, *certò scio quòd Dominus Deus vester tradet vobis hanc urbem*, continuo subdit, *Videte, Dilecti, non solum fides, sed etiam prophetia in muliere exstitit.* Eadem docet † *Origenes* his verbis,

* *L. 4. c. 37. p. 336, 367.*

† *Hom. in Josh. F. 152. H.*

---

z Οὐ μόνον πίστις ἀλλὰ προφητεία ἐν τῇ γυναικὶ ἐγένετο. Epist. primâ ad Corinth. §. 12.

" ista

" Ista Meretrix, quæ eos susceptit, ex Meretrice
" efficitur jam propheta: dicit enim, Scio quòd
" Dominus Deus vester tradidit vobis terram
" hanc; vides quomodo illa quæ aliquando erat
" Meretrix, & impia, & immunda, nunc jam
" Spiritu sancto repleta est; & de præteritis qui-
" dem confitetur, de præsentibus vero credit;
" prophetat autem, & prænuntiat de futuris."
Tertio, Hanc Raab Ecclesiæ ex Gentibus, immo ex Meretricibus, colligendæ typum fuisse. In
*Ibid.lit.G. * *Origenes*, Raab interpretatur latitudo; quæ
" est ergo latitudo nisi Ecclesia hæc Christi quæ
" ex peccatoribus, velut ex meretricatione, col-
† *Lib.de Solom. c. 5.* lecta est?" Juxta † *Ambrosium* " Raab Meretrix
" Hiericuntis quæ speculatores excepit hospitio,
" & quòd signo cocci signata est, qui color figu-
" ram Christi sanguinis indicabat, & quòd ever-
" sionem civitatis evasit, Ecclesiæ typum ha-
" buit, quæ per sanguinem Christi ruinam mun-
‖*Psal.87.4.* " di istius secura non metuit." ‖ *Augustinus* in hæc verba Psalmistæ, *memor ero Raab*, " Cui, in-
" quit, dictum est ut per fenestram mitteret
" coccum, id est, ut in fronte haberet signum
" sanguinis Christi, salvata est ibi, & Ecclesiam
" Gentium significavit." Denique, " Nemo, in-
* *In Josh. qu. 2.* " quit * *Theodoretus*, indignam existimet Raab
" quæ esset typus Ecclesiæ. Ut enim explora-
" tores credentem mulierem servaverunt, dato
" ei pro signo salutis funiculo coccineo, ita ser-
" vatoris nostri Apostoli τὴν πάλαι πόρνην Eccle-
" am prius meretriciam, & variis Idolis suc-
" cumbentem, ab intemperantiâ revocaverunt,
" & sacratissimo sanguine suo salutem ei com-
" paraverunt." Verbo dicam, vix invenies meretricem in Veteri Testamento, quæ in typum vel Synagogæ, vel Ecclesiæ ex Gentibus colligendæ, à Patribus adscripta non fuerit. De Thamare meretricio habitu ornata, eam typum Ecclesiæ

ex

ex gentibus vocatæ gessisse jam vidimus, notis in Genes. 38. 25. De duabus meretricibus quæ ad judicium venerant Solomonis, quarum una vivum, altera mortuum habebat Infantem, fatetur * *Origenes* " se in Ecclesiâ docuisse quòd illa me- " retrix prior hâc esset, cui Solomon non ille, " sed hic qui pacem venit facere eorum quæ " sunt in cœlis, & quæ in terris, reddi vivum " jussit infantem; illa vero alia quæ mortuum " habebat infantem, illius esset prioris populi " Synagoga. Est & alia meretrix quam in Hosea " jubetur accipere Propheta, in figurâ haud dubio hujus quæ ex gentibus evocata est; talis " ergo & hæc meretrix esse dicitur quæ explo- " ratores susceptit Jesu." † *Ambrosius* in hæc verba *Solomonis, Talis est via mulieris meretricis, quæ, postquam ablata est, dicit se nihil fecisse:* " Meretrix, " inquit, ista Ecclesiæ typus est, aliquando in " gentibus constitutæ, Idolorum cultibus vitiatæ, " quam vanæ superstitionis stupra polluerant; " hanc postea quàm Dominus noster Jesus Christus puro baptismatis fonte perfudit, ablutionem & criminis accipit & nominis, per gratiam fidei." Denique, || *Irenæus* docet " Deum " in operationibus prophetis visum esse, ut per " eos præfiguraret & prædemonstraret futura; " propter quod & Osee propheta accepit uxorem fornicationis, per operationem prophetans, quoniam fornicando fornicabitur terra à " Domino, hoc est, qui super terram sunt homines; & de hujusmodi hominibus beneplacitum habebit Deus assumere Ecclesiam sanctificandam communicatione Filii ejus, sicut & " illa sanctificata est communicatione Prophetæ." Ultimo dicunt meretricem hanc salutem consequutam esse fide coccinei fili, i. e. fide in sanguinem Christi pro vitâ peccatorum fusum. " Signum huic dabant exploratores, in-

" quit

* *Hom.* 3. *in Josh.* F. 152. G. H.

† *L. de Solom.* c. 5.

|| *L.* 4. *c.* 37

" quit [a] *Clemens R.* nempe ut funiculum coc-
" cineum appenderet de domo suâ, *manifestum facientes quòd per sanguinem Domini futura esset redemptio omnibus credentibus, & sperantibus in Deum. Raab fornicaria conservata est cum totâ domo suâ, teste* [b] *Irenæo, fide signi coccinei quod est Paschæ, & redemptio,* & exitus populi ex Ægypto. Quæ explicatiùs sic exhibet *Justinus M.* " Ut eos qui
" in Ægypto fuere sanguis Paschæ salvos con-
" servavit, ita & credentes liberabit à morte
" sanguis Christi; atque hoc signo sanguinis
" præ foribus sparsi, salutem humano generi per
" sanguinem Christi adventuram esse prænun-
" tiavit." *Funiculi etiam coccinei symbolum quod dederunt exploratores meretrici Raab, sanguinis pariter Christi symbolum præ se tulit, per quem Antiqui fornicatores, & injusti ex gentibus omnibus salvantur, remissionem peccatorum accipientes, & non amplius peccantes.* Suffragatores huic allegoriæ alios multos invenies apud *Cotelerium,* notis in Clementem R. p. 85, 86.

* *L.4.c.37.*

Cap. IV. 9. *Duodecim lapides posuit Josua in medio Jordanis alveo.*] Hos totidem Christi Apostolos signâsse docet † *Tertullianus* his verbis;
" Hujus numeri figuras apud Creatorem depre-
" hendo duodecim fontes Elim, & duodecim
" gemmas in tunicâ Sacerdotali Aaronis, & duo-
" decim lapides ab Jesu de Jordane electos: to-
" tidem enim Apostoli portendebantur, perinde
" ut fontes & amnes rigaturi aridum retro,
" & desertum à notitiâ orbem nationum; perinde
" ut gemmæ illuminaturæ sacram Ecclesiæ ve-
" stem, quam induit Christus pontifex Patris;

† *L.4.contr. Marcion. c.13.*

---

[a] Πρόδηλον ποιοῦντες ὅτι διὰ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου λύτρωσις ἔσται πᾶσι τοῖς πιστεύουσιν καὶ ἐλπίζουσιν ἐπ' αὐτόν. Ep. 1. ad Cor. §. 12.

[b] Τὸ σύμβολον κοκκίνου τοῦ σπαρτίου— τὸ σύμβολον τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ ἐδήλου, &c. Dial. cum Tryph. p. 338.

" perinde ut lapides ſolidi fide quos de lavacro
" Jordanis verus Jeſus elegit, & in Sacrarium
" teſtamenti ſui recepit." Venitur ad Elim, inquit * *Origenes*, " *ad duodecim Apoſtolicos fontes:*" Et † *Hieronymus*, " *Venimus in Elim*, id eſt, *ad arie-*
" *tes* & robuſtos principes gregis Chriſtiani, ubi
" duodecim fontes doctrinæ Apoſtolicæ."

* *In Exod. Ho.* 7. *Fol.* 40. *F.*
† *Epiſt. ad Fabiolam.*

Sectio Septima

Continet Patrum Interpretamenta quædam in librum Judicum.

CAP. III. 20. *Verbum Dei habeo ad te.*] Ex Epiſtolis *Hieronymi* ad *Auguſtinum* conſtat, Patres haud paucos de mendacio ob metum mortis aut finem utilem prolato mitiùs ſenſiſſe; & ex commentario || *Hieronymi* in Galatas, ubi *utilem eſſe ſimulationem, & aſſumendam in tempore*, exemplis ex Scripturâ adductis probat. " Nec mi-
" rum, inquit, juſtos homines tamen aliqua ſi-
" mulare pro tempore, ob ſuam & aliorum ſalu-
" tem, uti cum & ipſe Dominus, non habens
" peccatum, nec carnem peccati, ſimulationem
" peccatricis carnis aſſumpſerit." Ubi *ſimilitudinem* ſophiſticè convertit in *ſimulationem*, docetque " Apoſtolum *Paulum* Petro & cæteris tan-
" tùm ſecundum faciem publicam reſtitiſſe, ut
" Hypocriſis obſervandæ Legis, quæ nocebat eis
" qui ex gentibus crediderunt, Correptionis *hypocriſi* emendaretur". In hunc locum *Cornelius à Lapide* fatetur mentitum eſſe Ehud; ſed olim, inquit, in tali caſu & neceſſitate, mentiri licitum eſſe cenſebant non tantum Plebei, ſed & Philoſophi, ac Theologi. * S. *Auguſtinus*, qui contra mendacia officioſa ſtrenuè diſputabat, Aod tamen

|| *F.* 13. 13.

* *L.* 7. *qu. in Judic. c.* 20.

tamen hoc sophismate excusat, quod per verbum intellexerit factum, phrasi Scripturæ, " Quasi " diceret, habeo quod tibi dicam, id est faciam, " scilicet ut te occidam; hoc enim mihi sugge- " rit, jubetq; Deus ". *Davidis* simulationem, quâ mente se captum prætendebat coram Agag, ideo tantum excusat * D. Thomas, quòd *fictio hæc fuerit figuralis, fuit enim David figura Christi, qui, cum esset Deus, alium se esse quasi simulavit, cum carnem nostram assumpsit*; hoc est, *Davidis* fictionem figmento proprio excusat. *Jehu*, dicentem 2 Reg. x. 18. *Ahab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius*, exemplo suo docuisse utilem simulationem esse in tempore, dicit *Hieronymus*, loco supra laudato. *Augustinus* deniq; dicit se scripsisse librum suum contra mendacium, *quoniam visum est quibusdam Catholicis Priscillianistas se debere simulare, ut eorum latebras penetrarent.*

* 2da 2dæ Q. in Avi. 1. ad 2dam.

Cap. VI. 37. Et deinceps, ubi petit 1°. Gedeon *ut vellus solum rore madeat, & in totâ terr â sit siccitas.* 2°. *Ut, vellere sicco existente, terra madeat.*] In hoc *Gedeonis* vellere grande hoc Patres mysterium invenerunt, nempe quòd Ros fidei & gratiæ in *Judæos* primùm descensurus esset, postea verò *Judæis*, propter incredulitatem, arescentibus, cælesti hoc rore maderet Gentium Ecclesia. * *Irenæus*, de missione Spiritûs Sancti in universam terram differens, " Hanc, inquit, muneris " gratiam prævidens *Gedeon* ille *Israelita*, quem " elegit Deus ut salvaret populum *Israel* de po- " tentatu alienigenarum, demutavit petitio- " nem, & super vellus lanæ in quo primùm " ros fuit, quod erat typus populi, ariditatem " futuram prophetans, hoc est, non jam habitu- " ros eos à Deo Spiritum Sanctum, in omni " autem terrâ fieri ros, quod est Spiritus Dei " qui descendit in Dominum ". Atq; huc fortè respexit † *Origenes* his verbis; " Videnda est hu- " jus

* L. 3. c. 19. p. 244.

† Hom. 8. in Judic. F. 184. I.

" jus myſterij ratio, de quâ memini etiam
" quendam de prædeceſſoribus noſtris in libellis
" ſuis vellus lanæ populum dixiſſe Iſrael, reli-
" quam autem terram, reliquas gentes poſuiſſe,
" & ros qui cecidit ſuper vellus, verbum Dei
" eſſe, quod illi ſoli populo cælitus fuiſſet indul-
" tum; ſupra ſolum namque *Iſrael* ros divinæ
" Legis advenerat, ſiccitatem autem habebant
" omnes gentes, quia nullus eis humor divini
" infundebatur Eloquii. Secundi vero ratio ſig-
" ni in contrarium permutatur, in quo, ait, ut
" ſupra omnem terram ros deſcendat, ſupra vel-
" lus autem maneat ſiccitas; cujus rei talis quæ-
" dam ratio deprehenditur, videlicet omnem
" hunc populum qui per omnem terram ex gen-
" tibus congregatus eſt, habentem nunc in ſe
" rorem divinum, videlicet eum *Moſi* rore in-
" fundi, prophetarum literis irrorari, Evangeli-
" co & Apoſtolico humore viridantem: Illud
" autem vellus, id eſt *Judaicum* populum, ſicci-
" tatem, & ariditatem verbi Dei patientem".
Eandem allegoriam vide apud *Ambroſium*, pro-
logo lib. 1. in Spiritum Sanctum; apud * *Augu-* * P. 318.
ſtinum, Qu. 49. in Judic. apud *Theodoretum*, Qu.
15. apud *Hieronymum*, Ep. ad *Paulinum*, de In-
ſtitutione Monachi.

Cap. XI. 30. *Jepthe vovit votum Domino.* V.
35. *Aperui os meum ad Dominum, & aliud facere
non potero.*] Patres in hâc immolatione filiæ *Jep-
the* magna invenerunt myſteria. " *Jepthe*, juxta
" * *Auguſtinum*, illum figurabat qui verus eſt * *Qu.* 49. *in*
" Rex, i. e. Chriſtum; eiq; dixerunt Judæi, *Eris* *Judic.* P.
" *nobis in caput*, quia caput viri Chriſtus, & ipſe 324, 325.
" eſt caput corporis Eccleſiæ. Porro *magnâ pro-*
" *videntiâ* (Deus) ex hoc ipſo quod accidit,
" Sacramentum Eccleſiæ figurabat; nam per fi-
" liæ immolationem virginitas Eccleſiæ figurata
" eſt. Holocautoma ergo erit Eccleſia, quam
" virginem caſtam B. Apoſtolus appellat". *Cor-*

nelius à Lapide ex Chryſoſtomi Homiliâ in Jepthe citat hæc verba Jepthe, " Exiſtimo eſſe Dominum " noſtrum Jeſum Chriſtum victorem mundi, " qui obtulit filiam ſuam unicam Eccleſiam, " tempore perſecutionis malis pontificibus, di- " cente ipſo, *Mitto vos ſicut oves in medio luporum* " Hanc fortè Allegoriam admiſerunt hi Patres, ut obviarent Hæreticorum quorundam calumniis, qui Deum veteris Teſtamenti crudelitatis, ob facti hujus permiſſionem, incuſabant: *Scio enim*, inquit [c] *Chryſoſtomus, quòd multi infidelium ob ſacrificium hoc crudelitatem & inhumanitatem nobis objiciunt.*

Cap. XV. 4. *Samſon cepit trecentas vulpes*, &c.] Patres, qui ſummo erga Hæreticos quos vocant flagrabant odio, eos ſub omni malæ beſtiæ, luporum præſertim & vulpium, figurâ latere exiſtimabant. * *Origenes*, in hæc verba Canticorum, *Capite nobis vulpes puſillas exterminantes vineas*; per vulpes, 1. intelligit contrarias poteſtates & nequitias Dæmonum: "Si verò hæc, inquit, de " Chriſto & Eccleſiâ intelligamus, Sermo videtur ad Doctores Eccleſiæ dirigi, & mandari eis " de captione vulpium: Vulpes autem perverſos " Doctores hæreticorum Dogmatum poſſumus " intelligere, qui vineam Domini exterminant, " ne *floreat in fide rectâ*". Et hanc expoſitionem firmat exemplo vulpium *Samſonis*. † *Ambroſius* pariter; " *Samſon* binas vulpes ſibi nexuit, ad " quarum caudas alligavit faces, & dimiſit eas " per meſſes Allophylorum; per hanc figuram " ſignificans, quod improbi ac fraudulenti ho- " mines, & maximè Hæretici, liberam linguam " habent ad latrandum, ſed exitus impeditos " ad religioſa principia, finem vero fraudis ſuæ " incendio deputandum". Quid eſt aliud, in-

* *Hom.* 4. p. 99. *A.*

† *Hom.* 11. *in Pſ.* 118. p. 565.

---

[c] Ὅτι πολλοὶ τῶν ἀπίστων ἐμὲ τούτου ἕνεκα ἐγκαλοῦσιν ἡμῖν καὶ ἀπανθρωπίαν διὰ τὴν θυσίαν ταύτην. To. 6. p. 555.

quit

quit * *Augustinus*, vulpes capere, nisi Hæreticos divinæ Legis authoritate revincere, & sac. Scripturarum testimoniis, velut quibusdam vinculis alligare. Auditores suos monet *Augustinus, grandia hîc mysteria, & magna secreta latere*; Et " 1. " *Samson* Christum figurabat. Quid audio? An " Christus vincitur muliebribus blanditiis? An " ad meretricem intrat? An capite nudatur, ca- " pillo raditur, virtute spoliatur, alligatur, oc- " cæcatur, illuditur"? Hæc cum sibi objecerat *Augustinus*, " Evigila, inquit, fides, attende quid " sit Christus; non solum quid fecerit, sed " etiam quid passus est. Quid fecit? Operatus " tus est ut fortis; passus est ut infirmus: In " uno intelligo utrumque; video fortitudinem " Filij Dei, infirmitatem Filij Hominis. Acce- " dit & aliud; Quia Christus totus & caput, " & corpus est, sicut Ecclesiæ caput est Chri- " stus, ita Christi corpus Ecclesia est: Habet " ergo Ecclesia in se fortes, habet infirmos, habet " justos, habet & injustos — quædam ergo fecit " *Samson* ex personâ capitis, quædam ex perso- " nâ corporis, totum tamen ex personâ Christi: " In eo enim quod virtutes & mirabilia opera- " tus est *Samson*, caput Ecclesiæ Christum signi- " ficabat; in eo autem quod prudenter fecit, " illorum qui in Ecclesiâ justè vivunt imaginem " gessit; ubi fortè præventus est, & incautè egit, " eos qui in Ecclesiâ peccatores sunt figuravit. " Meretrix, quam *Samson* in conjugium sumit, " *Ecclesia* est, quæ, ante agnitionem unius Dei, " cum Idolis fornicata fuit, quam postea sibi " Christus adjunxit. Cæcitas *Samson* quam in- " tulerant, cæcitatem *Judæorum* significabat". Pergit *Augustinus*; Ad hanc surrexit *Samson*, me- " diâ nocte exiit, abstulit portas civitatis ipsius " cum seris; & easdem portas in cacumine mon- " tis posuit. Quid est hoc? Christum signi- " ficat ad inferna descendisse, mediâ nocte, id

* *Ho.* 107. *de tempore.*

" est secretò surrexit, tollit portas civitatis, id " est aufert portas inferni. Quid enim est por- " tas inferni tollere, nisi mortis imperium remo- " vere ? ablatis portis mortis ascendit in cacu- " men montis ; novimus enim eum & resurrex- " isse, & in cœlos ascendisse". Quis jam potest negare Augustini fœcundum ingenium *grandia mysteria & magna secreta* invenisse, ipsumque *Origenem*, in fabulis fingendis nimis prodigum, hìc longè superâsse ?

Sectio Octava

Continet S. Patrum λεπτολεχίας *quasdam in Librum primum* Samuelis.

CAP. 2. à v. 2. ad nonum). " *Anna*, in- " quit [d] *Theodoretus*, prophetat post partum ; " illud enim, *Dominus infirmum reddet Adversari- " um suum*, ministrat Diaboli eversionem : Hoc " verò, *Dominus ascendit in cœlos, & tonuit*, prædi- " cit Servatoris nostri assumptionem, & adven- " tum Spiritûs sancti, & Apostolicarum prædi- " cationum vocis magnitudinem, & secundam " Christi Domini apparitionem. Illud quoque, " *sterilis peperit septem*, numerus enim septenari- " us significat multitudinem, & filii Ecclesiæ im- " pleverunt totum orbem. *Quæ autem multas ha- " bebat filias infirmata est* ; nam Judæa, quæ mul- " tos habuit filios, prophetas, & justos multos, " nunc laborat sterilitate. *Quæ erat sterilis pepe- " rit septem*, i. e. anima fidelium, quæ antea erat

---

[d] Δηλοῖ τῳ τῦ Διαβόλυ καθάλυσιν. 2. Τῳ τῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἀνάληψιν. 3. Τῆς ἐκκλησίας πλυτοντίαν, &c. in 1. Reg. Qu. 3.

" sterilis,

" ſterilis, peperit *ſeptem Spiritûs Sancti dona*". Ita *Pſeud--Origenes* Homiliâ unicâ in Librum primum Regum, f. 190. * Auguſtini Commenta in hoc canticum ſunt his, ſi fieri poteſt, magis futilia ; ſecundum quem, " Numero ſeptenario, v. 5. " univerſa eſt Eccleſiæ ſignificata perfectio. *Deus* " *mortificat & vivificat, i. e.* Chriſtianos, qui mor- " tui ſunt cum Chriſto, ſuſcitat è terrâ ; de ſter- " core elevat pauperem, *i. e.* Chriſtum *qui prop-* " *ter nos pauper factus eſt.* Per ſtercus autem un- " de erectus eſt, rectiſſimè intelliguntur *Perſecu-* " *tores Judæi. Aſcendit in cœlos, & tonuit*, nempe " Dominus Chriſtus, unde venturus eſt ad judi- " candum vivos & mortuos ; per nubes ergo ſu- " as tonuit, quas Spiritu Sancto, cum aſcendiſſet, " implevit ; denique *exaltavit cornu Chriſti ſui*, " i. e. Dominus Chriſtus exaltavit cornu uniuſ- " cujuſque filii ſui ".

* *De Civ. L.* 17. *c.* 4.

Cap. 4. 18. *Cecidit Heli de ſellâ retrorſum, & fractis cervicibus mortuus eſt.*) Crudele mihi, & à charitatis judicio alienum videtur, quod Patres tot, *Theodoreto* tantum repugnante, Heli virum pium, pro arcâ Dei adeò ſollicitum, & tremendis Dei judiciis in integram ejus familiam pronuntiatis, humili animo reſpondentem, *Dominus eſt ; quod bonum eſt in oculis ejus faciat* ; æternæ damnationi ſubjiciunt. *Semetipſum cum filiis crudeli damnatione percuſſit*, inquit, *Gregorius* P. Paſtoral. 2. Cap. 6. *Heli ſacerdos pro filiorum iniquitate damnatus eſt*, juxta *Eucherium.* Idem docuiſſe *Hieronymum, Auguſtinum*, & *Chryſoſtomum* vide apud *Cornelium à Lapide* in locum.

Cap. 13. 1. *Filius unius anni erat* Saul *cum regnare cœpiſſet.*) Monſtrat hoc ſimplicitatem animi ejus, juxta [a] *Theodoretum.* Sic erat innocens quando regnare cœpit ſicut filius unius anni : † *Hieronymus.* Vide reliquos ejuſdem ſententiæ apud *Cornelium à Lapide.*

† *In Reg. f.* 81.

[a] Δηλοῖ δὲ τοῦτο τὴν ἀπλότητα τῆς ψυχῆς. in 1. Reg. Qu. 26.

Cap. 17. 50. *Prævaluit* David *adversus* Philistæum *in fundâ & lapide.)* In hoc conflictu *Davidis* cum Golia, *i. e.* secundum Allegoristas nostros, Christi cum Diabolo, duo hæc mysteria invenit *Theodoretus*; Primo Davidem se fortiter gessisse, & lapide peremisse Alienigenam, "[b] Quoniam hymnis celebrat illum lapidem qui ex ipso excisus fuit secundum carnem; Lapidem *enim*, inquit, *quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput Anguli*, Psal. 118. 22. Is tamen, præfatione in hunc psalmum, hymnum hunc Deo oblatum esse docet, *post Judæorum reditum à captivitate*, i. e. diu post mortem Davidis. Secundo dicit, "Davidem gladio Alienigenæ caput ejus amputâsse, ejus, qui ex ipso secundum carnem germinavit, præfigurans victoriam. Diabolus enim, cùm Dominum nostrum Cruci affixisset, per Crucem excidit à Tyrannide".

‖ *Serm. 197. de tempore.* ‖ *Augustinus* in ejusmodi allegoriis mirum in modum debacchatur, nam "*Isai*, pater Davidis, filium suum mittens, ut requireret fratres suos, typum Dei Patris habuisse videtur. Deus enim Pater misit unigenitum suum, ex cujus personâ scriptum est, *Narrabo nomen tuum fratribus meis*. In tribus mensuris polentiæ quas secum attulit, mysterium intelligitur *Trinitatis*; in decem formellis casei intelligitur *Decalogus* veteris Testamenti. Venit ergo David cum tribus mensuris, & decem formellis casei, ut fratres suos visitaret, quia venturus erat Christus cum Decalogo Legis, & mysterio Trinitatis, ut genus humanum de potestate Diaboli liberaret. (3.) Frater iste senior, qui David typum Christi gerentem per malitiam increpavit, populum Judæorum indicat, qui per invidiam Christo Domino, qui pro salute hu-

[b] Ἐπειδὴ τὸν ἐξ αὐτῆς κατὰ σάρκα τιμᾷ ὕμνοις, &c. in 1. Reg. Qu. 41.

"hu-

" mani generis venerat, detraxerunt. (4.) Leo-
" nem & Urſum occidit David, qui ambo typum
" Diaboli præferebant. Hoc totum, quod tunc
" in David legimus figuratum, in Domino no-
" ſtro Jeſu Chriſto cognoſcimus eſſe comple-
" tum; tunc enim *Urſum* & *Leonem* ſtrangulavit,
" quando, ad inferna deſcendens, omnes de eo-
" rum faucibus liberavit. (5.) Stabant Judæi, &
" contra Alienigenas pugnare non audebant.
" Quare non audebant? Quia David, qui ty-
" pum Chriſti gerebat, nondum venerat. Sta-
" bant contra adverſarios quadraginta diebus.
" Quadraginta dies, propter quatuor tempora;
" & quatuor partes orbis terræ præſentem vitam
" ſignificant, in quâ contra Goliam, vel exer-
" citus, id eſt contra Diabolum, & Angelos
" ejus Chriſtianorum populus pugnare non deſi-
" nit, (& tamen, eodem notante, ſtabant non
pugnantes.) " Sextò, Ille qui figuram Chriſti
" gerebat, proceſſit ad prælium, tulit baculum in
" manu, & exiit contra Goliam, & in illo qui-
" dem tunc figuratum eſt quod in Domino Jeſu
" Chriſto completum eſt; venit enim verus Da-
" vid Chriſtus, qui contra ſpiritualem Goliam,
" id eſt contra Diabolum, pugnaturus Crucem
" ſuam ipſe portavit. Septimò, David Goliam
" percuſſit in fronte, ubi Crucis ſignum non ha-
" buit: ſicut enim Baculus Crucis typum habuit,
" ita etiam Lapis ille, de quo percuſſus eſt, Chri-
" ſtum Dominum figurabat. Octavò, Quòd
" David non habens gladium aſcendit ſuper Go-
" liam, & ſuo eum proprio occidit gladio, de-
" ſignatum eſt quòd in adventu Chriſti ſuo gla-
" dio Diabolus victus eſt, qui per nequitiam ſuam,
" & injuſtam perſecutionem quam exercuit in
" Chriſtum, omnium in eum credentium perdi-
" dit principatum". Is, cui hæc non ſufficiant, ad-
eat loca in fine hujus Sermonis annota, ubi plura
ejuſdem ingenii commenta inveniat.

Cap. 28. 11, 12. *Samuelem mihi ſuſcita, et cum vidit mulier Samuelem, exclamavit*, &c.) Quòd *Pythoniſſa Samuelis* ipſius animam evocare potuiſſet, haud mirum iis videbitur, qui cum antiquiſſimis Patribus ſentiunt animas piorum omnium ante adventum Chriſti, ejuſque ad Inferos deſcenſum, apud Inferos manſiſſe, peccatorum remiſſionem nondum obtinuiſſe, immo ſub poteſtate Diaboli fuiſſe. " Manere animas, inquit " *Juſtinus M.* demonſtravi, eò quòd & *Samuelis* " animam ventriloqua *Pythoniſſa*, ita ut *Saul* petierat, evocavit. Apparet autem etiam omnes " animas ipſorum Juſtorum & Prophetarum ſub " poteſtate eâ talium virtutum cecidiſſe, qualem " in ventriloquâ illâ fuiſſe ex ipſis operibus in " confeſſo eſt. * *Irenæus* dicit, Propter hoc de- " ſcendiſſe Dominum in ea quæ ſunt ſub terrâ, " evangelizantem & illis adventum ſuum, remiſ- " ſam peccatorum exiſtentem his qui credunt in " eum; crediderunt autem in eum omnes qui " ſperabant in eum, id eſt qui adventum ejus " prænuntiaverunt, & diſpoſitionibus ejus ſervie- " runt, Juſti, & Prophetæ, & Patriarchæ, quibus " ſimiliter ac nobis, remiſit peccata. † *Origenes* in hunc locum multis contendit *Samuelem* ſub terrâ fuiſſe, & evocâſſe illum ventriloquam, adeoque *poteſtatem habuiſſe Dæmonem in animam Prophetæ.* Hanc autem ſententiam mutuâſſe videntur à *Judæis*; animam enim *Samuelis* à ventriloquâ reverà evocatam fuiſſe docet || *Joſephus*, & de eodem filius *Syrachi* ſic loquitur, *poſt hæc dormivit, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltavit vocem ejus de terrâ in Prophetiâ.* Cap. 46. 20.

* *L. 4. c. 45. p. 347.*

† *Apud Huet. p. 29.*

|| *Antiq. l. 6. c. 15.*

---

[a] Φαίνεται δὲ ὅτι πᾶσαι αἱ ψυχαὶ τῶν αὐτῶν δικαίων καὶ προφητῶν ἐπὶ ἐξουσίαν ἦλθον τοῦ τυράννου δυνάμεως, &c. Dial. contr. Tryph. p. 333.

Sectio Nona

Continet quasdam S. Patrum ἀδολεσχίας *in Librum secundum* Samuelis.

CAP. II. V. 4. *David tulit eam, quæ cum ingressa est ad illum, dormivit cum eâ.*] Multa audivimus risu digna ; unum jam fletu dignius occurrit, nempe quod *Davidis* Adulterium cum *Bathshebâ* Patres in Typum, aut Sacramentum Christi Ecclesiam Gentium sibi despondentis evexerunt. Ita * *Ambrosius*, " Rectè in Historiâ *Uriæ* " uxoris magisterium illud affectandæ humilita- " tis asciscitur ; & tamen, si ex eâ natus est paci- " ficus *Solomon*, videamus ne fortè mysterium sit, " quôd, sublato eo de medio qui ante conjugio " suo plebem gentium vindicabat, alii Ecclesia " viro nupserit, vero *David*. *David* enim vo- " catus est Christus. Mysterium igitur in figu- " râ, Peccatum in historiâ, Culpa per hominem, " Sacramentum per verbum ". Et rursus : † " Apo- " stolo dicente, *in figurâ gesta* esse complura quæ " temporibus gesta superioribus sunt, quid igitur " obstat quo minùs *Bathsheba* sancto *David* in fi- " gurâ sociata esse credatur, ut significaretur " congregatio nationum quæ non erat Christo " legitimo quodam fidei copulata conjugio " ? " Idem docet *Gregorius* Papa his verbis ; Cu- " jus autem David in solario ambulans typum " gerit, nisi ejus de quo scriptum est, *in sole po-* " *suit tabernaculum suum* ? & quid est *Bethsabe* ad " se perducere, nisi legem literæ carnali populo " conjunctam spirituali sibi intellectu sociare ? " quem verò *Urias* nisi *Judaicum* populum desig- " nat ? *Augustinus*, quid in prophetiâ peccatum *David* præfiguravit, ostendit in hunc modum : " David nempe hic Christum significat, *Bethsabe*

* *L.* 3. *in Lucam.* ℔ 42.

† *Apol. David c.* 3.

‖ *Moral. in Job L.* 3. *c.* 2.

* *Contra Faust. l.* 22. *c.* 87.

" *Sponsam*

" *Sponſam* ejus Eccleſiam, *Urias* verò *Diabolum*, " cujus peſſimo conjugio deligati erant omnes " quos gratiâ Dei liberat, ut Eccleſia ſine maculâ " & rugâ Salvatori proprio copuletur. Ergo *Da-* " *vid* iſte (literalis) graviter quidem ſceleratéque " peccavit, verùm tamen ille deſiderabilis omni- " bus gentibus (qui nomine Davidis intelligitur,) " adamavit Eccleſiam ſuper tectum ſe lavantem, " id eſt mundantem ſe à ſordibus ſeculi, & in- " choatâ cum illâ primæ conventionis notitiâ, " pòſt ab eâ penitus ſeparatum Diabolum occi- " dit, eamque ſibi perpetuo connubio copula- " vit."

Cap. XXIV. 1. *Addidit furor Domini iraſci contra Iſrael.*] Duabus de cauſis juxta [a] *Theodoretum*: Primò, " Quòd relicto pio Rege militârunt ſub " impio tyranno, & parricidâ Rege. Secundò, " Quod *Sauli* exauctorato adhærebant contra " Davidem à Deo unctum." *Auget autem eorum crimen, quod Saul condemnatum, & divinâ privatum gratiâ, non reliquerunt donec pervenit ad finem vitæ, idque cum David fuiſſet unctus à Prophetâ.*

SECTIO DECIMA

Continet Patrum in primum Librum Regum παρερμηνειας.

CAP. I. 4. *Invenerunt Abiſag Shunamitem, & adduxerunt eam ad Regem, dormiebatque cum Rege.*] Hiſtoriam de virgine *Abiſhag* Davidem calefaciente profanè comparat * *Hieronymus* fig-

* *Epiſt. ad Nepotian. F. 47.*

---

[a] Αὐξει δὲ αὐτῶν καληγορίαν τὸ τὸν μὲν Σαὺλ καλαλιποντα, καὶ τῆς θείας χάριτος γυμνωθέντα, μὴ καταλιπεῖν, ἕως οὗ βίου τὸ τέρμα κατέλαβε, καὶ ταῦτα τῷ Δαβὶδ τοῦ προφήτου χειμαζομένῳ. in 2 Reg. Qu. 45.

mentis

mentis ſcenæ *de laſciviente Mimo*, vel comœdiæ magis laſcivæ & obſcenæ, quæ *ab Atellâ Oſcorum civitate* nomen obtinuit. Sic enim ad *Nepotianum* ſcribit. " Nonne tibi videtur, ſi occidentem " ſequaris literam, vel figmentum eſſe *de Mimo*, vel " *Atellanarum ludicra*? Frigidus ſenex obvolvitur " veſtimentis, & niſi complexu adoleſcentulæ " non tepeſcit." Abiſag ergo Sacramentum indicat ſapientiam ſenum ampliorem, & magis fervidam." " Hæc, inquit † *Proſper*, animam ſignat Dei gratiâ caſtitatis calore ſuccenſam, " quæ frigidas in fide animas, ut membra Regis " magni, ſuo accendit affectu."

† *De prædict. l. 2. c. 23.*

Cap. III. 16. *Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad Regem.*] Duæ meretrices de puero contendentes, ſecundum ‖*Hieronymum*, " repræſentant " Synagogam Judæorum, & Eccleſiam Chriſtianorum de puero *Jeſu* & *Meſſia* vivo & vero " contendentium." Juxta * *Auguſtinum* " repræſentant *Eccleſiam Catholicam*, & *Hæreſin Arianam*, " *Neſtorianam*, & cæteras quæ Chriſtum dividunt " in duos." † *Gregorius M.* per has mulieres veros " & falſos doctores intelligit: ‖ *Ambroſius* verò Fidem & Tentationem. Fæminis nimirum vagæ libidinis vaga conveniunt interpretamenta.

‖ *Ep. ad Ruffin.*

* *Serm. 105. de tempore.*

† *Moral l. 21. c. 8.*

‖ *L. 3. de Virgin.*

Cap. XVII. 6. *Corvi deferebant ei panem & carnes mane & veſperi.*] De pane quem corvi *Eliæ* miniſtrabant ſic loquitur * *Proſper*: " Quòd " verò corvi panem manè, & carnes veſperi miniſtrabant, totius corporis Domini figura monſtrata eſt; quando prius in præceptis panem, " poſtea carnem Dominicæ Paſſionis *Judæi*, ut " ſervi, gentibus miniſtrârant, carnem in Crucis " ligno deductam gentibus miniſtrantes, ac ut " corvi unâ & rauciſonâ voce clamantes *Cruci-* " *fige, Crucifige eum.*" * *Auguſtinus*, admonitione hâc præmiſſâ, *ut non ſequamur literam, & vivificantem ſpiritum relinquamus*, typum hæc & imaginem futurorum geſſiſſe his verbis oſtendit:

* *De prædict. l. 2. c. 28.*

* *Serm. 201. de tempore.*

He-

" Elias typum habuit Domini Salvatoris; ſicut
" enim *Elias* à Judæis *perſecutionem* paſſus eſt, ita
" & verus *Elias* Dominus ab ipſis *Judæis* repro-
" batus eſt & contemptus; *Elias* reliquit gen-
" tem ſuam, & *Chriſtus* deſeruit *Synagogam*;
" *Elias* abiit in deſertum, & *Chriſtus* venit in
" Mundum; *Elias* in deſerto corvis miniſtran-
" tibus paſcebatur, & *Chriſtus* in deſerto mundi
" hujus gentium fide reficitur; corvi enim illi
" qui *B. Eliæ* miniſtrabant gentium populum
" figurabant; & verè Eccleſia gentium corvis
" ſimilis erat, quando viventem Dominum con-
" temnebat, &, ante acceptam gratiam, velut
" morticinis cadaveribus, Idolis miniſtrabat."

*L. 2. c. 15. Juxta * *Authorem mirabilium S. Scripturæ*, " Cor-
" vis miniſtrare Prophetæ præcipitur, ut ſcilicet
" culpam, quam in diluvio commiſerat in terrâ,
" purgare avis illa videretur, dum ut fidelis mi-
" niſter efficitur *Eliæ*, qui negligens & fallax
" erat antea *Noæ*." Denique, quòd ab immundis animalibus hanc eſcam miniſtrari juſſit Deus, per hæc, inquit [b] *Theodoretus*, nos docet Legiſlator, *quòd, propter Judæorum imbecillitatem, eas leges tulerit, quas quidem aliquando ipſe juſſit tranſgredi.*

V. 21. *Expandit ſe (juxta* LXX) *atq; inſufflavit ſuper puerum tribus vicibus.*] Ut mittam alia *Auguſtini* ἀλληγορίας documenta, nempe quòd Vidua hæc Eccleſiam ſignificat, Filius Viduæ populum gentium, in hæc verba, *Exiit vidua colligere duo ligna*,

*Serm. 201. de tempore. " * Videte, inquit, fratres, quia non dixit tria,
" nec quatuor, nec unum tantummodo lignum,
" ſed *duo ligna* colligere volebat, ideo duo ligna
" colligebat, quia in typo *Eliæ* Chriſtum exci-
" piebat, duo ligna volebat colligere, Quia Cru-
" cis myſterium deſiderabat cognoſcere; Crux

---

[b] Ὡς τῆς Ἰουδαίων ἀδυνεσίας ἕνεκα τοῦ τοιούτους ἐπιθεῖναι νόμους, ὃς ποτε μὴ αὐτοὺς ἀθροῆσαι συγχώρει. in 3. Reg. Qu. 52.

" enim Domini Salvatoris duobus lignis aptata
" eſt ; ideo duo ligna colligebat hæc vidua, quia
" in illum qui in duobus lignis pependit credi-
" tura erat Eccleſia ; & in hunc verſum, quòd
" *tribus vicibus inclinatur*, Myſterium Trinitatis
" oſtenditur. Viduæ enim filium, id eſt popu-
" lum gentium, nec ſolus Pater ſine Filio, nec
" Pater & Filius ſine Spiritu ſancto, ſed ſola Tri-
" nitas ſuſcitavit." [c] *Theodoretus* pariter, *Significat numerus adorandam Trinitatem*, inſufflatio autem ab initio factam animæ creationem. * Proſper de *Elizæo*, " Sufflavit ei jacenti tertiò, ut
" Trina Confeſſio infunderetur credenti."

* *De prædict. l. 2. c. 31.*

Sectio Undecima

Continet S. Patrum λεπτολογίας *quaſdam in ſecundum Librum Regum.*

CAP. II. 24. *Maledixit eis Elizæus in nomine Domini, & egreſſi ſunt duo urſi de ſaltu, & laceraverunt ex iis quadraginta duos pueros.*] Notat hic **Auguſtinus Manichæos*, qui Vetus Teſtamentum non recipiunt, dicere ſolere, *Quæ fuit tanta crudelitas in Elizæo, ut, propter jocularia verba infantium, quadraginta duos pueros fecerit lacerari?* Reſpondet † *Origenes:* " Urſi illi in ſigno erant ali-
" arum beſtiarum inviſibilium & ſpiritualium,
" quæ verè ſunt beſtiæ, & verè rabidæ, & quæ
" mittuntur in terram peccatricem." || *Tertul-*
" *lianus Marcioni* reſpondet ; " Per pueros non
" innocentem adhuc ætatem, ſed judicii jam ca-
" pacem intelligi, quæ conviciari poterat, ne

**Serm. 204 de tempore.*

† *Ho. 4. in Ezek. Fol. 104. F.*

|| *L. 4. contr. Marcion. c. 23.*

---

[c] Δηλοῖ δὲ ὁ μὴ δεῦρο τῷ προσιοντι τὴν Τειάδα. Ibid. Qu. 54.

" dicam

" dicam blaſphemare." Reſpondet denique
*Ubi ſupra. * *Auguſtinus*, Quòd " *Prophetæ* eo tempore ex
" maximâ parte populi non honorabantur, ſed
" etiam irriſui & opprobrio habebantur, & velut
" inſani atque arreptitii reddebantur; pueroſque
" hos, parentum inſtigatione, dixiſſe, *Aſcende*
" *Calve*; dolens ergo *Helizæus* de interitu po-
" puli fecit venire duos Urſos, ut, percuſſis
" parvulis, majores reciperent diſciplinam, &
" mors filiorum fieret diſciplina parentum.
" Porro in hoc facto Paſſio Domini Salvatoris
" præfigurata fuiſſe evidenter oſtenditur. Quid
" eſt (enim) *Aſcende Calve*, niſi, Aſcende Crucem
" in loco *Calvariæ*?" [d]Author denique Quæſtio-
num in Orthodoxos, duo reſpondet conſideratu
digna: Primò, Quod pueri hi, ad Vatis dehone-
ſtamentum, has voces protulerunt, *edocti à pa-
rentibus ſuis hoſtilem ſemper in Prophetas animum ha-
bentibus.* Secundò, Quòd illud, *Aſcende Calve*,
proſcindendæ Eliæ aſſumptionis gratiâ profere-
batur, quaſi dicerent, *Abripiat te quoque ſpiritus, &
abjiciat in montem impervium, ſicut illum abjecit, ut
etiam à te liberemur, ſicut ab illo liberati ſumus.*

Cap. VI. 6. *Secuit lignum Elizæus, & in aquam
projiciens effecit, ut ferrum nataret.*] " Per operati-
* *L.5.c.17.* " onem, inquit * *Irenæus*, oſtendente Prophetâ
" quòd firmum verbum Dei, quod per lignum
" negligenter amiſeramus, recepturi eſſemus ite-
† *Adv. Ju-* " rum per ligni diſpoſitionem." † *Tertullianus* hi-
dæos c.13. ſtoriam hanc recitans, " Quid, inquit, mani-
" feſtius hujus ligni Sacramento? quòd duritia
" hujus ſeculi, immerſa in profundo erroris, à
" ligno Chriſti, id eſt Paſſionis ejus, in Baptiſmo
" liberatur, ut, quod perierat olim per lignum
" in *Adam*, id reſtitueretur per lignum Chriſti."

---

[d] Λαμβανέτω καὶ τὸ πνεῦμα, καὶ ῥιψάτω σε εἰς ὄρος ἄβατον, ὡς κἀκεῖνον ἔῤῥιψεν, ἵνα ἀπαλλαγῶμεν καὶ σοῦ, ὡς κἀκείνου ἀπηλλάγημεν. Reſp. ad Qu. 80.

* *Ambrosius* pariter, " Invocavit *Helizæus* Domini " nomen, & de aquâ ferrum securis ascendit, " quod demersum fuerat. Ecce aliud genus " Baptismatis : Quare ? Quia omnis homo ante " Baptismum, quasi ferrum, premitur atq; demer- " gitur ; ubi baptizatus fuerit, non tanquam " ferrum, sed tanquam levior fructuosi ligni " species levatur. Vides ergo quòd in Cruce " Christi omnium hominum levatur infirmi- " tas". " Admirabiliter, inquit [c] *Theodoretus*, " Propheta sursum eduxit ferrum, hoc autem " præfiguravit Servatoris nostri dispensatio- " nem. Quomodo enim lignum, quod est le- " vissimum, fuerit demersum ; ferrum autem, quod " gravissimum, supernatavit ; ita Divinæ Natu- " ræ descensus effecit, ut Humana Natura ascen- " deret". * *Augustini* hic acumen cæteris im- manè quantum excellit ? " Est enim, inquit, *He-* " *lisæus* typus Domini Salvatoris ; in Puero qui " erat de Filiis Prophetarum, cui securis de " manu lapsa est, non incongruè *Christus Domi-* " *nus* intelligitur. Securis illa quæ cecidit to- " tum genus humanum significâsse dicitur. Tene- " bat ergo Filius Prophetarum securim in manu " suâ ; & Dominus ac Salvator noster humanum " genus, quod creaverat, in manu potentiæ suæ". Sed quomodo securis illa de manu Prophetæ in profundum corruit, ita & genus humanum de manu Domini Omnipotentis per superbiam cecidit, & in fluvio luxuriæ, vel omnium peccatorum gurgite, se submersit : Fluvius enim ille, ubi securis cecidit, significat præterfluentem & in abyssum descendentem voluptatem, vel luxuriam hujus seculi. Et quia omnes peccatores, transitoriis voluptatibus inhærentes, fluere dicun-

* *De Sacram. l. 2. c. 4.*

* *Serm. 210 de tempore.*

---

[c] Τοῦτο δὲ προεδήλωσε τὴν τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν οἰκονομίαν, in 4. Regum Qu. 10.

tur,

tur, ideo ſecuris illa in fluvio, & in limo jacebat oppreſſa; veniens verò *Eliſæus* miſit lignum, & natavit ferrum. Quid eſt lignum mittere, & ferrum in lucem producere; niſi patibulum Crucis aſcendere, & de profundo inferni humanum genus erigere; ac de omnium peccatorum limo, per Crucis myſterium, liberare?

Veteris Teſtamenti Pars Secunda complectitur S. Patrum Scholia in Hagiographa & Prophetas.

SECTIO PRIMA

Continet S. Patrum Interpretamenta in Librum Job.

CAP. I. 2. *Fuerunt ei filij ſeptem, & filiæ tres.*] "Septem filij, inquit *Hieronymus*, ſeptiformem Spiritûs Sancti gratiam; & tres filiæ, Legem, & Prophetas, & Evangelium, videntur nobis ſignificare". Obſervat *Didymus* in loeum, Scripturam recenſione dignum exiſtimâſſe catalogum liberorum Jobi, myſticis rationibus conſonum. [a] "Quis enim ignorat numerum "ſeptenarium eſſe ſeptem chariſmatum indicem?

[a] Τίς γὰρ ἂν οἶδε τὴν ἑβδόμην ἀειδμησιν τῆς ἑπτὰ χαρισμάτων μυηδίειν τὴν σύνοδον; ὥσπερ ἂν καὶ τὴν τρίτην ἐκφώνησιν εἰς τὸ πλειότερον ὁρᾶν, καὶ δεύτερον, ἵνα μάθωμεν τὴν ἐν Τριάδι πίστιν τῆς ἑβδόμης χαρίσ & ἑπτὰ δημιεργόν. Caten. p. 11.

"Sicut

" Sicut trium appellatio ad id quod eſt perfe-
" ctius & divinius referri ſolet ; nimirum ut diſ-
" camus Trinitatis fidem eſſe gratiæ ſeptiformis
" opificem.

Cap. II. 9. *Dixit ei uxor ejus, adhuc tu permanes in ſimplicitate tuâ?*] Interpretes omnes qui citantur in catenâ in eo conſentiunt, Diabolum poſuiſſe hæc verba in os uxoris Jobi. Teſteque *Chryſoſtomo*, [b] " Dixerunt nonnulli, non uxoris
" hæc verba fuiſſe, ſed Diabolum in ejus ſimili-
" tudinem transformatum ea loquutum eſſe, ne-
" que enim veriſimile eſt Jobi uxorem talem ex-
" titiſſe.

Cap. XIV. 1. *Quis poteſt facere mundum de immundo? Non unus.*] Juxta LXX Interpretes, *Quis enim mundus erit à ſorde, etſi unius diei ſit vitâ ejus ſuper terram?*] Hæc verba hoc tantùm indicant, neminem vitam à peccato immunem, ob naturam ad peccatum proclivem, degere poſſe. *Quid enim eſt homo ut juſtus ſit, & juſtificetur natus de muliere?* Job XV. 14. *Si juſtificem meipſum*, inquit *Job, os meum me condemnabit ; ſi dixero mundus ſum, perverſum me arguet.* Hominem verò ab ipſo ortu peccatorem eſſe non probant. 2. *Chaldaicus Paraphraſtes* ſenſum hìc facilem, & verbis & contextui ſatis congruum, exhibet : Nempe, *Quis dabit mundum de viro polluto peccatis, niſi Deus ſolus qui remittet ei*, & ſic purum faciet ? Hunc ergo cum feceris venire in judicio, hominum nemo mundum coram te conſtituere poteſt ; id tibi, peccatum ejus remittenti, tantùm conceditur. Te ergo ſuppliciter oro, peccatis meis veniam concedere. Juxta quem ſenſum, hæc verba non indicant mundum non poſſe eſſe ab immundo ſatum, ſed tantum vitiis pollutum non poſſe ab homine mundari, ſed à Deo ſolo.

---

[b] Οὐδὲ τῆς γυναικὸς εἶναι τὰ ῥήματα, ἀλλὰ αὐτὸν εἰς αὐτὴν τυποθέντα ταῦτα φθέγγεσθαι. Caten. p. 92.

Ex verbis LXX Interpretum, quæ, quoniam in Scripturis S. non occurrant, ſuſq; deq; habeantur, originalem reatum quidam ſic adſtruunt, quia non poteſt eſſe mundus à ſorde vel per unum diem, immundus naſcitur infans, ab immundo ortus, non poteſt eſſe mundus vel per unum diem, ergo immundus naſcitur.

Reſp. *Origenes* hìc totum concedit; nempe quod omnis anima, quæ in humano corpore fuerit, habet ſordes ſuas. * " Ex eo enim quod loquitur de die purgationis eorum, i. e. B. Mariæ, & Filij ipſius, non, inquit, videtur unum ſignificare, ſed alterum ſive plures; ergo Jeſus purgatione indiguit, & immundus fuit, aut aliquâ ſorde pollutus. Temerariè forſitan videar dicere, ſed Scripturæ authoritate commotus. Vide quid in Job ſcriptum eſt; *Nemo mundus à ſorde, nec ſi unius diei vita ejus fuerit*: Non dixit, Nemo mundus à peccato; ſed nemo mundus à ſorde: neque enim id ipſum ſignificant ſordes, & peccata.

* *Hom.* 14. *in Lucam F.* 100. *D.*

Patres alii docent hunc textum nihil ad rem facere. Cum enim *Encratites*, nuptias damnantes ob ſeminis immunditiem, hunc textum in ſententiæ iſtius ſubſidium laudâſſent, reſpondet [c] *Clemens Alex. Ubi infans fornicatus eſſet, aut quomodo ſub Adæ maledictione caderet, cum nihil fecerit?* Ergo, ſecundum *Clementem*, nihil in propriâ perſonâ, vel in Adamo, fecerat, quod eum *Adæ* maledictione dignum redderet. *Pſeudo-Juſtinus* dicit, " Hunc locum nullo modo Infantibus adaptari " poſſe, ita ut eos peccati reos præſtet. Scri" ptura enim hìc (τὸν βίον) vitam poſuit pro con" verſatione ſive actione: [d] Infanti autem uti

---

c Πῶς γὰρ τὸ Ἀδὰμ ἐπεπόνθεισαν ἀρχὴν, μηδὲν ἐνεργήσαντες; Strom. 3. p. 468.

d Τῷ δὲ βρέφει ὥσπερ οὐκ ἔστι πολιτεία, ἢ πρᾶξις, οὐδὲ βίος. Reſp. ad Qu. 88.

" non

" non eſt converſatio aut actio, ita nec vita " practica". *Severus* latè hanc ſententiam proſequitur his verbis, " Quod hìc à Jobo dicitur, " non de communi vitâ, & quæ pariter ad om- " nes pertinet intelligendum eſt, quâ quis, ex " utero prodiens, vivit ; ſed de illâ quæ actioni- " bus ſecundum virtutem & improbitatem diſ- " cernitur, & de converſatione in virili ætate, " quæ coram Deo in judicio vocanda poſtea, & " ſupplicio, vel laudibus remuneranda eſt ; quod " & Job ſuprà manifeſtans, dicit, *& hunc feciſti* " *venire in judicium tecum.* [e] Infantum autem vi- " ta in judicium non venit". Hæc ergo verba, juxta Patrum interpretationem, indicant adultorum neminem à peccato immunem eſſe vel per unum diem, non autem infantes ſub peccati reatu, aut habitu naſci.

Denique hæc verba non poſſunt indicare omnes homines, ex ipſis natalitiis, peccati originalis reos eſſe, niſi pariter ex ſeminali virtute naſci peccatum ſit, infanteſque iræ divinæ, & Gehennæ filios, id ipſum quod naſcantur, conſtituat. Eſt enim certum quòd eodem actu quo naſcimur, *Adami* filii procreamur : ſi ergo ex eo quod *Adami* filii procreamur, peccati Originalis rei ſimus, ex eo quod naſcimur, ejuſdem peccati rei ſimus, neceſſe eſt. Hoc autem in duplicem Hæreſin incidit : Primò, Peccatum eſſe naturæ hominis cujuſcunque in lucem editi, poſt *Adamum*, non voluntati ejus adſcribendum ; naſci enim non voluntatis noſtræ, ſed naturæ opus eſt ; hoc autem unanimi Patrum omnium ſententiæ, ante *Auguſtinum*, protinus repugnat : &, juxta eoſdem, crimen in ipſum naturæ Authorem injicit. Secundò, Hinc ſequitur, filiorum quemcunque immaculatum eſſe non poſſe, nec conjugium pro-

[e] Περὶ πολιτείας τῆς ἐν ἡλικίᾳ — τὴν δὲ νηπίων ὁ βίος οὐ χρίσιν οὐκ ἄρχεται. Caten. p. 274.

creandæ ſobolis gratiâ inſtitutum à peccato immune eſſe, utpote quòd eodem actu quo hominem parit, peccatorem gignit, Gehennâque dignum. Si enim immundus, id eſt, peccato contaminatus, infans naſcatur, quòd ex immundo naſcatur ſemine, ut ſemen illud etiam conjugio junctorum immundum ſit, id eſt peccato contaminatum, neceſſe eſt. Quod licet ſuâ luce clarum ſit, & ex principiis Capite decimo Tractatûs de Peccato Originali recenſitis plenè demonſtretur, liceat tamen id ipſum ex *Clementis Alexandrini* Stromate tertio latiùs deducere.

Hic enim Primò *Tatiani, Caſſiani,* & *Encratitarum* ſententiam ſic exhibet. Docent [f] *non eſſe admittendum matrimonium, & liberorum procreationem, nec in mundum inducendos eſſe alios infelices futuros, nec ſuppeditandum eſſe morti nutrimentum.*

Secundò, Hujus ſententiæ Authores impios pronuntiat in creaturam, & ſanctum ejus Opificem, iiſque illud *Johannis* applicat, *nunc Antichriſti multi ſunt:* & rurſus, " Non eſt matrimonium, " inquit, peccatum; alias & generationem dicant " eſſe peccatum, & Creatorem generationis Pec- " catorem: [g] creata enim eſt generatio, & crea- " tura Omnipotentis eſt.

Tertiò, Eorum ſententiæ apertè contradicit, docendo [h] Sanctificatorum ſanctum eſſe ſemen. Quibus convenit illud *Hieronymi*, " Si offenſa eſt " naſci in corporibus humanis, quomodo Iſaac, " Sampſon, Johannes Baptiſta de repromiſſione " naſcuntur?" Et illud * *Philaſtrii.* " Si ita quis " ſenſerit, ergo & juſti tot, tantique in iniquitate " concepti ſunt, cum & in ventre ſanctificati

* *Ed. Sycardi. F.* 61.

---

[f] Μὴ δεῖν ἀδελφὴν γάμον, καὶ παιδοποιΐαν, μηδὲ ἀνίεσθαι ἀγῶνα τῷ κοσμῷ δυσχήσονσιν ἑτέρους, &c. Strom. 3. p. 445.

[g] Κτισὴ γὰρ ἡ γένεσις, καὶ κτίσις τὸ παντοκράτορος. Ibid. p. 464.

[h] Τῶν ἁγιαζόντων ἅγιον εἶναι καὶ τὸ σπέρμα. Ibid. p. 455. D.

" ſunt,

" ſunt, ut *Patriarchæ, Prophetæ, Judices, Hieremi-*
" *as*, & *Johannes Baptiſta* beatiſſimus." Porro Eu-
cratitis objicientibus Deum pronuntiâſſe *Eunuchum beatum*, Iſa. 56. 4. ex eodem Prophetâ, Cap. 65. 22. reſpondet *Clemens*, οἱ ἐκλεκτοί μου *electi mei non laborabunt in vanum, neque procreabunt filios in execrationem, quia ſemen eſt benedictum à Domino.* Atque hoc contra *Hæreticos* iſtos adfert, qui *execrationem, liberorum procreationem exiſtimabant.* Objicientibus denique hæc verba *Jobi* reſpondet, ut ſupra, " *Quomodo caderet in Adæ* maledictionem in-
" fans nihil faciens? reſtat ergo iis conſequen-
" ter ut dicant malam eſſe generationem". Porro hæc verba *Clementem* exiſtimâſſe non ad infantes, ſed ad adultos pertinere ex eo liquet, quòd * *ſtromate quarto* docet, Infantes habere in ſeipſis τὸ ἡμαρτητικὸν, id eſt *peccandi principium* ſive *facultatem*; ſed, quoniam eam exercendi *occaſionem non habent*, οὐχ ἁμαρτάνειν *non peccare*; & ſi juſtus, qui nihil mali fecerit, accedit ad Martyrium, *dicam*, inquit, *non peccavit, ſed ſimilis eſt infanti patienti*; & tamen concedit dici poſſe neminem mortalium non peccâſſe, *nullus enim*, ut dixit quiſpiam, *eſt mundus à ſorde.* * P. 506.

Cap. 27. 2, 3. *Vivit Deus, qui abſtulit judicium meum, & Omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam.* V. 3. *Quia donec ſupereſt halitus in me, & Spiritus Dei in naribus meis*, &c.] Græci hoc loco, inquit *Pineda*, Trinitatem indicari exiſtimant, Patrem per Deum viventem, Omnipotentis nomine Filium, & Spiritum ſanctum ſuo proprio nomine. *Ita* [1] *Olympiodorus* in locum, " Quidam dicunt eum Trinitatis hìc mentionem fa-
" cere, *Vivit enim*, inquit, *Dominus*, & *Omnipo-*
" *tens*, & *Spiritus divinus*". Sed bene *Pineda*;

[1] Τινὲς δὲ ἔφασαν ὅτι ἐνταῦθα τῆς Τριάδος μέμνηται· ζῇ γὰρ Κύριος, φησὶ, καὶ ὁ Παντοκράτωρ, καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ θεῖον. Caten. in locum.

" Quid Spiritus Dei hoc loco sit, vel ex adjuncto *narium* nomine clarè licet intelligere; nam " est respiratio vitalis narium adminiculo homi- " ni, ut viveret, concessa". Author commentarii sub nomine *Hieronymi* hæc omnia ineptè ad Christi passionem applicat.

Cap. 40. De Dracone aut Leviathano quæ in hoc Capite sunt dicta, Patres multi de Diabolo intelligenda esse sentiunt. [k] Ita *Olympiodorus*, " Quòd verò Diabolum Sacra Scriptura innuit, " multis sanctis & in Ecclesiâ illustribus viris " ita visum est: quare secundum hanc accep- " tationem vocem illam interpretari conabi- mur." Inter Græcos Patres hujus sententiæ Catena Græca enumerat *Origenem*, *Gregorium Theologum*, *Eusebium*, *Athanasium*, *Nilum*, *Severum*, quibus addit Pineda *Theodoretum* in Psalmum 103. v. 26. & *Ambrosium* de Pœnitentiâ, L. 1. c. 13. *Augustinum* de Civ. D. L. 11. c. 15. addo *Hieronymum* passim.

---

k Ὅτι τὸν Διάβολον αἰνίττεται ἡ γραφὴ, πολλοῖς ἁγίοις ἀνδράσι καὶ ἐν ἐκκλησίᾳ διαπρέψασιν ἔδοξε. Caten. p. 567.

Sectio Secunda

Continet S. Patrum Interpretamenta quædam in Librum Psalmorum.

Psal. 1. v. 1. -- ad sextum.] Hic Psalmus, juxta * " *Philastrium*, omnes errores cujus- " que populi, diversaque facinora enuntiat, di- " cendo, Beatus vir qui non abiit in consilio im- " piorum, id est *Paganorum*; & in viâ peccato- " rum non stetit, quippe *Judæorum*; & in ca- " thedrâ

* Fol. 70.

" thedrâ pestilentiæ non sedit, utique *Hæreticorum.* Beatus est, inquit * Pseud-*Hieronymus, qui non est Judæus, Gentilis, Hæreticus.* Antiquam & fere primævam fuisse hanc commatis hujus παρεμπνοίαν, Clementis Alexandrini hæc verba indicant ; " Audivi sententiam viri in his rebus " sapientis, [a] vocantis Gentes consilium impio- " rum, Judaicam opinionem verò viam pecca- " torum, & accipientis Hæreses pro cathedrâ pe- " stilentium ". Eademque dicunt *Constitutiones Apostolicæ*, L. 2. §. 29. ut alios missos faciam, qui cum iisdem consentiunt. Quærit *Barnabas* " utrùm Domino curæ erat præmonere de Aqua " (scilicet Baptismatis) & de Cruce" ; & cum hæc verba citâsset, *tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum*, hæc addit, [b] " *Attendite* " *quomodo Aquam & Crucem simul descripsit* ". Aquarum hìc rivulos conspexi, mirabar autem ubi hìc Crucem invenerit : lucis aliquantulum præbuit *Augustinus* dicendo, *Lignum est Christus.* Sed quod in verbis Psalmistæ frustra quæsiverim, *Barnabæ* verbis luce clarius emicuit ; huic enim si fides adhibenda est, hoc dicit, *Beati sunt, qui, cum sperâssent in crucem, descenderunt in aquam.* Pergit *Barnabas* : *Folia* (ejus) *non decident* ; hoc dicit, *omnis sermo qui excidet ex ore vestro in fide, & charitate, erit in conversionem, & spem multis.* Quis commenta adeò putida, & ab omni veritatis specie aliena, ex ore Apostoli expectâsset ?

* *In locum.*

Psal. 2. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*] " Hæc verba, inquit *Estius, ego hodie genui te,* ad " æternam filii Dei generationem pertinere ple-

---

[a] Βελὴν ἥν ἀσεβῶν τὰ ἔθνη λέγοντα, ὁδόν τε ἁμαρτωλῶν τὴν Ἰουδαϊκὴν ὑπόληψιν, καὶ καθέδραν λοιμῶν τὰς αἱρέσεις ἐπιλαμβάνοντα. Strom. 2. p. 389.

[b] Αἰδάνεσθε πῶς τὸ ὕδωρ, καὶ τὸν σταυρὸν ὅτι τὸ αὐτὸ ὥρισε. Sect. XI.

[c] Τοῦτο λέγει, μακάριοι οἱ ἐπὶ τὸν σταυρὸν ἐλπίσαντες— Ibid.

" rique existimant, *Augustinum* secuti". Immo ante *Augustinum*, *Tertullianus* contra Praxeam, Cap. 11. & contra *Marcionem*, L. 3. Cap. 20. ubi ex his verbis contendit *de Christo Deo prophetatum esse*, & *Origenes* in *Johannem*, P. 31. " Ubi, hæc " verba, inquit, dicuntur ad illum à Deo, qui " semper est hodie, cujus ingenita & sempiterna " vita dies est : hodie ἐν ᾗ γεγέννται ὁ υἱὸς *in quâ* " *genitus est Filius* ; ita, inquit, Filii nobilitas de- " claratur". Et tamen *Theodoretus* in locum au- dacter dicit, [d] " Hanc autem vocem nemo, qui " Spiritus sancti doctrinæ credit, Divinitati Do- " mini Christi applicabit".

Psal. 3. 6. *Surrexi, somnum carpsi, & invigila- vi, quoniam suscepit me Dominus.*] " His verbis, " * juxta *Irenæum*, Resurrectionem Domini quæ " est ex mortuis per Patrem, & ejus receptionem " in cœlos præconiavit. † *Augustinus* dicit, ver- " ba hæc, *ego dormivi, & resurrexi*, magis ad Pas- " sionem & Resurrectionem Domini congruen- " ter, quàm ad historiam Davidis pertinere". Vide Justinum Apol. 2. p. 77.

* *L.* 4. *c.* 66. *p.* 364.
† *In locum.*

Psal. 15. 5. *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.*] Ex his & aliis veteris Testamenti ver- bis, Patres & Interpretes antiqui omnes omne omnino Usuræ & Fœnoris genus damnabant ; & *Christianis* illicitum pronuntiabant, nec Patres tantùm, sed Concilia tam *Generalia* quàm *Provin- cialia* in eandem concedebant sententiam. Canon Decimus septimus *Concilii Nicæni Clericos omnium ordinum eâ de causâ deponendos pronuntiat*, remque ipsam ἀναχωρησίαν *ex oblivione hujus Scripturæ natam appellant*. Canon Apostolicus Decimus-quartus apud *Balsamonem* eosdem ideò deponit, quia ὁ παλαιὸς νόμος φησιν, ὃν ἐκτοκιεῖς τὸ ἀργύριόν σου τῷ ἀδελφῷ σου. *Lex*

[d] Ταύτην δὲ τὴν φωνὴν ὑκ ἄν τις, τῇ τῶ θείω πνεύμα- τι & διδασκαλίᾳ πειθόμενος, τῇ θειότητι προσάψοι τῶ Δε- σπότου Χριςῶ.

anti-

antiqua dicit non dabis fratri tuo pecuniam ad usuram. Utq; cæteros omnes mittam, *Theodoretus* hæc habet; " Notandum est [e] non modo Novi Testamenti " perfectionem, verùm etiam Legalem statum Fœ- " nus damnare, idque cum iniquitate, injustitiâ, " & dolo copulare". [f] Juxta *Origenem*, stultum " est existimare Fœneratorem sanctum esse". *Ecclesia* denique † *Anglicana* dicit, " Eos, qui de " Usurâ incrementum capiunt, bona ista à Dia- " bolo recipere". Fallor si quis majorem in ullo Articulo Fidei Patrum consensum invenire possit, quàm in hâc Fœnoris prohibitione.

† *Hom. de Rogat. Septimana, p.* 306.

Psal. 19. 6. *A summo cœlo egressus ejus, & occursus ejus usque ad summum cæli, & non est qui se abscondat à calore ejus.*] *A summo cœlo egressus ejus,* " Quoniam illuc assumptus est unde & descen- " dit, & non est qui justum judicium ejus effugiat, " inquit *Irenæus*, L. 4. c. 66. p. 364. A sum- " mo cœlo, inquit *Pseud-Hieronymus*, id est a Pa- " tre; a summo, id est ab *æternitate*, egressus " ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus, " occursus ejus in coæqualitate Patris, quia " ascendit ad cœlum, sedit ad dextram Patris, " ubi antea, & semper fuit cum Ipso. *Augusti-* " *nus* pariter, a Patre egressio ejus non tempora- " lis, sed æterna, quâ de Patre natus est, & oc- " cursus ejus usque ad summum ejus, & occurrit " plenitudine Divinitatis usque ad æqualitatem " Patris". In commate secundo interpretando insaniunt planè *Pseud-Hieronymus*, & *Augustinus*. Est enim juxta *Hieronymum*, " dies *Christus*, dies " Apostoli, Duodecim Horæ diei Duodecim A- " postoli, nox nocti, nox *Judas*, nocti *Judæis*

---

e Οὐ μόνον ἡ καινῆς διαθήκης τελειότης, ἀλλὰ καὶ ἡ νομικὴ πολιτεία τὸν τόκον καλημερεῖ, καὶ τὴν ἀνομίαν, καὶ τὴν ἀδικίαν, καὶ πᾶν δόλῳ τὸν συζυγνύσιν. in Psalm. 54. v. 12. p. 609.

f Ἀνόητον ὄντι τὸ ὑπολαμβάνειν δανειστὴν τὸν ἅγιον. in Matth. p. 46.

" indicat

" indicat scientiam, id est, quando dixit, *Quem*
" *osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* Aliter nox,
" profunditas Scripturarum in Prophetis, indicat
" profunditatem Veteris Testamenti, juxta *Augu-*
" *stinum*, Dies diei, *i. e.* Sancti Sanctis, Apostoli
" fidelibus, ipse Christus Apostolis, quando dixit,
" *Vos estis lumen mundi*: apertum hoc videtur,
" & cognitu facile. Quomodo autem nox no-
" cti indicat scientiam? Nonnulli hæc verba
" simpliciter intellexerunt; & forte hoc sit verum,
" æstimantes hâc sententiâ significatum esse quod
" tempore Domini nostri Jesu Christi, cum in
" terrâ versaretur, Apostoli audierunt hoc in po-
" steros esse trajectum, tanquam tempore in
" tempus, dies diei, nox nocti, prior dies poste-
" riori diei, & prior nox posteriori nocti; quia
" hæc doctrina diebus & noctibus prædicatur.
" Iste est simplex intellectus; cui sufficit, suffi-
" ciat. Hoc si planum esset, unum aliquid au-
" diretis: quia verò obscurè dictum est, multa au-
" dituri estis. Est alius intellectus; dies diei, nox
" nocti, hoc est *Spiritus Spiritui, Caro Carni*; est
" alius; dies diei, *spirituales spiritualibus*, et nox
" nocti, *carnales carnalibus.* Dicamus autem
" unum aliquid, quod quidam velut conjicientes
" aperuerunt; Quando Dominus, inquiunt,
" Christus loquebatur Apostolis, *dies diei eructa-*
" *bat verbum*; quando Judas Dominum Christum
" prodidit *Judæis*, *nox nocti annuntiabat scientiam*".
Infinita hujusmodi reperies apud Commentarios Latinorum in Psalmos, præsertim *Augustini*, *Pseud-Hieronymi*, *Hilarii*, & *Ambrosii*. Nec minus insanit *Jobius* in his verbis typum S. Trinitatis inveniens, apud Photium, Cod. 222. p. 609.

Psal. 20. 4. *Vitam petiit à Te, & Tu dedisti ei longitudinem dierum*, &c.] Hæc quæ de Davide, & ejus posteris literaliter sunt dicta, mysticè autem ad Christum referuntur, *Irenæus* " de hominum
* *I.* 2. *c.* 64. " salute intelligit, his verbis; * De salvando
" homine

" homine ait, Vitam petiit à Te, & tribuisti ei " longitudinem dierum in seculum seculi, tan- " quam Patre omnium donante, & in seculum " seculi perseverantiam, his qui salvi fiunt: Non " enim ex nobis, neque ex nostrâ naturâ est, sed " secundum Dei datur gratiam; & ideo qui ser- " vaverit datum Vitæ, & gratias egerit ei qui " præstitit, accipiet & in seculum seculi longi- " tudinem dierum.

Psal. XLV. 1. *Cor meum eructavit verbum bonum.*] Hoc de Filij generatione dictum existimant Patres antiquissimi. In Psalmo Quadragesimo quarto, inquit * *Justinus M.* hæc in Christum dicta sunt, *Eructavit cor meum verbum bonum.* Juxta † *Tertullianum*, Pater & Filius demonstrantur ex hoc Dei dicto, *Eructavit cor meum sermonem optimum*: " Est, inquit, Christus " ante omnia genitus & unigenitus; & solus à " Deo genitus propriè de vulvâ cordis ejus, se- " cundum quod & Pater ipse testatur, dicens, " *Eructavit cor meum sermonem optimum.*" Ex iisdem verbis probat * *Cyprianus*, quod Christus sit Sermo Dei. Juxta † *Novatianum*, " vocatur " nomen ejus Verbum Dei, nec immeritò; E- " *ructavit*, enim inquit, *cor meum verbum bonum.*" ‖ *Athanasius* Christum esse ἴδιον αὐτῆς ἐκ φύσεως γέννημα, *Patris proprium & naturale Germen* ex Scripturis contendit, eò quòd Pater per *Davidem* dixit, *Eructavit cor meum verbum bonum.* * *Alexander*, *Alexandriæ* Episcopus, contra *Arium* sic disputat; *Quâ ratione ortus sit ex nihilo*, τοῦ πατρὸς λέγοντος, ἐξηρεύξατο---*Patre dicente, Eructavit cor meum verbum bonum.* Sunt qui dicunt has & alias ejusdem generis interpretationes hoc saltem ostendere, *Nitænos* Patres eodem prorsus modo Scripturas interpretatos esse, quemadmodum Ecclesiastici Scriptores ante controversiam de Christi Divinitate interpretarentur. Audio, nec abnuo; modò concedatur utrosq; ex Scripturis perperam intelle-

* *Dial. p.* 256.

† *Contra Prax. c.* 7, 11.

* *Test. l.* 2. *n.* 3.

† *Cap.* 13.

‖ *Contra Arian. c.* 2. *p.* 270. 3. *p.* 327.

* *Apud Socrat. Eccl. Hist. l.* 1. *c.* 6. *p.* 11, 12.

intellectis, sententiam istam subinde collegisse. 2. Certum est Patres tam *Antenicænos* quàm *Post-nicænos* interpretationem hanc suspectam habuisse. † *Basilius* dicit, quosdam existimâsse "Hæc ex personâ Patris dici de Verbo in prin-"cipio apud Ipsum existente; mihi autem, "inquit, videtur hæc ad Prophetæ personam re-"ferenda esse." "Quidam, inquit * *Hieronymus*, "superstitiosè magis quàm verè hæc ex personâ "Patris arbitrantur intelligi." Agnoscit denique *Origenes*, "Hunc esse locum à multis in hanc "rem adductum; addit tamen, *iis non prorsus* "*concedendum esse.*" Com. in Johan. p. 42, 43. Vide etiam *Theodoretum* in locum, cum *Basilio* consentientem.

† *To.* 1. *in Ps.* 44. *p.* 216.

* *Epist. ad Damasum, To.* 1. *F.* 45. *B.*

Psal. LI. Com. Quinto. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum; in peccatis concepit me mater mea.*] "Obscurus hic locus est, inquit Author Com-"mentarij in Psalmos, sub nomine *Hieronymi*; & altiùs retractandus: quod bono cum Deo facere aggredimur. Et

1. Non posse *Davidem* hìc loqui de Peccati Originalis reatu, ex eo certum est, quod sententia ista Infantem post conceptionem, in utero morientem, peccati reum constituit, atque, ita morientem, æterno exitio inevitabiliter obnoxium; utpote qui remedij adversùs Peccatum Originale, ob mortem hanc præmaturam, sit prorsus incapax. Statuit enim * *Augustinus*, *Quòd nullus vitam, in quâ natus est, benè finiet, nisi renatus antequam finiat; nec renasci quempiam posse, antequam natus sit.* Immo † *Libro de Fide ad Petrum*, sic eum alloquitur: "Firmissimè tene, & nullatenus "dubites, non solùm homines ratione utentes, "verùm etiam parvulos, qui, sive in utero ma-"trum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sive "cum de matribus nati, sine Sacramento sancti "Baptismatis de hoc seculo transeunt, ignis "æterni supplicio puniendos; quia etsi pro-

* *Ep.* 57. *p.* 181.

† *Cap.* 27.

"priæ

" priæ Actionis Peccatum nullum habuerunt, O-
" riginalis tamen Peccati damnationem carna-
" li conceptione & nativitate trâxerunt." Secundum ergo hanc sententiam, & commatis hujus hunc sensum, non possunt non æterno exitio devoveri myriades Infantum in utero morientium, atq; impossibile planè est eos ab æterni ignis supplicio eximere; quod adeò horrendum dictu, ut nihil magis à Dei Optimi Maximi bonitate, aut justitiâ, alienum dici aut cogitari possit: Nempe Deum has animas ita creâsse, ut in æternum pereant necesse est: nihil magis Patrum omnium ante *Augustinum*, immo Conciliorum judicio post *Augustinum*, adversum dici potest. Hæc enim sunt Concilij *Aurelianensis* Anathemata. * *Anathema* illi qui dicit, *Illum qui periit non accepisse ut salvus esse possit. Anathema* illi qui dixerit, *Vas contumeliæ assurgere non posse, ut sit vas in honorem.* Synodus *Arausiaca* & *Valentina: Sic aliquos prædestinatos esse divinâ potestate, ita ut aliud esse non possint, non solum non credimus, sed etiam, si sint qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione, sicut Arausiaca Synodus, illis Anathema dicimus.* Denique, juxta † *Origenem, Hæretici* sunt, *qui dicunt istos in perditionem creatos esse, & criminantur Creatorem, ut se criminibus absolvant.*

* *Apud Voss. Hist. Pelag. l. 7. parte 4.*

† *Ho. 13. in Ezek. F. 155.*

2. Est illud certum, *Davidem* hìc seriò deflere peccatum suum, ejusque remissionem, cum magnis suspiriis, & lachrymarum profluvio, flagitare. An verò consentaneum esset id agenti, culpam enormis sui tam adulterij quàm homicidij in Deum, Naturæ suæ Authorem, conjicere, & veluti cum *Adamo* dicere, Natura, *quam tu mihi dedisti, seduxit me*? Causam nempe non aliam tantorum peccatorum assignando, quàm corruptionem illam naturalem, quam Deus ei, ob peccatum *Adami*, inflixerat, quæque in eo nolente inhærebat, & omnibus hominibus cum eo communis fuit,

fuit. Hoc sanè non est peccati gravitatem deflere, nullo sacrificio diluendam, sed potiùs factum attenuare, id à se quasi removendo, atque in Deum, aut Naturam rejiciendo, quod procul fuisse à pœnitentis hujus animo existimo.

3. Patres ferè omnes ante *Augustinum* hæc verba ita interpretantur, ut nullum ex iis argumentum ad Peccati Originalis reatum adstruendum, saltem eorum judicio, duci possit.

1. Etenim *Clemens Alexand.* dicit, " *Davidem* " hìc ad matrem *Evam* respicere, innuendo ni- " mirum eam, postquam peccâsset, & mortis " sententiam accepisset, Matrem viventium fa- " ctam esse : [g] Et licet à matre peccatrice con- " ceptus sit, non tamen ipse in peccato fuit; " i. e. Peccatrix eum concepit, non verò Pecca- " torem. Non accusat eum qui dixit, *Crescite* " *& multiplicamini*; sed [h] primas ex generatione " impulsiones, per quas Deum non cognoscimus, impietates vocat. Si quis autem eâ ratione generationem dicit esse malam, eâdem " ratione eam bonam esse pronuntiat, utpote " per quam veritatem cognoscimus." Vide quàm perspicuè dicit, nos non esse peccati aut impietatis reos antequam primæ impulsiones mentis peccatum pepererunt, & per peccatum Dei ignorantiam : *Ignorantiam enim*, inquit, *Dei habent, qui peccant.* * *Chrysostomus* & *Theodoretus*, inter Græcos, *Clementis* vestigiis insistunt : Dicunt etenim, penè iisdem verbis, " *Davidem* hìc dicere, " olim, & à principio Naturæ, peccatum robur " obtinuit, quia mandati transgressio Evæ con- " ceptionem præcessit : post transgressionem enim

* *In locum.*

---

[g] Καὶ εἰ ἐν ἁμαρτίᾳ συνήλιφθη, ἀλλ' οὐκ αὐτὸς ἐν ἁμαρτίᾳ. Strom. 3. p. 469.

[h] Ἀλλὰ τὰς πρώτας ἐκ γενέσεως ὁρμὰς, καθ' ἃς Θεὸν οὐ γινώσκομεν, ἀσεβείας λέγει. Ibid.

" & divinam sententiam, & à Paradiso expulsi-
" onem, novit *Adam* uxorem suam; quæ, cum
" concepisset, peperit *Cain*. Hoc ergo est quod
" *David* hìc, & D. *Paulus* quinto ad *Romanos*, di-
" cunt, nempe quòd Peccatum progenitorum
" nostrorum invalescens viam quandam & tra-
" mitem per progeniem effecit." Atque hæc
" *Græcorum* de hoc commate sententiam satis in-
dicant. Pro Latinis loquatur * *Philastrius*. " Hæ- * F. 61. AB.
" retici, inquit, qui ex his verbis existimant Pro-
" phetam dixisse jus nuptiarum legitimum pec-
" catum esse, ignorant quòd alio modo dixerit
" Propheta *David*, non de naturali generatione,
" sed de transgressione *Adæ* Patris nostri, & *E-*
" *væ*, qui, post transgressionem peccati, pulsi de
" Paradiso, genuerunt Filios; atq; inde, quasi
" Matrem omnium, post iniquitatem transgres-
" sionis mandati, eam sic concepisse, atque ita
" peperisse docuerit. Quomodo enim de se di-
" cebat *David*, in iniquitate (se) conceptum,
" & in peccato genitum, cum legitimo jure na-
" tus sit, electusque à Deo ad tantam regni glo-
" riam peteretur? Non ergo hic in iniquitate
" aut peccato genitum se docebat, sed Parentes
" nostros, *Adam* & *Evam*, voluit ostendere, quod
" admisso peccato, id est transgressione manda-
" ti, postea sic genuerint Filios, atq; de eis nos
" omnes itidem parturierint." Vias autem & modos, quibus Peccatum à progenitoribus ad posteros emanavit, explicant,

1. Dicendo, id minimè fieri ex Naturali Generatione, juxta *Philastrium*; neque ex Matrimonio, sicut nonnulli, juxta *Chrysostomum* & *Theodoretum*, stultè existimabant. Nam, teste * *Clemente*, Ἁγία ἡ Γενεσις, " Sancta est Generatio, per * *Strom.* 3. *p.* 470.
" quam Mundus consistit; per quam Essentiæ,
" & Naturæ, per quam Animæ, per quam Præ-
" cepta, per quam Lex, per quam Evangelium,
" per quam Dei Cognitio." *Si enim*, inquiunt,

Peccati

Peccati naturalis vis esset, ἢ πᾶν ἐλεύθεροι πταισίας, à supplicio liberi essemus.

2. Positivè, Transgressionem principio à primis Parentibus patratam asserunt Peccato originem dedisse ex mortalitate eorum, & passionum impetu, mortalem hunc statum consequente. "Si enim illi, inquiunt, non peccâs-
"sent, mortem, in pœnam peccati, non acce-
"pissent: Si autem mortales non essent, cor-
"ruptione immunes essent; & cum incorrupti-
"oni conjuncta esset immunitas à passionibus, &,
"liberi à passionibus si essemus, locum non ha-
"buisset peccatum. Sed quoniam peccaverunt,
"morti traditi sunt; mortales autem facti, ta-
"les procreârunt Filios, talesque illos concu-
"piscentiæ & timores, voluptates & mœrores, &
"ira & invidia secutæ sunt." Quæ omnia planè destruunt Peccati Originalis vim ad reatum ab ipsis natalitiis inducendum; quæ, si aliqua omnino sit, non est passionibus, quas Infans exerere non potest, accepta referenda, sed Naturæ congenita, & ex ipsâ Sobolum *Adami* naturâ necessariò emanat, estque adeò, ob eandem planè causam, supplicio non digna.

3. *Hesychius* & *Severus* agnoscunt, aliam esse antiquorum Patrum in hæc verba interpretationem; nempe peccati matrem apud Scripturas vocari *Concupiscentiam*, quæ, cum conceperit, parit peccatum; & quod ab ejusmodi iniquitate, tanquam peccatorum matre, genitum se, atque conceptum, *David* affirmat: Hæc autem Concupiscentia, cum in Infantibus nihil concepit, non potest parere peccatum.

Denique dicit *Hesychius*, hujusmodi aliquid *Davidem* hic dicere, ac cum asserit *alienari peccatores à vulvâ, errare ab utero, & loqui falsa.* Et cum Deus per *Isaiam* dicit, *Transgressor ab utero vocaberis*, Isa. 48. 8. In quibus verbis non respici Peccatum Originale, ex eo liquet, quod alias Pro-

phetæ nihil aliud objecissent sceleratissimis his viris, quàm id quod ad sanctissimos quadraret. Ut ergo cùm *Pharisæi* cæco objiciunt, quòd *in peccatis totus natus fuerit*, nihil aliud innuunt, nisi quòd à juventute peccatis esset deditus; idem hìc *Davidem* dicere fas est existimare. Sunt enim hæ formulæ loquendi non infrequentes: *A pueritiâ crevit pupillus mecum, tanquam apud patrem; & ab utero matris meæ deduxi eum.* Job xxxi. 18. *Tu es, O Deus, eductor meus ab utero, confidere me faciens super ubera matris meæ; tibi innixus sum ab utero;* ἀπὸ γαστὸς, *à ventre.* Psal. xxij. 10, 11. Ex quibus locis, Charitatem in *Jobo*, in *Davide* Fidem Originalem extitisse, eodem jure arguere licet, quo, ex his *Davidis* verbis, Peccatum Originale adstrui solet. Porrò hoc impiis proprium facit *Sapientia Solomonis*, quòd ἔμφυτος ἡ κακία αὐτοῖς, *malitiam ab ipsâ naturâ habent*, Cap. 12. 10. Et cum fidelibus, inquit *Syraci* Filius, *Sapientia ex utero creata est.* Immo queritur ipse * *Cicero*, *Quòd simul atque editi in lucem, & suscepti sumus, in omni continuò pravitate, & summâ opinionum perversitate versamur.* Nec tamen *Syracides* Infantes in utero sapientes esse, nec *Cicero* eosdem Originalis Peccati reos, aut perversis opinionibus obnoxios ante rationis usum, existimabant. * *Tusc. Qu.* 3. n. 2.

Psal. LIV. 7. *Quis dabit mihi pennas sicut Columbæ?*] Admiratione dignum est, inquit *Theodoretus*, magnum *Davidem* columbæ, & non alterius volucris, alas accipere voluisse: manifestum est autem eum Spiritûs Sancti gratiam desiderare, qui in Columbæ specie Joanni apparuit in *Jordane.*" *Hilarius* & *Pseud-Hieronymus* hæc Christo applicant; dicuntque eum, infirmitate corporis gravatum, velle in spiritualem redire Naturam, ut Caro factus in Spiritum evolaret.

Psal. LVI. 11. *Et usque ad nubes veritas tua.*] *Theodoreto* interprete, "Sacra Scriptura homines

" divinâ gratiâ ornatos, nubes appellat: quem-
" admodum enim nubes abundè imbrium mate-
" riam suscipiunt, eodem modo Prophetæ &
" Apostoli, à divinâ gratiâ agitati, hominum
" animis spiritualem pluviam attulerunt." " Cœ-
" li, juxta *Pseud-Hieronymum*, sunt sancti, quan-
" do de supernis contemplantur; nubes, quan-
" do irrigant Corda humana de Prædicatione.
" Nubes, inquit *Augustinus*, intelligimus Prædi-
" catores Veritatis; Homines portantes istam
" carnem caliginosam quodammodo; sed un-
" de Deus & coruscat Miraculis, & tonat Præ-
" ceptis." Vide etiam *Theodoretum*, in Psal. cvij. 5.

Psal. LVII. 11. *Lavabit manus suas justus in sanguine peccatoris.*] " Lavat, inquit *Theodoretus*,
" manus suas, non sanguine illas cruentans &
" maculans, sed ostendens se innocentem, &
" ab illius malitiâ sejunctum; non enim, ut
" quidam existimabant, in sanguine lavatur, sed
" propter sanguinem lavatur." " Lætatur ju-
" stus, juxta *Hilarium*, manus suas non pecca-
" torum sanguine abluens, sed cum peccatores
" rei sanguinum sunt, manus ille ab omni re-
" atu sanguinis ablutas continebit." Quæ verba ex *Hilario* recitat *Pseud-Hieronymus*, quia, inquit, difficilis est hic Versiculus ad intelligendum. *Augustinus* denique literalem sensum respuit, & hunc substituit; " Attende impium morientem, &
" purga te à peccatis, ita lavas quodammodò
" manus tuas in sanguine peccatoris.

Psal. LXIV. 5. *Beatus quem elegisti.*] Hoc est, interprete *Hilario*, " Beatus est, quisquis
" fuerit electus; multi enim, secundùm Evan-
" gelium, vocati sunt, sed pauci electi — itaq;
" non res indiscreti judicij Electio est, sed ex
" *meriti delectu* facta est Discretio. Beatus ergo
" quem elegit Deus; beatus ob id, quia Electi-
" one sit dignus." *Hieronymus*: Vocat Deus om-
" nes

" nes, nec ullum spernit, sed pauci sequuntur;
" ergo qui se dignum ejus Electione præbuerit,
" cohabitat cum *Apostolis* sanctis in tabernaculis
" sempiternis." In hoc dogmate, Patres omnes ante *Augustinum*, cum *Hilario* consentiunt dicente, *Quos præscivit sibi devotos, ipsos elegit ad promissa præmia capessenda.*

Psal. LXVIII. 14. *Si dormieritis inter medias cleros,* (al. *sortes*) *pennæ columbæ deauratæ, & posteriora dorsi ejus in pallore Auri.*] Juxta Hebraicam veritatem, etiamsi in *Ægypto*, lateres fingendo, nigri fuistis, eritis albi instar argenti, & præ auro splendentes. Patres autem, turbidam Vulgati, & LXX *Virorum Versionem* sequentes, ad mysticos sensus à scopo verborum planè alienos recurrunt. * *Theodoretus*, Sortes, inquit, hìc vo- * *In Cant.*
" cat, *duo Testamenta*, Columbam verò *Spiritûs* *p.* 1026.
" *Sancti gratiam*, pennas habentem argentatas,
" Sermonis scilicet splendorem. Posteriora verò dorsi in pallore auri, hoc est occultorum
" Mysteriorum celebritatem; quasi diceret, Si
" in medio duorum Testimoniorum requieveritis, & ex utroque perceperitis utilitatem,
" varia illic Spiritûs Sancti dona reperietis."
Pseud-Hieronymus: "Cum credideris duobus Testamentis, invenies in utroq; Spiritum Sanctum;
" exterior verborum ornatus in argenti nomine
" demonstratur, occultiora verò mysteria in reconditis auri muneribus continentur. Si dormieritis inter medios Cleros, hoc est, si quiescatis inter Novum & Vetus Testamentum,
" invenietis in duobus Testamentis Spiritûs
" Sancti gratiam." *Augustinus* paulò aliter:
" Duas utriusq; Testamenti Hæreditates, terrenam Veteris, æternam Novi intelligit; adeo
" ut dormire inter duos Cleros, sit nec illam
" jam quærere ardenter, & adhuc istam expectare patienter.

Psal. LXXX. 1. *Qui sedes super Cherubim, appare.*] Hæc à *Davide* dicta vult * *Irenæus*, *postulante adventum Filij Dei*, & dicente, juxta *Hieronymum*, *Huic mundo te videndum præbe.* "Est, "inquit *Augustinus*, Psalmus de *adventu Domini* "& Salvatoris nostri Jesu Christi." Quæres fortasse quomodo Christus sedere dicitur super *Cherubim.* Audi rem ab *Irenæo* in clarissimâ luce positam :" Cherubini sunt animalia quadriformia, indicantia *Leonem*, *Vitulum*, *Faciem Hominis*, & *Aquilam*, quæ quatuor Christi repræsentant Evangelistas, à quibus scripta sunt quatuor Evangelia, quæ Christi adventum mundo enuntiant.

* *L.* 3. *c.* 11.

Psal. LXXXI. 1. 6. *Deus stetit in Synagogâ Deorum, in medio Deos discernit.*] Ita legit * *Irenæus*, qui hæc contendit dicta esse de *Patre*, & *Filio*, & de iis qui Adoptionem acceperunt, de *adoptivis Dei filiis.* Patres huic multi consentiunt. De Patre & Filio, fortè *Tertullianus* contra Praxeam, Cap. 13. & *Augustinus* in locum. "Verba autem sequentia, *Sicut homines moriemini*, ad eos, inquit *Irenæus*, indubitatè dicit, "qui non accipiunt munus Adoptionis, sed contemnunt Incarnationem puræ generationis Verbi Dei." †*Origenes* pariter: "Omnibus dicit quos "ad beatitudinem vocat, *Ego dixi Dij estis*, &c. "arguens verò eos, qui Dij fieri & filij Excelsi "nolunt, ait, *vos moriemini sicut homines* : quamdiu enim carnales sumus, & secundùm hominem ambulamus, nihil aliud quàm mortem "operamur." Secundùm *Augustinum*, "*Dij "estis, & filij Excelsi*, iis dicit, qui prædestinati sunt ad vitam æternam ; ad alios verò, Vos "autem *sicut homines moriemini.*

* *L.* 3. *p.* 208. & *c.* 21. *p.* 249.

† *In Mat. p.* 415.

Psal. LXXXIV. 12. *Veritas de terrâ orta est.*] "His verbis *David*, juxta * *Irenæum*, eam quæ est "ex Virgine Christi Generationem, & eam quæ "est ex mortuis Resurrectionem prophetans, "ait,

* *L.* 3. *c.* 5. 10.

" ait, *Veritas de terrâ orta est.* Quid dicis, *Ma-*
" *nichæe*, qui negas Carnem genuisse Salvato-
" rem? Ecce Veritas, i. e. Salvator, de terrâ
" orta est." Ita *Hieronymus*, *Augustinus*, *Fulgentius*, *Arnobius* Junior, *Euthymius*. " Veritas de
" terrâ orta est, inquit *Lactantius*; quia Deus,
" in quo Veritas est, terrenum Corpus accepit."
L. 4. c. 12. p. 384.

Psal. XCII. 12. *Justus florebit ὡς φοῖνιξ.*] Patres ferè omnes Resurrectionem Dominicam, & nostram, Partumque Virgineum, ex fabulâ de *Phœnice* adstruunt. Historiam, sive Fabulam, * *Hieronymus* sic exhibet. " Phœnix avis est in
" Indiâ, & per quingentos annos de Libano im-
" plet se Aromatibus, & sic nidificat, & indicat
" (se) Sacerdoti *Heliopolitano*, Mense *Fainenoth*,
" aut *Farmuth*: Implet aram Sacerdos sarmen-
" tis, & ibi confert *Phœnix* Aromata, & Ele-
" ctrum aræ imponit; & primo Solis ortu,
" *Phœnix* quidem movet pennas, Solis verò ca-
" lore accenditur Electrum, & sic exuruntur A-
" romata, & ipse *Phœnix* incenditur. Crasti-
" no die de cinere gignitur Vermis, secundo
" Pennas effert, tertio ad antiquam redit Natu-
" ram, & sic ad loca sua revertitur." Eâ recitatâ, sic pergit [i] *Clemens R.* " An magnum igitur
" & admirabile arbitramur, si omnium rerum O-
" pifex resurgere faciat eos, qui sanctè & Fidei
" bonæ confidentiâ ei servierunt?" Cum etiam per Volucrem ostendit Promissionis suæ Magnificentiam; dicit enim, Et *suscitabis me*, & *confitebor tibi*, & *somnum cepi*, & *invigilavi*, *quoniam tu mecum es.* Quæ vel nusquam occurrunt, vel nihil ad rem faciunt. Vide Notas in Psal. iij. 6. Vide etiam *Constitutionum Apostolicarum* Librum quintum, Cap. 6. p. 246. Ubi Scriptor aliter planè

* *Ep. de Cereo Paschali.*

---

[i] Ὅπου γὰρ δή ποτε δείκνυσιν ἡμῖν τὸ μεγαλεῖον τῆς ἐπαγγελίας αὐτοῦ. Epist. ad Corinth. §. 25, 26.

quàm *Clementis* Epistola, & ex Fide Gentium tantùm, rem exhibet. *Tertullianus* Historiam hanc, quam *Herodotus*, *Tacitus*, & *Lucianus* tanquam fabulosam retulerunt, velut rem extra dubium positam adducit his verbis: † " Accipe plenissimum atq; firmissimum hujus spei Specimen, " siquidem Animalis est res, & vitæ obnoxia, & " morti, illum dico Alitem Orientis peculiarem, " de singularitate famosum, de posteritate monstruosum, qui semetipsum lubenter funerans " renovat; natali fine decedens, atq; succedens, " iterum Phœnix; ubi jam nemo, iterum ipse " qui non jam, alius idem. Quid expressius, " atque signatius in hanc Causam?" " Vidit, inquit * *Cyrillus Hieros. Græcorum* infidelitatem, " & Avem in hoc condidit, quam Phœnicem appellamus." " Hæc, ut *Clemens* & alij complures referunt, cum sit unica Avis in terram " *Ægypti* spacio quingentorum annorum veniens, demonstrat Resurrectionem, nec huic " Historiæ diffidendum est." Tunc sequitur argumentum hujusmodi. " Ergo Animali quidem irrationali, & non cognoscenti factorem " suum, Resurrectio donatur, nobis verò Deum " glorificantibus, & mandatum ejus custodientibus, non donabitur?" Hujus Phœnicis mentionem facit Author incertus, sub nomine * *Epiphanij*, tanquam de re quæ *plurimorum fidelium & infidelium ad aures pervenerit*; eâque recitatâ, miratur Judæorum pervicaciam, qui triduanæ Resurrectioni fidem non adhibent, *cum Avis hac trium dierum spatio reviviscit.* † *Ambrosius*, hâc fabulâ allatâ, " Doceat igitur nos, inquit, hæc " Avis, vel exemplo sui, Resurrectionem credere, " quæ, & sine Exemplis, & sine Rationis Participatione, ipsa sibi insignia Resurrectionis instaurat." Notandum,

† *De Resur. Carnis, c.* 13.

* *Catech.* 18. *p.* 213.

* *Physiol. c.* 11. *p.* 103.

† *Hexam. l.* 5. *c.* 23.

Secundò, Patres quosdam, ad hujus Historiæ Veritatem comprobandam, hæc Verba *Psalmistæ* in

Ibid.

in medium proferre. * *Septimium* nempe, dicendo, " cui alii rei tale documentum? Deus etiam " ei teſtatur in Scripturis ſuis, & *florebit*, enim " inquit, *velut phœnix*, id eſt de morte, de fu- " nere, ut credas de ignibus quoque ſubſtantiam " corporis exigi poſſe. Multis Paſſeribus anti- " ſtare nos Dominus docuit; ſi non & *Phœnicibus*, " nihil magnum; homines ſemel interibunt, " avibus Arabiæ de reſurrectione ſecuris". Is qui k *Epiphanium* mentitur, hiſtoriâ Phœnicis præmiſſâ, hæc addit, propter hoc dixit Propheta, *juſtus ut Phœnix florebit*. Hoc, inquit *Ambroſius*, *relatione crebrâ & Scripturarum auctoritate cognovimus de fide Reſurrectionis*. To. 3. P. 39.

† *Ubi ſupra.*

Pſal. 103. 2. *Extendens Cœlum ſicut pellem.*] Multæ ſunt Patrum de Cœlo, & Terrâ ſententiæ à ſanâ philoſophiâ, ipſâque veritate maximè alienæ. Primò etenim ex hoc loco, & *Iſaiæ* Cap. 40. Com. ſecundo colligunt Cœlos non eſſe Sphæricos, ſed inſtar pellis aut lintei extenſos. * *Lactantius* dicit, ſententiam eorum qui *Antipodas* agnoſcunt ex hâc falſâ hypotheſi " ortum duxiſſe, quod Cœlos rotundos eſſe ag- " noſcebant". † *Pſeudo-Juſtinus* dicit, *Sphæram eſſe Cælum, & circulariter moveri, impoſſibile eſſe.* || *Chryſoſtomus* verba Divi Pauli recitans, in quibus Cœlum appellat *tabernaculum verum*; *Ubi*, inquit, *nunc ſunt qui dicunt Cœlos moveri, ubi ſunt qui pronuntiant Cœlum eſſe ſphæricum?* * *Apollinarius Junior*, " Cœlum orbiculare, juxta Græcorum ſermonem, " eſſe, in divinis Scripturis invenire non eſt: " *extendens*, inquit, *Cœlum ſicut pellem*, Iſa. 40. 22. " & rurſus, *Qui Cœlum ſtabilivit*, non qui in cir- " culo circumagit, & qui extendit eum ſicut ta- " bernaculum, non autem tanquam circulum " circumvolvit. Denique, juxta † *Procopium Ga-*

* *L.* 3. *c.* 24.

† *Reſp. ad Qu.* 130.

|| *To.* 4. *in Hebr. Ho.* 14. *p.* 507.

* *Caten. in Job c.* 38. *p.* 38.

† *Com. in Gen.* 1. 1.

k Διὰ τοῦτο ἔλεγεν ὁ προφήτης, δίκαιος ὡς φοῖνιξ ἀνθήσει. Ibid.

" zæum, assertio dicentium Cœlum esse figuræ
" Sphæricæ, & circulari motu converti, non
" concordat orthodoxæ veritati, sed contradicit
" *Moysi, Prophetis, Paulo, & Christo*, qui hanc
" opinionem ubiq e in divinis Scripturis refel-
" lunt, docentes Cœlum neque circulo ferri, ne-
" que sphæricam formam habere, sed immobile
" prorsus esse.

|| *Ibid.* Secundò, Idem de Terrâ sentit || *Lactantius*, falli nempe eos qui Terram Globo similem putabant. Huic sententiæ necessariò patrocinantur omnes qui *Antipodas* rejiciebant, inter quos idem *Lactantius* his verbis, " Quid illi qui esse contra-
" rios vestigiis nostris *Antipodas* putant? num
" aliquid loquuntur? aut est quisquam tam in-
" eptus qui credat esse homines quorum vestigia
* *De Civ. Dei L. 16. c. 9.* " sunt superiora quàm capita? * *Augustinus* simi-
" liter: Quòd verò & *Antipodas* esse fabulantur,
" id est, homines à contrariâ parte Terræ, ubi sol
" oritur, quando occidit nobis, adversa pedibus
" nostris sulcare vestigia, nullâ ratione creden-
" dum est".

† *Recog. L. 8. c. 21.* Tertiò Terram aquis innatare instar navis censebant apud † *Clementem* aliqui. *Athanasius* dicit Terram valde ponderosam esse, Aquam leviorem, & tamen à leviori gravius portatur. *Hilarius* in hæc verba Psalmi 135. 3. *Qui firmavit Terram super aquas*, " Altius, inquit, nos quærere
" ratio tractatûs præsentis, & loci non finit; sa-
" tis sit, Terram super Aquas pendulâ firmitate
" consistere, ex propheticâ authoritate didicisse.
Vide in eadem verba *Theodoretum* & *Augustinum*.
Psal. 106. 38. Et *jumenta eorum non minoravit.*]
" Jumenta, inquit *Augustinus*, & pecora dicun-
" tur in Ecclesiâ simpliciter ambulantia, sed uti-
" lia, non multum docta, sed fide plena. Irrati-
" onabiles inter eos homines non sunt minorati
" in inferius, sed in melius reparati. Ita *Hierony-*
" *mus*. Juxta *Theodoretum*, jumenta vocat eos qui

" ab

" ab *Apostolo* pascebantur, quos ipse auxit, " cum virtutem edendi miracula ipsis suppedi- " tâsset.

Psal. 143. 1. *Qui docet manus meas ad prælium, digitos meos ad bellum.*] Sanè nobis conveniunt, inquit *Theodoretus*, ea quæ dicta sunt. Nam à Diaboli tyrannide liberati, à Deo pugnare edocti sumus, manibus quidem justitiam operantes, *per digitos verò frontibus imponentes signum Crucis.*

Psal. 150. 4, 5, 6. *Laudate eum in psalterio, & cytharâ, in tympano, & choro, in chordis, & organo, in cymbalis bene sonantibus.*] " His olim Levitæ " organis utebantur, Deum in divino Templo " laudantes; non quòd Deus horum sono oble- " ctaretur. Nam Deum minimè delectari canti- " bus & sonis audimus; *ipsam vocem organorum* " *tuorum non audiam* Hæc igitur fieri permisit, " cum ab Idolorum errore eos liberare vellet. " Quoniam enim ludorum studiosi erant, & ri- " sus amatores, & hæc omnia in Idolorum tem- " plis fiebant, hæc permisit, hoc pacto eos alli- " ciens, & minori damno majus impediens, & " per imperfecta perfecta prædocens". Ita hic " *Theodoretus*. *Pseudo-Justinus* pariter: " [1] Non " simpliciter canere insipientibus congruum est, " sed organis inanimatis canere; quocirca in " Ecclesiâ cantionum usus præfertur, talibus or- " ganis aliisque insipientibus sunt accommoda- " ta.

---

[1] Οὐ τὸ ᾄσαι ἁπλῶς ὅτι τοῖς νηπίοις ἀρμόττον, ἀλλὰ τὸ μετὰ ψυχῶν ὀργάνων ᾄσαι. Resp. ad Qu. 107.

Sectio Tertia

Exhibet Patrum Scholia quædam in Librum Proverbiorum.

CAP. 5. 20. *Ne sis multum apud alienam.* (ſup. uxorem)] " Hæc dicendo, inquit " [a] *Clemens Alexandrinus*, uti quidem, ſed non im- " morari, & permanere in ſeculari doctrinâ mo- " net". Quæ de aquâ, fonte, & puteo occur- " runt, v. 16. *Clemens Alexandrinus* interpreta- tur † *de puro fluento aquæ vivæ.* Divinarum re- rum cognitio, juxta * *Didymum, eſt fons, & pu- teus.* Bibe aquas, inquit *Olympiodorus*, hoc eſt, ſalutaria vitæ documenta ex Sacris literis hau- ri, & pietatis potum ex divinæ cognitionis pu- teis. Quid eſt, inquit † *Auguſtinus, de fonte alie- no ne biberis?* Spiritui alieno ne credideris. Sed præ omnibus || *Origenes* : " In Proverbiis dicit ſapientia, *bibe aquas de puteorum tuorum fonte.* Vi- " deamus ergo quorum puteorum unum dixerit " fontem. Ego puto quòd ſcientia ingeniti Pa- " tris unus poſſit intelligi puteus ; ſed & unige- " niti Filii ejus agnitio alius puteus intelligi de- " beat. Et rurſus : tertium puto videri puteum " poſſe cognitionem Spiritûs ſancti --- Eſt ergo " hæc trium diſtinctio Perſonarum in Patre, & " Filio, & Spiritu ſancto, quæ ad pluralem pu- " teorum numerum revocatur. Sed horum pute- " orum unus eſt fons ; Una enim Subſtantia eſt, " & Natura Trinitatis". Hæc ultima *Ruffinum* redolent.

† *Stro.* 2. p. 362.

* *Lat. Gr. in prov.*

† *Tr.*6to *in Epiſt. Joh.* p. 423

|| *Ho.* 12. *in Numeros* F. 112. c.

Cap. VIII. 22. Dominus ἔκτισέ με *in principio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à princi-*

---

[a] Χρῆσθαι μὲν, οὐκ ἐνδιατρίβειν δὲ, καὶ ἐναπομένειν τῇ κοσμικῇ παιδείᾳ. Stro. 1. p. 283.

pio.]

pio.] Patres omnes *Antenicæni* hæc de Christi generatione πρὸ αἰώνων *ante secula* intelligebant, atque hinc colligebant Christum omnino à Patre genitum esse ante omnes creaturas. Ita *Justinus* Dial. cum Tryphone, p. 284. *Irenæus*, L. 4. c. 37. p. 331. *Clemens Alexandrinus* Admonit. ad Gentes, p. 52. *Origenes* in Johannem, Ed. Huet. P. 11, 17, 18, 36, 335. *Tertullianus* contra Hermogenem c. 18. *Cyprianus* Testimon. L. 2. n. 1. *Constitutiones Apostolicæ*, L. 5. c. 20. *Eusebius* cum hunc locum in medium adduxisset, Hist. Eccl. L. 1. c. 2. p. 8. Christum appellat, πρωτόγονον καὶ πρωτόκτισον θεοῦ σοφίαν, *Sapientiam Dei primogenitam, & primò creatam.* His adde *Meletium* apud *Epiphanium*, Hær. 73. n. 31. & *Lactantium*, l. 4. c. 6. Cum autem *Ariani* ex his verbis contendissent Filium esse Creaturam, cæteris omnibus præponendam, & cujus Ministerio reliquæ omnes productæ essent, cœperunt Patres partim ab hâc Lectione recedere, dicendo, in Seniorum Codicibus legendum esse, non ἔκτισε creavit, sed ἐκτήσατο possedit, quæ est *Aquilæ* Versio: partim, admissâ Lectione antiquâ, asserere hæc ad assumptam Humanam Naturam pertinere. Ita *Athanasius* passim: [b] *Non dicit, ante opera, ne quis id dictum acciperet de Divinitate Verbi.* Hanc Sententiam amplectuntur, juxta * *Petavium*, *Epiphanius*, *Basilius*, *Gregorius Nazianzenus*, & *Nyssenus*, *Cyrillus Cæsariensis*, *Hilarius*, *Ambrosius*, *Augustinus*, *Hieronymus*, plerique alij, quos peroensere longum sit. Denique Judicium suum de hâc lite adhibet his verbis; viz. † " Non Librariorum culpâ irrepsisse " in Editionem τῶν LXX Interpretum verbum " ἔκτισε, vice τῆς ἐκτήσατο, sed eos cum Paraphrasi

* *De Trin. l. 2. n. 3.*

† *Ibid §. 10.*

---

b Οὐ λέγει πρὸ ἔργων, ἵνα μή τις εἰς τὴν θεότητα τοῦ Λόγου ἐκλάβοι τὸ ῥητόν. Expos. fidei, p. 242.

" Chal-

" Chaldaicâ vertisse ἔκτισέ με, prout illa *barani*,
" 2. Nec Sapientiam Divinam præcisè, quà De-
" us sapiens est; nec illam ab æterno genitam
" & productam, quæ Λόγος, Verbum, & Dei Fi-
" lius appellatur; sed confusâ Notione nescio
" quam designandi & constituendi Operis Intel-
" ligentiam & Scientiam exprimit, cujusmodi
" Deus cum intelligentibus Creaturis communem
" habet": Hoc est, Patres, qui vel de Verbi Divinâ, vel Humanâ Naturâ hunc locum intelligebant, à vero verborum sensu deviârunt.

Cap. IX. 1, 2. *Sapientia ædificavit sibi domum, excîdit septem columnas, miscuit vinum, & proposuit mensam suam.*] " Sapientia, inquit *Hieronymus*,
" ædificavit sibi domum; quia Hominem Fili-
" us Dei, quem in Unitatem suæ Personæ su-
" sceperit, ipse creavit." Disputator sub nomine * *Athanasij*, in *Concilio Nicæno*, cum hæc verba citâsset, " Haud dubiè, inquit, qui Cor-
" pus sibi ædificavit in ventre *Mariæ* Deiparæ,
" sine commercio Viri." Dicendo, *Sapientia*
" *ædificavit sibi domum*, juxta c *Gregorium Nysse-*
" *num*, indicat Carnis Christi per Verbum
" Constructionem; non enim in alienâ domo
" vera Sapientia inhabitavit, sed sibi Domici-
" lium in Virginali Corpore ædificavit." Denique † *Augustinus*, (recitatis his verbis) " Hìc,
" inquit, certè agnoscimus Dei Sapientiam, hoc
" est, Verbum Patri Coæternum, in Utero Vir-
" ginali Domum sibi ædificâsse, Corpus huma-
" num: Illud, inquit, non nisi de Christo &
" Ecclesiâ consuevit intelligi, ab eis qui Chri-
" stum Sapientiam Dei esse noverunt." Plures vide apud *Cornelium à Lapide* in locum. Per

* *To.* 1. *p.* 121.

† *De Civ. Dei, l.* 17. *c.* 20.

c Τῶν τῆς σαρκὸς Κυρίου κατασκευὴν διὰ τοῦ Λόγου αἰνίττεται. Contr. Eunomium Orat. 2. p. 77.

septem

septem Columnas, *Hieronymus*, cum aliis, intelligit *septiformem Spiritûs Sancti Gratiam*. *Augustinus* de Civitate Dei l. 17. c. 4. universalem Christi Ecclesiam, quos alij sequuntur ab eodem *Cornelio* citati.

" In Pane, inquit *Hieronymus*, certè *Corporis ipsius*, in Vino mixto Sanguinis sacrosancti Mysterium, quo in Altari, Mensâ videlicet ejus, satiamur, ostenditur." *Origenes* etiam de Calice Eucharistico intelligit, in Matth. p. 118. * *Pseud-Athanasius* de sanctissimo Christi Corpore & Sanguine, *Augustinus* de Mensæ Dominicæ Participatione interpretatur.

* *Ibid. p.* 122.

Prov. XVIII. 22. *Qui tenet adulteram, stultus est & insipiens.*] " Communis Patrum Sententia, inquit † *Cotelerius*, jubet ut dimittatur cuipæ affinis præsertim; id verò jubent, tum ob locum Proverb. xviij. 22. tum ob rationem || *Ambrosij*, quòd castum ab adulterio præstare se debeat; *Qui enim meretrici jungitur, unum corpus est*, i. e. ut vitentur Impietas, Adulterium & Stultitia. Juxta * *Constitutiones Apostolicas*, Corruptam qui retinet, Legem Naturæ violat; dictum est enim, *Qui adulteram retinet, stultus & impius est; & abscinde eam à carnibus tuis. Vir*, inquit † *Basilius*, *eam quæ polluta est ab ædibus suis amandabit: Apostolo dicente, qui adhæret meretrici, fit unum corpus*, 1 Cor. vi. 16. *Jeremias* autem dicit, *Si fuerit mulier cum alio viro, non revertetur ad virum suum, sed polluta polluetur*: Et rursus, *Qui retinet adulteram, stultus est & impius.* Atque in Mulieribus Consuetudinem hanc invaluisse, & accuratè observatam fuisse dicit; in Viris fornicantibus nequaquam. " Dominus, juxta * *Isidorum Pelusiotam*, eas quæ Matrimonij Legem violant ejicere jussit." " Cùm illa unam carnem in aliam diviserit, & se fornicatione separaverit; non debet retineri, inquit † *Hieronymus*, nè Virum sub male-

† *Notis in Herm. p.* 54.

|| *L.2.inLucam, p.* 17.

* *L.6.c.4.*

† *Can.* 9. & 21.

* *L.3. Ep.* 76.

† *InMatth. p.* 26. *G.*

" dicto

" dicto faciat, dicente Scripturâ, *Qui adulteram*
" *tenet, ſtultus & impius eſt.*" *Auguſtinus*, cùm
dixiſſet hoc permiſſum, non juſſum eſſe, revocat
* *Retract. l. 1. c. 19.* hanc Sententiam his verbis, * " Utrùm propter
" hanc fornicationem liceat dimittere uxorem,
" latebroſiſſima Quæſtio eſt; licere tamen pro-
" pter iſtam quæ in ſtupris committitur, nulla
" Quæſtio eſt: & ubi dixi hoc permiſſum eſſe,
" non juſſum, non attendi aliam Sententiam di-
" centem, *Qui tenet adulteram, ſtultus & impius*
" *eſt.*"

Cap. XXII. 20. *Ecce deſcripſi tibi tripliciter.*] Ex hac malâ Vulgati verſione, diſce fundamentum omnium interpretationum myſticarum, tropologicarum, anagogicarum, in quibus Patres ultrà modum peccant. " Ut enim homo conſtat ex
" Corpore, Animâ, & Spiritu, ita, inquit *Catena*,
" S. Scriptura conſtituitur ex literâ, tanquam ex
" corpore, ex tropologiâ, tanquam ex animâ,
† *In Ezek. F. 190. L.* " & ex anagoge, tanquam ex ſpiritu." † *Hieronymi* hæc ſunt verba: " Legimus in Proverbiis, *tu autem ſcribe ea tripliciter*, & jubetur nobis ut eloquia veritatis, id eſt S. Scripturas, intelligamus tripliciter: (1.) Juxta literam. (2.) Mediè per tropologiam. (3.) Sublimiùs, ut myſtica quæque poſcamus." Eadem repetit To. 3. F. 53. H. & To. 6. F. 39. D. juxta
‖ *Collat. 14. c. 8. p. 364.* ‖ *Caſſianum*, " Spiritualis ſcientiæ genera ſunt
" Tropologia, Allegoria, Anagoge, de quibus in
" Proverbiis ita dicitur, *tu autem deſcribe ea tibi*
" *triplicìter ſuper latitudinem cordis tui.*" Viam his
† *Philoc. c. 8.* omnibus præſtruxiſſe videtur † *Origenes* his verbis:
" Apud *Solomonem* in Proverbiis hujuſmodi quip-
" piam in doctrinis divinitùs ſcriptis decretum
" invenimus, & *tu hæc ſcribe tripliciter*, trifariam
" ergo deſcribendæ ſunt in mente Sanctarum Li-
" terarum ſententiæ, ut ſimplicior quidem con-
" firmetur à literali ſententiâ, quam κρέϊττονα in-
" doctùs *promptum ſenſum*, & ſcripturæ quaſi car-

" nem appellat ; qui verò adultior eſt, ab ipſâ " quodammodo animâ ipſius ; qui verò perfecti- " or eſt, ἀπὸ τῦ πνευματικῦ νόμυ, à lege ſpirituali " umbram habente futurorum bonorum." Porrò ea, quæ ex græcâ Catenâ citavimus, latius occurrunt apud eundem *Origenem*, l. 4. περὶ ἀρχῶν, cap. 2. fol. 152. A. his verbis : " Tripliciter ergo de- " ſcribere oportet unamquemque intelligentiam " divinarum literarum, ut ſimpliciores quique " ædificentur de ipſo (ut dicam) corpore ſcri- " pturarum, &c."

SECTIO QUARTA

Dat quædam S. Patrum Commenta in Solomonis Eccleſiaſtem.

CAP. II. 24. *Non eſt bonum homini niſi quòd comedit, & bibit, & oſtendit animæ ſuæ bonum in labore ſuo.*] Sententiæ literalis paupertatem hìc ſugillat *Hieronymus*, ſpiritualem ſenſum exhibet his verbis : " Bonum eſt itaque veros cibos, & " veram ſumere potionem, quos de Agni Carne " & Sanguine in divinis voluminibus invenimus." * *Auguſtinus* itidem : " In alio libro qui vocatur *Eccleſiaſtes*, ubi ait, *Non eſt bonum homini niſi quòd manducabit, & bibet*, " quid credibilius dicere in- " telligitur, quàm quod ad participationem " Menſæ hujus pertinet, quam Sacerdos ipſe " Mediator Novi Teſtamenti exhibet ſecundum " ordinem *Melchiſedech*, de corpore & ſanguine " ſuo ?"

*De lib. Dei l. 17. c. 28.

Cap. IV. 12. *Triplex funiculus difficilè rumpitur.*] Hæc de Sacroſanctâ Trinitate exponunt Patrum non pauci. " Trinitas non rumpitur, inquit " † *Baſilius*, κατὰ τὸ γεγραμμένον, *Secundum id quod* " *ſcriptum*

† To. 1 contr. Eunom. l. 5. p. 800.

" *ſcriptum eſt, triplex funiculus non diſrumpitur.*"

* *Ep. l.* 4. *Ep.* 17. * *Ambroſius* hoc vult ſecundùm Myſterium intelligi: " Trinitas nimirum incompoſitæ naturæ " rumpi non poteſt." " Si Pater, Filius, & Spi-

† *In locum.* " ritus Sanctus advenerint, inquit † *Hieronymus*, " non citò rumpitur iſta Sodalitas. Funis autem " triplex non rumpitur, quæ eſt Trinitatis fides, " à quâ dependet, & per quam ſuſtinetur omnis " Eccleſia." *Orig. in Exod. Ho.* 9. *F.* 46. *A.*

Cap. X. 16, 17. *Væ tibi Terra, cui Rex adoleſcens eſt.*] Id eſt, interprete *Hieronymo*, cujus eſt *Diabolus* Rex. *Beata terra, cujus Rex eſt filius nobilium.*] Eodem interprete, beata terra Eccleſiæ, *cujus Rex eſt Chriſtus filius ingenuorum*, de Abraham, Iſaac, & Jacob, Prophetarum quoque & Sanctorum omnium ſtirpe deſcendens. " Hoc, in-" quit *Auguſtinus*, pertinet ad Civitates duas, " unam *Diaboli*, alteram *Chriſti*. Adoloſcentem " dixit *Diabolum*, propter Stultitiam & Superbi-" am, & Temeritatem & Petulantiam, cæteraque " vitia quæ huic ætati aſſolent abundare:" Chriſtum autem Filium Ingenuorum, Sanctorum Patriarcharum, pertinentium ad liberam Civitatem, ex quibus eſt in Carne progenitus.

Cap. XI. 2. *Da partem ad ſeptem, nec non ad octo.*] " Præcipitur, inquit *Hieronymus*, ut in " utrumque Inſtrumentum, tam Vetus ſcilicet " quàm Novum, pari veneratione credamus."

* *Ep.* 119. *c.* 13. *Auguſtinus* pariter: * " Illud in Eccleſiaſte ad " duorum Teſtamentorum ſignificationem di-" citur." " *De Pentecoſte & Octavo*; i. e. de A-

†*Orat.* 4. §. *y.* 706. " nimarum *Sabbatiſmo*, inquit † *Nazianzenus*, " nonnulli Majorum noſtrorum hunc *Solomonis* " locum expoſuerunt." Vide plura apud *Lorinum* in locum.

Cap. XII. 12. *Fili mi, cave à faciendo multos libros.*] Hæc à veteribus ita citata Crucem figebant *Origeni* & *Hieronymo*, quorum Volumina

haud pauca, ex multis temporis injuriâ pereuntibus, ſuperſunt : Timebant etenim nè hâc Librorum Copiâ contra hoc *Solomonis* Præceptum offendiſſent. En ergo σοφὸν φάρμακον, quo ex hoc ſcrupulo ſeipſos eximebant. " Moris eſt " Scripturarum quamvis plures Libros, ſi inter " ſe non diſcrepent, & de eâdem re ſcribantur, " unum Volumen dicere : Juxta hunc igitur ſen- " ſum, arbitror, inquit *Hieronymus*, nunc præ- " ceptum, nè plures Libri fiant. Quicquid enim " dixeris, ſi ad eum referatur qui in principio " erat apud Deum, & Deus erat Verbum, unum " Volumen eſt ; & innumerabiles Libri, una " Lex, unum Evangelium nominantur." " Nos, " inquit *Origenes*, qui non cavimus à Libris mul- " tis conficiendis, Præceptum hoc violavimus ; " niſi ſenſum abſtruſum, & nobis adhuc obſcu- " rum habeat." Ita Præfatione in *Johannem* ; " Et vereor, inquit, nè tibi, *Ambroſie*, obtem- " perans, Deo non obediverim." Denique ad *Hieronymi* Refugium ſe recipiens dicit, [a] " Eum, " qui à divino Cultu alienum aliquid dicit, lo- " quacem eſſe ; qui verò ea dicit quæ vera ſunt, " etſi omnia dixerit, nihilque reliqui fecerit, " unum ſemper dicit.

---

[a] Ὁ δὲ λέγων τὰ τῆς ἀληθείας, κἂν εἴπῃ τὰ πάντα, ὡς μηδὲν ἀφῆκεν, ἕνα ἀεὶ λέγῃ λόγον.

SECTIO QUINTA

Exhibet Scholia quædam S. Patrum in Isaiam *Prophetam.*

CAP. I. 3. *Cognovit Bos Possessorem suum, & Asinus Præsepe domini sui.*] "Bos, secundum anagogen, inquit *Hieronymus*, refertur ad "*Israel*, qui Legis portavit jugum, & mundum "Animal est: Asinus, peccatorum onere gravatus, Gentium Populus accipitur." Atque hæc ex * *Origene* accepit, qui *Lucæ* verba de Salvatore in Præsepi jacente perpendens, "Hoc, inquit, illud erat de quo Propheta vaticinatus est, dicens, *Cognovit Bos Possessorem suum, & Asinus præsepe domini sui.* Bos animal mundum est, Asinus Animal immundum: Cognovit Asinus Præsepe domini sui, non Populus *Israel*, sed immundum Animal ex Gentibus." † *Nazianzenus* itidem: "Cognosce, inquit, ut "Bos possessorem suum, *Isaias* te admonet, & "ut Asinus Præsepe domini sui, sive mundus "quispiam sis, ac Legi subjectus; sive etiam "adhuc immundus, ac Cibo & Sacrificiis inutilis, & Ethnicæ Partis." * *Gregorius Nyssenus*: "Præsepe, in quo Verbum gignitur, bestiarum domus est, ut cognoscat Bos Possessorem suum, & Asinus Præsepe domini sui: Bos "Legis jugo subditum significat; Asinus, Animal ferendis oneribus natum, eum qui Idololatriæ crimine onustus est." Atque hinc nata est Fabula de Christo inter Bovem & Asinum nato. Mirum tamen est, non sensisse hos Patres, non tantum de Asino, sed de Bove præcipuè dictum esse, quòd *dominum suum cognoverit,*

* *Ho.* 13. *in Luc. F.* 100. B.

† *Orat.* 38. *p.* 623.

* *In Diem Nat. Christi To.* 2. *p.* 781.

verit; cum tamen hæc παρεμφατία docet, Bovem hunc mysticum Dominum suum non agnovisse; i. e. *Judæos* in Christum non credidisse. Ferè præteriissem *Jobium* pariter, de Bove & Asino perorantem, apud *Photium*, Cod. 222. p. 580.

Cap. VIII. 2. *Accessi ad Prophetissam, & concepit filium.*] Patres hic omnes miro consensu asserunt, Puerum hunc esse *Jesum Christum* Dominum nostrum; undè necessariò sequitur, *Prophetissam*, ad quam accessit *Isaias*, esse debere, secundum * *Basilium* & *Procopium*, Christi Matrem; juxta * *Theodoretum* & *Cyrillum*, *Sacram Virginem*. Prophetissam hanc esse *Spiritum Sanctum*, || *Eusebius* & *Hieronymus* existimant. *Accipere virtutem Damasci*, & *spolia Samariæ*, est, juxta eosdem Patres, *vincere Diabolum*, & *Spolia ab eo abripere*. " Hæc enim dicendo, inquit [a] *Justinus M.* ma- " ligni Dæmonis Damascum incolentis potesta- " tem indicavit per Christum vincendam esse." " Jam, inquit * *Irenæus*, exspoliabat Homines, " auferens ignorantiam ipsorum; suam autem " agnitionem eis donans, & dispartitionem fa- " ciens eorum qui cognoscebant eum; quem- " admodum *Esaias*, *Voca*, inquit, *nomen ejus, ve-* " *lociter spolia, celeriter dispertire*: Hæc sunt autem " Opera Christi, occultè quidem, sed potenter " omnia manifestantis, quoniam *occultâ manu ex-* " *pugnabat Dominus Amalechum.*" Quidam, notante † *Eusebio*, dixerunt, " *Magos ab Oriente ve-* " *nientes*, & Christum, cum Puer adhuc esset, " adorantes, Potestatem Damasci esse; & Spo- " lia Samariæ dici de Judaicâ Gente assumptos " Salvatoris nostri Discipulos atque Apostolos." Nempe *Justinus M.* hæc tunc facta esse autu-

* *In locum*

|| *Dem. Evang. l. 7. p. 329.*

* *L. 3. c. 18. p. 240.*

† *Ibid. p. 331.*

[a] Τῦ πονηρῦ Δαίμονος τῦ ἐν Δαμασκῷ οἰκῦντος δύναμιν ἐσήμαινε νικηθησομένην τῷ Χριστῷ. Dial. p. 304.

mat, [b] quando Magi ab Arabiâ venientes adorâssent eum. " Magi enim hi, cum anteà à ma-
" lo Dæmone, ad omnes malas actiones perpe-
" trandas, quasi prædâ capti essent, venientes &
" adorantes Christum, manifestè defecerunt ab
" istâ potestate." * *Tertullianus* pariter : " Ma-
" neant, inquit, Orientales illi Magi Infantiam
" Christi recentem auro & thure munerantes ;
" & accepèrit Infans virtutem Damasci, sine præ-
" lio & armis ; omnibus enim notum est, Ori-
" entis virtutem, id est, vires, auro & odoribus
" pollere solitam." *Theodoretus* : " Simul ac
" natus est, inquit, prima Diaboli vasa, id est,
" Magos ad (sui) Adorationem pertraxit." Eademque habet *Cyrillus* in locum, & *Epiphanius*, Expos. Fidei, p. 1085. & denique *Augustinus*, Serm. 32. de Tempore, Tom. 10. p. 627.

* *Adv. Judæos, c. 9.*

Juxta *Basilium* & *Procopium*, *Damasci* hi sunt, qui ex Gentibus credunt ; Spolia autem *Samariæ*, qui ex Circumcisione Fidem amplexi sunt ; Nomen autem huic Puero impositum, juxta eosdem, indicat, " quòd *Damasci* potentiam Re-
" gisque *Assyriorum*, id est, Satanam, & impro-
" bas & prophanas Dæmoniorum turmas depræ-
" daturus sit Christus, atque ejus servitio libera-
" turus eos qui seducti erant :" Ita *Cyrillus*. *Eusebius* pariter sensum magis spiritualem sic exhibet : * " Christus scilicet vincet duos Ordines
" Dæmonum ; quorum unus homines ad Cul-
" tum simulacrorum impellit, alter in eorum
" moribus corrumpendis, ad animarum interi-
" tum, occupatur." " Et hoc faciet, inquit *Hi-*
" *eronymus*, antequam Humanum Corpus assu-
" meret, &, juxta infantiam, Patrem vocaret
" Deum, & Matrem *Mariam*.

* *Ibid. p. 330.*

---

[b] Ὅτι Μάγοι ἀπὸ Ἀραβίας παραγενόμενοι προσεκύνησαν αὐτῷ. Ibid. p. 303, 304.

Cap.

Cap. IX. 6. *Principatus super humeros ejus.*] Vel quia Crucem suam ipse portaverit, vel per Humerum ostendens Brachij Fortitudinem. Ita * *Origenes*: "Principatus factus est super Humeros ejus, regnavit enim, eò quòd in Crucem suffixus est." "Quis omnino Regum, inquit † *Septimius*, insigne Potestatis suæ Humero præfert, & non aut capite Diadema, aut in manu Sceptrum? — Sed solus novus Rex Seculorum Christus Jesus, novæ Gloriæ, & Potestatem, & Sublimitatem suam in Humero extulit, Crucem scilicet, ut, secundum superiorem Prophetiam, exinde *Dominus regnaret â ligno.*" * *Basilius*: "*Cujus Principatus est super humerum ejus?* "Hoc est, Regnum & Potestas in Cruce, in Crucem enim exaltatus ad Seipsum pertraxit omnia." Ita etiam *Procopius* & *Theodoretus* in locum. Juxta *Augustinum* denique, tunc Christus *Principatum super humerum ejus habuit, quando Crucem suam admirabili humilitate portavit.* Serm. 71. de Tempore, To. 10. p. 737.

* *In Joh.* p. 42.

† *Adv. Judæos*, c. 12.

* *To.* 2. *p.* 212.

Cap. XXXII. 20. *Beatus qui seminat super omnem aquam, quam calcavit Bos & Asinus.*] Nempe, interprete [c] *Clemente Alexandrino*, *Populus, qui ex Lege, & ex Gentibus, in unam Fidem congregatur.* *Hieronymus* plenius: "Beati estis Apostoli, cæterique Doctores, qui seminatis super omnes Aquas Scripturæ Sanctæ, in quibus calcat Bos & Asinus. Bos mundum Animal, propter Electionem Patrum; Asinus immundus, propter Idololatriam quondam *Gentilium*, ut & de Circumcisione, & de Præputio, Ecclesia Domini congregetur." Juxta *Theodore-*

[c] Ὁ ἐκ Νόμου, καὶ ἐξ Ἐθνῶν εἰς τὸν μίαν πίστιν συναγόμενος λαός. Stro. 6. p. 616.

tum, " Sermo hic designat unam Ecclesiam, ex " Gentibus & Judæis collectam. Immundus " enim, secundum Legem, est Asinus, mundus " autem Bos : Vocat ergo Asinum eos, qui ex " Gentibus, Bovem autem eos, qui ex Judæis, " crediderunt." Eadem habent *Cyrillus* in Isaiam, p. 451. & *Procopius*, p. 390.

Cap. XLIII. 20. *Benedicent me Bestiæ Agri, Sirenes, & Filiæ Struthionum.*] " Bestias appel- " lat eos qui in Fidem sunt agrestes, & in Vi- " tâ sordidi, nec eâ quæ in Lege justitiâ purga- " ti." Ita *Clemens Alex.* Stro. 6. p. 640. Juxta *Hieronymum*, " eos, qui in Solitudine Gentium " morabantur, & Idololatriæ Sanguine, Mo- " rumque Feritate, Bestiarum similes erant." *Sirenes* autem, & *Filiæ Struthionum*, juxta *Theodoretum*, *Cyrillum*, & *Procopium*, sunt " *Rhetores* & " *Philosophi*, qui, Errore abjecto, Veritatem per- " discunt.

Cap. XLV. 1, 2, 3. *Sic dicit Dominus τῷ χριστῷ μου Κύρῳ, Cyro quem unxi.*] *Hieronymi* in hunc locum verba sunt hæc ; " Scio in hoc Capitulo, " non solùm *Latinorum*, sed & *Græcorum* quam- " plurimos vehementer errare, existimantium " scriptum esse, *Sic dicit Dominus Christo meo Do-* " *mino* : neque enim Κυρίῳ, quod Dominum so- " na, sed *Cyro* dicitur ; Hebraicè, *li Mischecho* " *le Choresh Uncto meo Cyro.*" Ad hunc modum ce- spitârunt inter Græcos * *Barnabas*, qui, citatis perperam his verbis, *Dixit Dominus τῷ χριστῷ μου Κυρίῳ, Christo Domino meo*, hæc infert, " Eum Do- " minum vocatum esse à *Davide*, & Dei Filium. " Retrò omnes Prophetæ de eo præcinuerunt; " ut dicit *Isaias*, *Sic dicit Dominus Christo Domino* " *meo.*" Ita † *Tertullianus.* Eodem modo hæc verba recitant, & Christo Domino nostro applicant, *Cyprianus* Testim. l. 1. c. 21. *Novatianus* de Trinit. cap. 24. *Lactantius* l. 4. c. 12. *Augustinus*

* §. 12.

† *Adv. Judæos*, c. 7.

stinus de quinque Hæres. Cap. 7. * *Chrysostomus* per *Thesaurus absconditos* intelligit Inferos, sive τὸν Ἅδην, qui quoniam retinet sanctas animas, & vasa pretiosa, *Abraham, Isaac, & Jacob*, propterea Thesauros vocat. Atque hinc Patres sæpius loquuntur de Portis æneis fractis, & Claustris, per Christi adventum ad Inferos, reclusis. * *To.6. Ho. 61. p.626.*

V. 14, 15. *Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt, post te ambulabunt, vincti manicis pergent, & Te adorabunt, Teque deprecabuntur, (*dicentes,*) Tantùm in Te est Deus, & non est absque Te Deus: Verè Tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.*] Hæc quæ sensu conspicuo repræsentant *Ægypti, Æthiopiæ,* & *Sabæ* incolas ad Ecclesiam Judaicam *convolantes*, & agnoscentes Deum *Israelis*, ab ipsis prius abditum, esse verum & solum Deum; juxta Patrum interpretamenta, Filium in Patre significant, & Christi Divinam Naturam in Humanâ absconditam. "Deus, in "quo est Deus, inquit *Hieronymus*, Dominus noster Jesus Christus rectiùs intelligitur, & veriùs; qui in Evangelio loquitur, *Ego & Pater "unum sumus*, qui Deus appellatur absconditus, "propter assumpti Corporis Sacramentum, & "*Deus Israel Salvator*, quod interpretatur *Jesus*." "Verbis Dei, inquit † *Hilarius*, de Deo utere, "confitere ita & precare Regem, quoniam in "Te *est Deus, & non est alius præter Te: Tu enim "es Deus, & nesciebamus; Deus Israel Salvator.*" † *De Trin. l. 4. p. 76.*

Eadem dicunt *Cyrillus & Procopius* in locum. *Eusebius* dicit, "Propheticum Spiritum indicare "quomodo Gentes Deum adorabunt in Christo, "ob majorem in eo habitantem Deum, Patrem nempe Universi Deum." Et rursus: "Neminem, inquit, arbitror, posse adver-

" sari [d] *verbis tam apertè & perspicuè inducentibus* " *Deum Israelis Salvatorem, & alium in eo Deum.* Demonstr. Evang. l. 5. c. 4. p. 225.

Cap. LIII. 8. *Et generationem ejus quis enarrabit?*] Quisquis attento animo ea quæ hæc præcedunt, & sequuntur, respexerit, videbit hæc verba intelligenda esse de summâ impietate Generationis istius, in quâ vixit Christus, & quorum Conatibus in Crucem actus est. Hoc tamen non obstante, Patres ferè omnes ab initio Sententiam *Hieronymi* amplexi sunt; cujus hæc sunt verba: " Dupliciter hoc intelligitur; aut " enim de Divinitate ejus accipiendum est, quod " impossibile sit Divinæ Nativitatis nôsse Myste- " ria; aut de Partu Virginis, quòd difficulter " possit exponi." Ita [e] *Justinus M.* " *Esaias* de " Genere ipsius Christi, inenarrabile id esse Ho- " minibus, sic dicit, *Generationem ejus quis enar-* " *rabit?* Ita, inquit, Spiritus Sanctus loquitur " de Genere ejus pro nobis morituri, ut Li- " vore ejus Homines sanarentur, ut ineffabili." Et rursus; *Esaia* dicente, *Generationem ejus quis enarrabit?* " Monstravit eum inenarrabilem Ge- " nerationem habuisse; nemo enim mortalium, " ex mortalibus genitus, inenarrabile Genus ha- * *L.* 2. *c.* 48. " bet." * *Irenæus* ex his verbis *Valentinianorum* impudentiam in Christi Generatione definiendâ reprehendit: " Prophetâ dicente, *Generationem* " *ejus quis enarrabit?* Et si quis, inquit, nobis " dixerit, Quomodo ergo Filius prolatus à Pa- " tre est? Dicimus ei, Quia Prolationem istam, " sive Generationem, sive Nuncupationem, sive " Adapertionem, aut quolibet quis nomine vo-

---

[d] Τῷ προφήτῃ καὶ σαφεῖ τῆς λέξεως ἐναγώνισις Θεὸν τὸ Ισραὴλ Σωτῆρα, καὶ ἕτερον ἐν αὐτῷ Θεόν.

[e] Ἀνεκδιήγητον ἔχουσα τὸ γένος αὐτὸν ἐδήλου. Dial. cum Tryph. p. 261. 301.

" caverit,

" caverit, Generationem ejus inenarrabilem
" exiſtentem nemo novit; neque Angeli, neq;
" Archangeli, nec Principatus, neque Poteſta-
" tes, niſi ſolus qui generavit Pater, & qui na-
" tus eſt Filius." Et rurſus: * " Adunari, in- * *L.* 3. *c.* 2.
" quit, nos oportet Incorruptelæ, & Immortali- *p.* 249.
" tati, ut Filiorum Adoptionem perciperemus;
" propter hoc, *Generationem ejus quis enarrabit?*
" quoniam *Homo eſt, & quis cognoſcet eum? Cogno-*
" *ſcit autem illum is, cui Pater, qui eſt in Cœlis, re-*
" *velavit*; ut intelligat, quoniam *is, qui non ex*
" *voluntate carnis, neque ex voluntate viri natus eſt,*
" Filius Hominis, hic eſt Chriſtus, Filius Dei
" vivi." Patres reliquos vide apud *Cornelium à Lapide* in locum, & *Feuardentium* in priora *Irenæi* verba, ubi hæc ſuggerit notatu digniſſima:
" Gnoſticorum impudentem temeritatem, in
" ſcrutandâ Verbi æternâ Generatione, quanto
" poteſt rationum & ſententiarum pondere, re-
" primit *Irenæus*: Quibus & ij abſterreri debe-
" rent, qui de eâdem, non Scripturis, ſed *Ariſto-*
" *telicis* Ratiocinationibus nixi, audacter diſſe-
" runt, colligunt, definiunt, quæ Chriſtiano
" ſilentio adorare præſtaret. Longè majori Re-
" ligione ſacrum hunc montem attigerunt anti-
" quioris & ſincerioris Theologiæ antiſtites."
" De ſuperſubſtantiali & ſecretiſſimâ Deitate,
" ait *Dionyſius Areop.* l. de Divinis Nominibus,
" Cap. 1. neque dicere quicquam, neque cogi-
" tare præſumendum eſt, aliter quàm ſacra E-
" loquia, piè, admodumque caſtè, nobis tradi-
" derunt." Ac, ut paucis multa contraham,
" *Juſtinus* in Dial. *Chryſoſtomus* in *Matth.* Ho. 4.
" p. 21. *Cyrillus* L. 1. Theſ. c. 5. *Venantius* in
" Symbolum, poſt hunc noſtrum *Irenæum*, An-
" gelicis etiam mentibus inaſpectabile, & in-
" comprehenſibile Myſterium illud, omnes con-
" ſtanter

" stanter affirmant; quod plumbei,& verè σκοτεινοὶ
" Homunciones quidam explorâsse se, & expli-
" câsse sibi videntur."

Cap. LX. 17. *Et dabo Principes tuos in pace, & Episcopos tuos in justitiâ.*] *Clemens R.* dicit, " Non
" novum fuisse, quòd Apostoli, per Regiones &
" Urbes, Primitias eorum qui crediturі erant, in
" Episcopos & Diaconos constituerunt ; à mul-
" tis enim temporibus, de Episcopis & Diaconis
" dictum fuit : [f] Sic enim alicubi dicit Scriptura,
" *Constituam Episcopos eorum in justitiâ, & Diaco-*
" *nos eorum in fide :*" Quod tamen nullibi sic scriptum invenimus. *Irenæus* enim ipse de hoc loco sic scribit ; " Tales Presbyteros nutrit Ecclesia,
" de quibus & Propheta ait, Δώσω τὸς Ἀρχοντάς
" σε ἐν εἰρήνῃ, καὶ τὸς Ἐπισκόπους σε ἐν δικαιοσύνῃ, *Da-*
" *bo Principes tuos in pace, & Episcopos tuos in justi-*
" *tiâ.* L. 4. c. 44. Pro quo in *Hebraico* scriptum est, inquit *Hieronymus*, *Ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos in justitiam :* Et tamen admirandam esse dicit Scripturæ Sanctæ Majestatem, quæ Principes futuros Ecclesiæ Episcopos nominavit.

Cap. LXIII. 1. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctus vestibus de Bozra?*] Hæc verba, quæ Dei respiciunt Judicia adversus *Idumæos*, propter inimicitiam eorum contra *Judæos*, Patres non pauci referunt ad Triumphum Christi ascendentis in Cælum. Ita * *Origenes* hoc ad Tempus refert, " Cum ad Patrem venerit cum Corpo-
" re ex mortuis resurgente, Victoriis, Trophæisq;
" onustus." Et rursus : " Similia quædam pro-
" phetantur de Reditu ejus in Cælum, post Di-

* *In Joh.* p. 144.

[f] Οὕτως γάρ πε λέγει ἡ Γραφή, καθίσήσω τὸν Ἐπισκόπους αὐτῶν ἐν δικαιοσύνῃ, καὶ Διακόνους αὐτῶν ἐν πίστει. Ep. ad Corinth. §. 42.

" spensa-

" spensationem Passionis ipsius, hoc modo: *Quis*
" *est iste qui venit ex Edom?*" Similia habent *Ambrosius* de Institut. Virg. c. 5. *Cyrillus* & *Hieronymus* in locum. Porro verba Commatis tertii, *torcular calcavi solus*, quæ de morte cruentâ, quam Deus *Idumæis* inflixerat, intelligenda sunt, *Patres* ad Christi Passionem referunt. Ita *Origenes*, loco prius laudato, hoc factum esse dicit, " Cum in-
" firmitates nostras sumpsisset, totiusque mundi
" peccatum sustulisset." Juxta * *Tertullianum*
" respicit Christum ad Passionem venientem, &
" cruentum habitum carnis conculcatæ, & ex-
" pressæ, vi Passionis, sicut de foro torcularis."
" Apud *Esaiam*, inquit † *Cyprianus*, hoc idem
" Spiritus sanctus de Domini Passione testatur,
" dicens, *Quare rubicunda sunt vestimenta tua, &*
" *indumenta tua velut à calcatione torcularis pleni &*
" *percalcati?* Eademque habent *Hieronymus*, *Cy-*
" *rillus*, & *Procopius* in locum.

* *Contr. Marcion. l. 4. c. 40.*

† *Ep. 63. Ed. Ox. p. p. 150.*

Cap. LXV. 3. *Expandi manus meas totâ die ad populum contumacem.*] Ex hoc loco Patres multi probant quòd *Judæi* Christum Cruci fixuri essent. Nempe *Irenæus*, l. 4. c. 66. *Cyprianus*, Test. l. 2. n. 20. de Cruce, & de eo qui Cruci affigendus esset. Juxta || *Barnabam*, dicit in alio Prophetâ, *Totâ die expandi manus meas ad populum incredulam.* *Justinus* * dialogo cum *Tryphone* dicit, his verbis Prophetam indicâsse, *quo modo moriturus esset, nempe manuum crucifixione.* Et in † Apologiâ secunda postquam dixisset hæc Esaiæ verba, *super humeros ejus imperium*, esse virtutis Crucis indicativa, in eundem sensum recitat hæc verba. " Illud de-
" nique, inquit *Theodoretus*, Crucis Passionem sig-
" nificat, in qua Christus manus suas extende-
" bat."

|| §. 12.

* *P.* 324.

† *P.* 76.

SECTIO

Sectio Sexta

Respicit S. Patrum quædam in Jeremiam *Commentaria.*

CAP. I. 5. *Postquam te plasmarem in utero, cognovi te, &c. & Prophetam in gentibus dedi te.*] Quidam hæc verba, inquit *Hieronymus* in locum, "Super Salvatore intelligunt, qui propriè Pro-
"pheta gentium fuit, & per *Apostolos* vocavit
"omnes nationes. Iste enim verè, priusquam
"in utero Virginali formaretur, & antequam
"exierit de Vulvâ matris, sanctificatus in utero
"est, & notus Patri, quippe qui semper in Pa-
* *Ho. 1. in Jer. Ed. Huet. p. 55.* "tre, & in quo semper est Pater." * *Origenes* pariter: "Non ignoramus quòd quidam hæc,
"utpote majora quàm quæ *Hieremiæ* conveniant,
"ad Salvatorem Dominum nostrum referunt.
"Sciendúmque, inquit, ex his pauca ad *Hiere-*
"*miam*, multa autem posse ad Salvatorem no-
"strum referri." Atque hæc didicisse videtur
† *Pædag. l. 1. c. 7. p. 11.* à Præceptore suo † *Clemente*, qui verbum illud Dei, quod Legem veterem *Moysi* tradidit, non novum, sed antiquum esse ex his verbis probat. Porro ad Commatis decimi hæc verba, *Ecce ego constitui te hodie super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, & disperdas, & dissipes*; hæc habet *Hieronymus*: "Multi hunc locum super personâ Christi
"intelligunt, qui destruxit regna Diaboli, &
"adversarias perdidit potestates, delens chiro-
"graphum errorum in Cruce." Et *Origenes* in locum ostendere conatur, hæc *Jeremiæ* minimè adaptari posse, Salvatori autem adscripta interpretationem non coarctant; quia [a] sub *Jere-*

---

[a] Ὅτι ὁ Ἱερεμίας ἐν τούτοις σύμβολον τοῦ Σωτῆρός ἐστι. p. 56.

miæ

miæ personâ Christus intelligitur; & tamen certum est ex his Prophetæ verbis *factum est verbum Domini ad me*, hæc omnia Prophetæ ipsius personam respicere.

Cap. II. 13. *Duo magna mala fecit populus hic; dereliquerunt me Fontem vivum, & foderunt sibi Cisternas confractas.*] Verè hìc *Hieronymus* & *Theodoretus* per has Cisternas Idola intelligunt. Hinc tamen probat * Barnabas, *Judæos* non recepturos esse Baptisma quod affert remissionem peccatorum; Sed aliud instituere, nempe juxta † *Justinum M.* inutile illud Cisternarum baptisma, quod, ad Lavacrum hoc vitæ collatum, nihil est. Unde Deus exclamat, *dereliquerunt me*, &c. || *Irenæus* hæc applicat iis qui Schisma faciunt ab Ecclesiâ, ejusque fidem deserunt. "Hi, inquit, de Spiritu "sancto non participant, neque â mamillis ma- "trum nutriuntur ad vitam, neque percipiunt "de corpore Christi procedentem nitidissimum "fontem, sed effodiunt sibi lacus detritos de fossis "terrenis, & de cæno putridam bibunt aquam."

* §. 11.

† *Dial. p.* 236.

‖ *L.* 3. *c.* 40.

* *Epistola Synodica Concilii Carthaginiensis*, sub *Cypriano*, hæc habet: "Censemus, & pro certo te- "nemus neminem foris baptisari extra Ecclesiam "posse, cum sit Baptisma unum in Ecclesiâ con- "stitutum; & scriptum sit, Domino dicente, me "dereliquerunt fontem æquæ vivæ, & effoderunt "sibi lacus detritos, qui non possunt aquam "portare."

* *Ep.* 70. *Ed. Ox. p.* 189.

Cap. IX. 2. *Quis dabit mihi in deserto diversorium viatorum?* LXX καταλύμ. ἔσχατον *habitationem novissimam.*] In his verbis, juxta *Irenæum*, *Patriarchæ* & *Prophetæ* orant habere habitaculum in Ecclesiâ, l. 4. c. 42.

Cap. XI. 19. *Corrumpamus lignum cum fructu.*] LXX ἐμβάλωμεν ξύλον εἰς τὸν ἄρτον αὐτοῦ. vulg. *Mittamus lignum in panem ejus.*] Crucem videlicet in corpus Salvatoris: "Omnium Ecclesiarum iste

"est

" est consensus, inquit *Hieronymus*, ut sub personâ
" *Hieremiæ* à Christo hæc dici intelligant." " Ex
" his verbis, inquit *Justinus M.* patet [b] *Judæos*
" consilium cepisse adversus ipsum Christum, ut
" eum in Cruce suspensum è medio auferrent."
* *Contr. Judæos* c. 10. & *adv. Marcion.* l. 3. c. 19. De hoc ligno (Crucis,) inquit * *Tertullianus*, " Deus insinuat per *Hieremiam*, quòd essetis dicturi, *Venite, mittamus in panem ejus lignum, & & conteramus eum è terrâ vivorum.*" Et rursus: " Hoc lignum & *Hieremias* tibi insinuat, dicturis prædicans *Judæis*, *Venite, mittamus lignum* " *in panem ejus*, utique in corpus." Eadem verba applicat *Cyprianus* ad Christi occisionem & *Sacramentum Passionis*, Test. adv. Judæos, l. 2. n. 15.

† *Ho.* 10. *in Jer.* p. 108. † *Origenes* dicit hæc Salvatorem apud Prophetam locutum esse; Ego ut agnus innocens ductus ad immolandum, & nesciebam, adversum me cogitârunt Consilium, dicentes, *Venite, mittamus lignum in panem ejus.* " Porro panis nomine indi-
" catur, inquit, Dei sermo; Cum enim verbo
" Doctrinæ Jesu conjungitur Magistri crucifixio, *Lignum in panem ejus injicitur.*" ‖ *Lactantius* his verbis recitatis, " Lignum, inquit, Cru-
" cem significat, & panem Corpus ejus; quia ipse
" est Cibus & Vita hominum qui credunt in Car-
" nem quam portavit, & in Crucem in quâ pependit." *Theodoretus* hanc Expositionem non tantùm sequitur, sed veram rejicit his verbis: " Hoc Prophetæ nequaquam, Christo verò maximè convenit." Quod tamen verba hæc Jeremiam, non mysticè sed personaliter sumptum, respiciunt, eique soli competere possunt, nec sine summâ ejus injuriâ ad Christum referantur, suadent multa. Primò etenim Jeremiæ soli dicebant viri *Anathoth*, inter quos vixit, *Ne Prophetes*

‖ *L.* 4. *c.* 19.

[b] Ὅτι ἐβεβούλευσαντο οἱ Ἰουδαῖοι ἐπὶ αὐτῷ τῷ Χριστῷ ἀναιρεῖν αὐτὸν φανερώσαντες. Dial. cum Tryph. p. 298.

adhuc

adhuc in nomine Domini, ut non moriaris in manibus nostris : & tamen hæc cum commate præcedenti sic connectuntur, *Propterea hæc dicit Dominus ad viros Anathoth qui quærunt vitam tuam.* Secundò, Christo nec ea quæ præcedunt, nec quæ sequuntur, adaptari possunt. Nam Primò *videam ultionem tuam in eos*, dicit hic Propheta, in quem hæc mala cogitabant. Christus è contra in Crucem actus clamat, *Pater remitte eis.* Denique dicit Propheta hic, *Nesciebam mihi mortem ab iis intentatam esse* ; quod Christo omniscio, & de morte sibi à *Judæis* infligendâ sæpius loquenti, nullo modo competit. Quæ adversus hæc Argumenta suggerunt *Origenes* & *Hieronymus* in locum, sunt prorsus ridicula.

Cap. XVII. 9. *Pravum est cor omnium, & inscrutabile, quis cognoscet illud?*] LXX Interpretes hìc pro *Anush* inscrutabile legerunt *Enosh* Homo, commaque integrum sensu incongruo sic reddunt : *Profundum est cor super omnia, & homo est, quis cognoscit ipsum?* Subleſtâ hac Versione decepti Patres, ab initio hæc de Christo humanam naturam suscipiente, & secundum Divinam Naturam ignoto, intelligenda esse censebant. De eo qui ex Virgine est *Emanuel*, juxta * *Irenæum*, Propheta ait, *Et homo est, & quis cognoscit eum?* † *Tertullianus* utique, quòd *Judæi* retrò non cognoverint eum in humilitate conditionis humanæ constitutum. " *Hieremias* inquit, & *homo est, &* " *quis cognoscet eum?* quia & nativitatem ejus, in" quit *Esaias*, quis enarravit?" Eademque repetit fere iisdem verbis adv. Marcion. l. 3. c. 7. ‖ *Cyprianus* ex his verbis probat, quòd & Homo & Deus Christus, ex utroque genere concretus. * *Lactantius* eum non Deum modo, sed & Hominem fuisse. † *Epiphanius* contra *Ebionitas* eodem argumento utitur. " Quânam fronte nudum " Hominem fuisse Salvatorem audent asserere? " quod

* *L.* 3. *c.* 20. *l.* 4. *c.* 66. *p.* 363.

† *Adv. Judæos c.* 10.

‖ *Test. l.* 2. *n.* 10.

* *L.* 4. *c.* 13.

† §. 20. *p.* 144.

" quod si verum esset, quomodo cognitione com-
" prehendi non possit? Prout Jeremias de ipso
" dicit, *Homo est, & quis cognoscit ipsum?* Pro-
" pheta enim de eo differens ait, *quis cognoscet*
" *ipsum?*" Hoc ergo ita dictum esse pronuntiat, quoniam is qui ex Mariâ genitus est, è cœlo
" prodierit, Deus verbum est: * *Augustinus* de-
nique, " *Et Homo est* formam servi accipiens, &
" quis cognoscit eum? qui, cum in formâ Dei
" esset, non rapinam arbitratus est esse æqualis
" Deo. Et Homo est, quia Verbum Caro factum
" est, & habitavit in nobis, & quis agnoscet
" eum? quia in principio erat Verbum, & Ver-
" bum erat apud Deum, & Deus erat Verbum."
En tamen *Hieronymi* de hâc interpretatione cen-
suram; " Solent quidam nostri bono quidem
" voto, sed non secundum scientiam, uti hoc
" loco contra Judæos, quòd Homo sit Dominus
" atque Salvator, secundum dispensationem car-
" nis assumptæ, nullusque possit nativitatis ejus
" scire mysterium, secundum illud quod scri-
" ptum est; *Generationem ejus quis enarrabit?*
" Melius autem est ut simpliciter accipiamus,
" quòd nullus cogitationum secreta cognoscit,
" nisi solus Deus."

* *Contr. Faustum l.* 13. *c.*8.

Jer. XXIII. 20. XXX. 24. *In novissimo dierum intelligetis ea.*] Hæc refert † *Irenæus* ad adventum *Messiæ*; tunc intelligent credentes quòd repulsio *Judæorum* nostræ salutis occasio sit. Ita *Hieronymus.*

† *L.* 4. *c.*34.

Denique notandum est, locum ab *Irenæo* sæpius ex hâc Prophetiâ citatum esse, quem || *Justinus* à *Judæis* ex versione ☞ 6 sublatum esse asserit: Sic enim Dialogo contra Tryphonem loquitur: " Scire vos volo, quòd Magistri vestri
" multas Scripturas ex translatione eorum qui
" cum Ptolomæo erant Seniorum funditus su-
" stulerunt, in quibus clarè hunc ipsum cruci-

|| *Dial. p.* 297.

" fixum Deum, & Hominem esse, eumque in " Cruce pendere, & mori prænuntiatum esse " ostenditur." Primum locum quod attinet, quem ex *Jeremiâ* resciſſum pronuntiat, is adhuc apud LXX Interpretes occurrit. Secundus sic se habet, * Interprete *Irenæo : Et commemoratus est Dominus sanctus Israel mortuorum suorum qui dormierunt in terrâ limi* (al. *in terrâ sepultionis*) *& descendit ad eos Evangelizare salutem quæ est ab eo, ut salvaret eos.* Hæc autem à Judæis è versione τῶν ο̄ sublata esse incredibile pronuntiat † *Pearsonus :* hoc ab iis haud fieri potuisse ostendit *Muisius* de Hebraicæ Editionis Veritate, p. 35, 36.

* *L. 3. c. 33. l. 4. c. 56, 66. l. 5. c. 31.*

† *In Symbolum, p. 246.*

Lament. IV. 20. *Spiritus oris nostri, unctus Domini captus est in peccatis nostris.*] " Nasus, inquit || *Justinus*, per quem respiramus, nihil " aliud ostendit quàm Crucis formam, & per " Prophetam quoque ita dictum : *Spiritus ante* " *faciem nostram Christus Dominus.*" Hunc locum ad Christum pro nobis patientem Patres magno consensu applicârunt. * *Irenæus* his verbis : " Est enim Salvator quoniam Filius, & " Verbum Dei ; salutare autem, quoniam Spiritus, *Spiritus enim*, inquit, *faciei nostræ Christus* " *Dominus.*" " Nos, inquit † *Tertullianus*, certi " Christum semper in Prophetis locutum, Spiritum scilicet Creatoris, sicut Propheta testatur, *Spiritus Personæ ejus Christus Dominus.*" Et rursus: ||" Scriptura quid dicit? Spiritus Per" sonæ ejus Christus Dominus." Huc etiam respicit *Origenes* in Matth. Ed. Huet. p. 379.

|| *Apol. 2. p. 90.*

* *L. 3. c. 11. p. 215.*

† *Contr. Marcion. l. 3. c. 6.*

|| *Adv. Prax. c. 4.*

* *Constitutiones Apostolicæ* dicunt, *Jeremiam* Propheticè dixisse, *Spiritus ante faciem nostram, Christus Dominus, captus est in corruptionibus eorum; de quo diximus, in umbrâ ejus vivemus in gentibus.* " Clarum est, inquit *Theodoretus*, quòd Propheta " prædixit Salvatorem & Dominum nostrum

* *L. 5. c. 29. p. 260, 262.*

" ab ipsis comprehensum ob corruptissimam im-
" pietatem eorum." Hanc Sententiam, inquit *Hieronymus*, diversi Authores diversis modis exposuerunt, alii super Jesu Christo vero universorum Domino, ac vitâ animarum fidelium dictum intelligunt, sub cujus tutelâ in universis gentibus versatur Ecclesia. Vide alios multos apud *Christophorum à Castro*. Multa tamen impediunt quò minùs in hâc sententiâ acquiescamus. Nam Primò, loquitur Propheta de re præteritâ non de futurâ, cum tamen Christi Passio longo tempore futura esset. Secundò, loquitur de re quæ præter spem ipsis contigisset, & de re, quæ, cum evenerit, spem eorum fefellisset & frustrata esset; quod de Christi salutari Passione dici non potest. Tertiò, hoc inter calamitates & pœnas extremas *Judæorum* ponitur; Christi autem Passio inter apprimè Salutaria numeranda est.

Sectio Septima

Exhibet quædam S. Patrum Glossemata in Ezekielem.

CAP. IX. 4. *Transibis civitatem*, Vehitvita Tav, καὶ δὸς σημεῖον & *signabis signum super frontes suspirantium, &c.*] Scriptoribus Ecclesiasticis solenne est litera T ad Crucem denotandam uti, & consuetudinem Christianorum de Cruce frontibus impingendâ ex hoc loco stabilire. Notandum verò (Primò) Τὸ *Tav* in hoc commate non denotare literam *Thau*, sed signum, à *Theva*, quod in *Piel* signare & designare significat, prout verba Originalia, & LXX Interpretum Versio indicant; unde liquet falli Patres omnes qui locum hunc

hunc ad literam *Thau*, Crucis formam gerentem, retulerunt, juxta *Hieronymi* hæc verba ; " Ut ad " noſtra veniamus,in antiquis Hebræorum literis " quibus uſque hodie *Samaritani* utuntur, extre- " ma ת litera Crucis habet ſimilitudinem,quæ in " *Chriſtianorum* frontibus pingitur. Notandum Secundò quòd Patres reliqui non Hebraicum, ſed Græcum T reſpicere videntur. *Tertullianus* ſcilicet, qui * libro adverſùs *Judæos* ſignum *Tau* Paſſionis Chriſti Sacramentum appellat, & † libro Tertio adverſus *Marcionem*, poſtquam hæc verba citâſſet, *da ſignum Tau in frontibus virorum*, continuò addit, " Ipſa eſt litera Græcorum *Tau* : no- " ſtra autem *Tau* ſpecies Crucis eſt,quam porten- " debat futuram in frontibus noſtris, veram, & " catholicam Jeruſalem". *Cyprianus* denique ex his verbis probat, quòd in hoc ſigno Crucis ſalus ſit omnibus qui in frontibus notentur. Teſt. L. 2. 22.

* C. 12.

† C. 22.

Cap. XVIII. 20. *Anima quæ peccat ipſa morietur, filius non accipiet iniquitatem patris.*] Hieronymus in locum : " Solent in hoc loco *Hæretici*, " qui Vetus Inſtrumentum non recipiunt,contra " Creatorem dicere ; Quàm bonus & juſtus Deus Legis & Prophetarum,qui,quieſcens & ſilens " ad peccata patrum, reddit his qui non peccaverunt ? Reſpondet *Juliano* || *Auguſtinus* : " Quod " verò cauſæ tuæ fortiſſimum firmamentum *Pro-* " *pheticum* teſtimonium eſſe voluiſti, *non morietur filius pro patre*, &c. non intelligis hanc " eſſe promiſſionem novi Teſtamenti, & ſpiritualis hæreditatis, ad alterum ſeculum pertinentis. Id enim agit gratia Redemptoris, " ut paternum Chirographum deleat, & *unuſquiſque pro ſe rationem reddat*" : Quo nihil magis abſurdum, aut à ratione alienum dici potuit. Introducit enim Deum hoc reſponſum, *Judæorum* calumnijs de eis quæ antea fecerat, iſti po-

|| *L. 6. cont. Julian. P.* 1141.

pulo reſpondentem promiſſione de futuro, quæ ætatem illam nec potuit reſpicere, nec eum ab eorum calumniis de jam factis ullatenus vindicare. Reſpondent Patres alii omnes, qui in hunc Textum commentarios ediderunt, vel de his verbis obiter loquuti ſunt, rem ipſam ſimpliciter negando, eam injuſtam eſſe pronuntiando. *Theodoretus* ſcilicet ita incipit, [a] " Neceſſariò docet " populum non uti debere eo proverbio, quod " injuſtitiæ Deum accuſat, *viz.* cùm patres " uvam comederint, filiorum dentes obſtupuiſſe: " quod autem dicit, tale eſt: Quemadmodum fieri non poteſt ut comedat quis uvam acerbam, * *In Jerem. C. 31. P. 229.* " & non obſtupeſcant dentes comedentis, * ita " fieri nequit ut, patribus peccantibus, pœnæ exigantur à filiis, (& non à patribus.) Quod † *In locum. F. 194. M. & 196. L.* clarius ſic explicat † *Hieronymus*, eodem ſenſu, & tantùm non eiſdem verbis: " Eſt loci iſtius hic " ſenſus, quomodo ſi quis velit dicere, patres " uvam acerbam comederunt, & filiorum dentes " obſtupuerunt, ridiculum eſt, & nullam habens " conſequentiam, ſic iniquum eſt & perverſum " peccare patres, & filios nepoteſque cruciari. " Veſtra potius iniqua ſententia eſt qui putatis " parabolam non eſſe parabolam, ſed ſic eam ac- " cipitis quaſi hiſtoriæ veritatem, ut aliorum " ſcelera in aliis puniantur". Pergit *Theodoretus* ad hunc modum: " Non patiar filios, eorum " quæ patres deliquerint, pœnas ſufferre, cùm " tam horum quàm illorum ſim dominus, eandémque omnium curam habeam; omnes enim " animæ meæ ſunt; non peribit filius pro iniquitatibus patris, [b] non enim juſtum eſt, ut ille

---

[a] Ἀναγκαίως διδάσκει τὸν λαὸν μὴ κακῶς φέρειν τὴν ἀδικίαν τοῦ Θεοῦ καταγορεύοντα παροιμίᾳ. In Ezek. p. 387.

[b] Οὐ γὰρ δίκαιον τοῦτον ὑπὲρ τῶν ἐκείνων παρανομίας εἰσπράττειν ἴσως δίκης. In Ezek. p. 399.

" pro

" pro sceleribus illius pœnas sustineat, ut vos iniquè judicantes dicitis. Tantum, inquit, abest ut ab alio pro alio pœnas exposcam, ut etiam ipsum Legis violatorem, quamvis infinita facinora perpetraverit, si tamen ille pœnitens resipiscat, & justitiæ vias persequi instituat, & acceptum, & vitâ dignum censeam. Et rursus: Adeò, inquit, fieri non potest ut filii luant pœnas pro peccatis parentum, ut filiis bona promittam, licèt patres gravissimè peccaverint. Sicut peccata filiorum, inquit † *Hieronymus*, non nocent patribus, sic peccata patrum ad filios non redundant. Quæ enim justitia est, ut pater peccaverit, & in filium sententia proferatur? Et rursus: In tantum, ait, peccata patrum ad filios non redundant, nec justum filium sceleratus prægravat pater, neque alii pro aliorum sceleribus puniuntur, ut ipse unus atque idem qui prius impius fuit atque peccator, si postea egerit pœnitentiam, &, ad meliora conversus, pristina peccata deleverit, non judicetur vetustate peccati, sed in meum suscipiatur gregem innovatione virtutis". ‖ *Cyprianus Novatianos* dicit suâ asseveratione contendere peccato alterius inquinari alterum, & Idololatriam delinquentis ad non delinquentem transire; " Nobis autem, inquit, secundùm fidem nostram, " & divinæ prædicationis datam formam, competit ratio veritatis, unumquemque in peccato " suo ipsum teneri alligatum, nec posse alterum " pro altero reum fieri, cùm Dominus præmoneat & dicat, non morientur patres pro filiis, " & filii non morientur pro patribus; unusquisque pro peccato suo morietur. * *Optatus Parmenianum* sic alloquitur, Non potestis esse rei " cum patribus vestris secundùm judicium Dei, " qui locutus est per Prophetam *Ezekielem* dicens, *Anima patris mea est, & anima filii mea*

* *In Jerem.* P. 229.

† F. 195. c. 196. 1.

‖ *Ep.* 54. *Ed. Ox. P.* 113.

* *L.* 7. §. 1.

" *est, anima quæ peccat ipsa morietur* ; quæ res jam " antiquis seculis in ipsis natalibus mundi com- " probata est : Nam non pertinuit ad Seth fili- " um patris admissum". *Ruffinus*, hoc commate recitato, " Post hæc, inquit, Dei testimonia, " insaniunt qui per unum hominem *Adam* om- " nem orbem terrarum iniquitatis flagitiique " condemnant. Reliqua vide annotatis in *Exodum* 20. 5. & in *Johannem* 9. 5. Quibus adde testimonia Pseudo *Justini* P. 487. & *Basilii* in Epist. ad Eustath. 79. F. 141. & *Gregorij Nysseni* To. 1. P. 204.

Cap. XX. 12. *Dedi eis Sabbata mea, ut signum essent inter me & eos*, & v. 25. *Cùm post idola patrum suorum fuissent oculi eorum, ergo dedi eis præcepta non bona.*] Patres fere omnes hinc docent, præcepta de Sabbato & Circumcisione non esse *Judæis* data, ut per ea justificarentur, sed in signum, quo ab aliis gentibus distinguerentur.

* *Dial. P.* 240, 241. " Aliter, inquit * *Justinus*, in has absurdas cogi- " tationes incidemus, quòd non idem fuerit De- " us tempore Enochi, & aliorum omnium qui " neque Circumcisionem, quam in carne non ha- " bebant, neque Sabbatum observârunt, neque " alia insuper quæ *Moses* fieri mandavit *ob delicta* † *Ibid. Et P.* 366. " *vestra*. Porrò, ante *Abraham* non fuit usus " Circumcisionis, neque ante *Mosem* Sabbati, & " Feriarum, & Oblationum. *Abraham* autem ac- " cepit Circumcisionem in signum, non in justi- " ficationem, aut tanquam opus justitiæ". De Circumcisione || *Irenæus* ita loquitur : " In signo || *L.* 3. *c.* 22. " dedit eam, ut non similes essent *Ægyptiis*". Et rursus : * Quoniam autem Circumcisionem non * *L.* 4. *c.* 30. *P.* 318. " quasi consummatricem justitiæ, sed in signo 314. " eam dedit Deus, cognoscibile perseveret genus " *Abrahæ*, ex ipsâ Scripturâ discimus, *viz. Et* " *erit in signum Testamenti inter me, & te.* Hoc " idem de Sabbatis *Ezekiel* Propheta ait. Et

quia

" quia non per hæc justificatur homo, sed in sig-
" no data sunt populo, ostendit, quòd ipse *Abra-*
" *ham*, sine Circumcisione & sine observatione
" Sabbati, *credidit Deo, & reputatum est illi in ju-*
" *stitiam*". * *Tertullianus* contra *Judæos* probat, * *Cap.* 3.
Antediluvianis & *Patriarchis* sine Circumcisione
& Sabbati observatione justificatis, mandata ista
ad justificationem necessaria non omnino fuisse ;
& contra *Augustini* & Neotericorum sententiam,
Circumcisionem nempe pro remedio Peccati Ori-
ginalis institutam fuisse, sic nervosè disputat :
" Si Circumcisio purgat hominem, Deus *Adam*
" incircumcisum cùm faceret, cur eum non cir-
" cumcidit, vel posteaquàm deliquit, si purgat
" Circumcisio". Atque hactenus cum D. *Paulo*
sentire videntur. Quod autem unâ fere voce as-
serunt, ante vitulum conflatum, Deum per *Mo-*
sem Judæis Decalogum tantum in mandatis de-
disse, Rituales autem Leges postea, in criminis
istius pœnam, addidisse, atque in hujus rei testi-
monium hæc verba Ezekielis producunt, *dedi eis*
præcepta non bona, in eo à veritate Patres aberrâs-
se constat. Testes autem hujus sententiæ pro-
duximus, annotatis ad *Deuteronomii* caput quintum
com. 12. *Justinum M. Irenæum*, *Constitutiones*
Apostolicas, quibus adde † *Lactantij* hæc verba : † *L.* 4. *c.*
" Aureum caput Bovis, quem vocant *Apim*, ut 10. *P.* 376.
" eos in signum præcederet, figurârunt ; quo
" scelere offensus Deus, impium & ingratum
" populum pro merito pœnis gravibus affecit,
" & Legi, quam per *Mosem* dederat, subjugavit.
‖ *Hieronymus* in hæc verba *Jeremiæ*, Cap. 7. 22. ‖ *Fol.* 115
Non præcepi eis, in die quâ eduxi eos de terrâ Ægypti,
de verbo Holocausti, & victimarum ; " Manifestò,
" inquit, intelligitur quòd primùm Decalogum
" dederit in tabulis lapideis scriptum digito Dei,
" &, post offensam Idololatriæ, caputque vituli,
" postea jusserit sibi magis fieri, quàm Dæmoni-

" bus. Et in hunc locum, " Potest & hoc dici, " quòd ante offensam, tantum acceperit Deca- " logum, post Idolatriam verò, & blasphemiam, " multiplices Legis ceremonias. "

Cap. 33. 18. *Cùm recesserit justus à justitiâ suâ, & fecerit iniquitatem, morietur in eis.*] " His omni- " bus demonstratur, inquit *Hieronymus*, nec pecca- " catorem salutem desperare debere, si agit pœ- " nitentiam, nec justum in suâ confidere justitiâ, " si perdiderit, quod magno labore quæsierat. " Et in caput Octavum, " Sicut justum, antea " peccatorem, non prægravant antiqua delicta, " sic peccatorem, qui prius justus fuerit, non ju- " vant veteres justitiæ; unusquisq; enim in quo " invenietur, in eo judicabitur. " Justorum " aliqui interdum offendunt, inquit " * *Theodoretus*, " sed in viam iterum accedunt, & per pœniten- " tiam salutem consequuntur; qui autem ab eâ " penitus recedunt, viæ contrariæ fructus perci- " piunt. " Et rursus; " Justus in contrariam " viam versus morte peccati condemnabitur. " || *Origenes* pariter: " *Ezekielis* dictis fidem habeo, " Qui à pietate deflexit omnimodo, si quid prius " ab ipso rectè gestum sit, pro nihilo reputabitur. " Sed non est in his diu immorandum; agnoscen- te enim * *Vossio*, *Antiquitas tota Indefectibilitati Sanctorum adversatur*, quodq; hoc ij soli negare possunt, qui in Antiquitate sunt planè Hospites.

* *In Caput octavum p.* 290, 291.

|| *In Matt. p.* 191. & 315.

* *Hist. Pelag. l.* 6. *Th.* 12.

Cap. 37. 5. 11. *Hæc dicit Dominus Deus ossibus his, ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis.* Et V. 11. *Ecce ego operiam tumulos vestros, & educam vos de Sepulchris vestris.*] Ex hoc loco probat *Irenæus* Resurrectionem corporum nostrorum, post resolutionem eorum in terram: Immo, notante in locum Grabio, *Omnes feres Patres, qui hoc dictum allegaverunt, mortuorum Resurrectionem inde probatum iverunt*, speciatim * *Constitutiones Apostolicæ* ex his verbis concludunt, " Deum Resurrecti- " onem

* *Lib.* 5. *c.* 7.

" onem promisisse non solum Martyribus, sed &
" omnibus hominibus, justis pariter, & injustis."
‖ *Tertullianus* de Resurrectione carnis contendit, ‖ C. 29.
" hæc verba non continere Allegoriam de statu
" *Judaico* in integrum restituendo, sed de verâ
" Corporum Resurrectione prædicationem;"
idemque sensit *Theodoretus* in locum. Solus *Hieronymus* verò contendit, " hæc non scripta esse
" de Resurrectione, sed per Resurrectionis Para-
" bolam de restitutione *Israelis* prophetari, qui
" eo tempore captivus erat in *Babylone*; nec
" enim altera sententia obtinere poterit nisi in-
" solenti, coactâ, immo multiplici Allegoriâ
" admissâ, quâ omnis domus *Israel* in incolas
" totius orbis terrarum extenditur, & terra *Israel*,
" in quam introducenda hæc ossa Deus pollice-
" tur, cælestes regiones significet." Quo sensu Patres hæc verba *Psalmistæ* intelligunt, *viz. Placebo Domino in terrâ viventium*, Psal. 116. 9. Et illa Christi, *Matth.* 5. 5. *Beati mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram.* Hoc igitur sensu tantummodo Resurrectionem hìc innui vult *Hieronymus*, " quòd quomodo videtur incredulum, quòd os-
" sibus aridis, & multâ vetustate confectis, futu-
" ra resurrectio promittatur, & tamen futurum
" est quod promittitur; sic & restitutio Populi
" *Israel*, qui ductus est in captivitatem, & in toto
" orbe dispersus est, videtur quidem incredibilis
" his qui Dei potestatem non nôrunt, sed tamen
" futura est, quia ego, inquit, Dominus locutus
" sum, & faciam sicut pollicitus sum. Nunquam
" enim poneretur similitudo Resurrectionis ad
" restitutionem Populi *Israelitici* significandam,
" nisi staret ipsa Resurrectio, & futura credere-
" tur." Vide quæ profert *Methodius* apud Photium contra Allegoricam *Origenis* & *Hieronymi* Sententiam, *Cod.* 234. *p.* 929.

Cap.

Cap. 44. 2. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, vir non transibit per eam, quoniam Dominus ingressus est per eam.* Ut enim Capitis præcedentis V. secundo legimus, *Majestas Domini ingressa est Templum, per viam portæ quæ respiciebat ad Orientem.*] Pulchre quidam Portam clausam, quam solus Dominus Deus *Israel* ingreditur, *Mariam Virginem* intelligunt, quæ & ante & post partum Virgo permansit. Ante * *Ambrosium* neminem invenio qui hanc interpretationem amplexus est: Is enim *de institutione Virginis* asserit, "*Mariæ ventrem esse* "*portam illam* de quâ *Propheta* ait, *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & nemo transibit per eam. Ambrosium* sequitur ‖ *Augustinus*, qui hæc interpretatur de *Mariæ* Virginis generatione; "Porta clau- "sa, inquit, id est, signaculum pudoris, imma- "culatæ carnis integritas; non enim est violata "partu." Et rursus de Portâ *Ezechielis* loquens, "† Quid, inquit, est Porta in domo Domini clau- "sa, nisi quod *Maria* semper erit intacta? Et "quid est, homo non transibit per eam, nisi "quia *Joseph* non cognovit eam?" partûs ipsius mirabilem modum, inquit † *Ruffinus* in Symbolo, "*Ezekiel Propheta* ante formaverat, *Mariam* "generaliter Portam Domini nominans, per "quam scilicet Dominus ingressus est mundum. "Verbisque Prophetæ recitatis, Quid, inquit, "tam evidens de conversatione Virginis dici po- "terat? Clausa fuit in eâ Virginitatis porta, per "ipsam intravit Dominus Deus *Israel*? Solus Christus, "juxta * *Hieronymum*, clausas portas vulvæ Virg- "nalis aperuit, quæ tamen clausæ jugiter perman- "serunt; hæc est Porta Orientalis clausa, per quam solus Pontifex ingreditur & egreditur, nihilominus semper clausa est. Dæmonis qui *Pythiam* agitabat, inquit *Origenes*, impuritas & turpitudo apparet, ὅτι ἡ προφῆτις διὰ τῶν γυναικείων κόλπων, quòd Propheta spiritum accipit per sinum muliebrem. contra *Celsum*, p. 333. Quibus adde † *Valesii* Judicium

* *Cap.* 8.

‖ *To.* 10. *Serm.* 6. *de Temp.* p. 572.

† *Serm.* 18. p. 548.

† *Apud Hieron. To.* 4. F. 47. K.

*. *Adv. Pelag. l.* 2. F. 101. B.

† *Not. in l. Sept. in* p. 86.

cium de *Celsi* argumento his verbis : " *Celsus* aie-
" bat non esse attendendum an *Prophetæ* aliquid de
" Deo prædixerint, an non, sed illud præcipuè
" inquiri oportere, utrùm honesta, & pia, &
" quæ conveniunt Majestati Divinæ ab iis pro-
" nuntiata sint ? Sin minus, eorum prædictiones
" nihilo pluris esse faciendas quàm furiosorum
" hominum sermones." Quæ quidem argumentatio validissima est ad convellendam fidem Christianorum de Christo, quæ vaticiniis Prophetarum præcipuè nitebatur. Hoc igitur probare debebat *Origenes*, & omnes ingenii vires eò intendere, ut demonstraret quæcunque à Prophetis nostris de Christo essent pronuntiata, pia esse, ac honesta, nec à ratione, nec à Majestate Divinâ abhorrere.

Sectio Octava.

Respicit quædam S. Patrum Scholia in Danielem *Prophetam.*

CAp. 2. 45. *De monte abscissus est lapis sine manibus.*] Lapis hic non Personam, sed Regnum Christi significat, non vi, & gladio, sed Spiritu Domini erigendum. Patres autem aliter sentiunt. *Justinus*, qui de Christi naturâ hìc agi existimat, hunc lapidem de monte abscissum vult sine manibus creationis, vel sine semine humano ; cùm enim tanquam filium hominis dicit, eum, qui homo esse appareat, & sit, indicat, [a] non autem ex humano existere semine decla-

[a] Οὐκ ἐξ ἀνθρωπίνου σπέρματος ὑπαρχοντα δηλοῖ. Dial. p. 301.

rat,

rat, & dum lapidem hunc ſine manibus abſciſſum " dicit, " in myſterio idem clamitat ; dicit e- " nim ipſum ſine manibus abſciſſum eſſe, quo- " niam non eſt humanum opus, ſed conſilii om- " nium Parentis Dei, qui ipſum producit." * *Ire-* * *L.* 3. *c.* 28.
næus ſimiliter ; " Propter hoc autem & *Daniel*, " prævidens ejus adventum, lapidem ſine ma- " nibus abſciſſum adveniſſe in hunc modum " (dicit) ; hoc eſt enim quod ſine manibus ſig- " nificabat, quod non operantibus humanis ma- " nibus, hoc eſt virorum illorum qui ſolent la- " pides cædere ; in hunc modum ejus adventus " erat, id eſt, non operante in eam *Joſeph*, ſed " ſolâ *Mariâ* co-operante diſpoſitioni." Eadem obſcuriùs dicit *Tertullianus* adverſùs *Judæos* Cap. 3. & contra *Marcion.* l. 3. c. 7. † *Gregorius Nyſſenus* † *To.* 2. *p.* 606.
de Baptiſmo Chriſti, " Sciſſus eſt lapis ſine ma- " nibus, id eſt, natus eſt Chriſtus ſine viro. Ex- " ciſſus eſt è monte ſine manibus, natus de Vir- " gine ſine nuptiali commercio. Ita *Theodoretus* in locum. Denique *Hieronymus* : " Abſciſſus eſt " lapis, Dominus ſalvator, ſine manibus, id eſt, " abſque coitu, & humano ſemine, de utero " virginali."

Cap. 3. 1. *Nebuchodonoſor Rex. fecit Statuam au-* * *L.* 5. *c.* 29.
ream.] Mira ſunt * *Irenæi* de hac Statuâ, & *Ju-* *dæis* eam non adorantibus, verba, nempe, " Ima- " go propter quam *Ananias*, & *Azarias*, & *Mi-* " *ſael* non adorantes eam, in caminum miſſi ſunt " ignis, per id quod eis evenit, prophetantes eam quæ in finem futura eſt juſtorum ſuccenſio ; univerſa enim Imago illa præfiguratio fuit hu- jus adventûs, ab omnibus omnino hominibus ip- ſum ſolum decernens adorari. Melior eſt *Hiero-* " *nymi* obſervatio : " Imaginem auream, ſive " Statuam cultores Dei adorare non debeant. " Ergo *Judices*, & Principes ſeculi, qui Impe- " ratorum ſtatuas adorant, & imagines, hoc ſe

facere

" facere intelligant, quod tres pueri facere no-
" lentes, placuerunt Deo."

Cap. 7. 13. *Venit cum nubibus Cæli.*] Hæc quæ, juxta clariſſima Chriſti verba, ad primum Chriſti adventum, ſive ad ejus adventum contra *Judæos* incredulos, reſpiciunt, Patres antiquiſſimi ad Chriſti adventum ſecundum, ad Judicium finale, referunt. *Juſtinus*, de duplici Chriſti adventu verba faciens, ad ſecundum hoc refert, " Quod tanquam *filius hominis* ſuper nubibus
" veniet, † quemadmodum *Daniel* indicavit, unà † *Dial. p.*
" cum eo Angelis advenientibus." Et rurſus: 247. 244.
" * Quomodo autem â Cœlis cum Gloriâ adven- * *Apol. p.*
" turus ſit? audite quæ de hoc dicta ſunt per 86.
" *Danielem* Prophetam, *Ecce tanquam filius homi-*
" *nis venit in nubibus Cæli.*." " Super nubes, in-
" quit * *Irenæus*, venit univerſorum Judex, de * *L. 3. c.*
" quo ſecundo adventu idem *Daniel* dixit: *Et* 23. *l. 4.*
ecce cum nubibus Cæli tanquam filius hominis veniens. c. 52.
Eademque repetit Lib. tertio contra Marcionem cap. ſeptimo *Tertullianus.*

V. 25. *Ad tempus, tempora, & dimidium temporis.*] Id eſt, Interprete *Hieronymo*, " tempus
" annum ſignificat, tempora, juxta Hebraici
" ſermonis proprietatem, qui & ipſi dualem
" numerum habent, duos annos præfigurant;
" dimidium autem temporis ſex menſes, quibus
" ſancti poteſtati Antichriſti permittendi ſunt."
Ita † *Irenæus* " uſque ad tempus, tempora, & † *L. 5.*
" dimidium tempus, hoc eſt, *triennium & ſex* c. 25.
" *menſes*, in quibus veniens regnabit ſuper ter-
" ram." † *Hippolytus* de conſummatione mundi, † *L. 35.*
" dimidium Hebdomadæ, hoc eſt, tres annos
" cum dimidio regnabit Antichriſtus, pòſt au-
" feretur Regnum illius, & Gloria. * *Auguſtinus* * *De Civ.*
dicit, " Antichriſti adverſus Eccleſiam Regnum *Dei l.* 20.
" exiguo temporis ſpatio ſuſtinendum, tempus c. 23.
" quippe, & tempora, & dimidium temporis,

annum

" *annum unum esse, & duos, & dimidium*, ac per
" hoc tres annos & semissem, etiam numero di-
" erum posterius posito, diluceſcit". Quod, in-
* *Catech.* 15. *P.*163. 165. " quit * *Cyrillus Hieros*: regnabit Antichristus
" tribus annis, & dimidio tantùm, non ex libris
" Apocryphis discimus, sed ex *Daniel* Prophetâ":
† *In locum.* Denique *Theodoretus* tempus, & tempora, & dimidium temporis, tres annos cum dimidio dicit; quibus cornu illud, magna loquens, imperabit.

Sectio Nona

Et ultima continet Sanctorum Patrum Observationes quasdam in Duodecim minores Prophetas: Et primo in Hoseam.

CAP. I. 2. *Vade, sume tibi uxorem fornicationum, & filios fornicationum.*] Rem hanc
* *L.* 4. *C.* 37. *P.*336. reverà gestam fuisse * *Irenæus* his verbis asserit.
" Deus per operationes usus est *Prophetis*, ut per
" eos præfiguraret, & prædemonstraret futura,
" propter quod & *Osee* Propheta accepit uxorem
" fornicationum, ut per operationem prophe-
" tans, *quoniam fornicando fornicabitur terra à Do-*
" *mino*, hoc est, qui sunt super terram homines,
" & de hujusmodi hominibus bene placitum ha-
" bebat Deus assumere Ecclesiam sanctificandam
" communicatione Filii ejus, sicut & illa
† *In Mat.* Ed. Hnet. 1. 360, 361. " sanctificata est communicatione *Prophetæ*. *Ori-
genes pariter: " Si de Vocatione Gentium mere-
" tricem quæsiveris, hoc loco utitor, *Sume tibi*
" *uxorem fornicationum, & liberos fornicationum*;
" culpâ enim vacat, qui hoc facit juxta manda-
" tum

" tum ejus qui edixit quando hoc congruum sit ;
" ut enim Dominus est Sabbati dominus, non
" servus, ita qui legem dat, usque ad tempus
" correctionis, legem ferre, & mutare potest ".
Ruffino typicus & parabolicus sensus magis placet,
quem dicit amplexos esse Christianos *Ægypti*, &
Palæstinæ. * *Hieronymus* de *Jeremiâ* in visione ad
Euphratem abeunte, quando ex urbe egredi non
potuit, sic loquitur ; " Si illud in typo, quia
" fieri non potuit, ergo hoc in typo, quia fieri
" turpissimum est. Sed respondebis, Deo juben-
" te, nihil turpe est ; & nos dicimus, nihil De-
" us præcepit nisi quod honestum est, nec juben-
" do turpiâ, facit honesta quæ turpia sunt ; sed
" quia scimus nihil Deum velle nisi quod hone-
" stum est, hoc præcepit quod honestum est.
" Est autem Parabolæ hujus hic sensus : Deus,
" inducens me quasi meretricem & spurios li-
" beros mihi assumentem, me veram & vivam
" imaginem exhibet Ecclesiæ *Israeliticæ* post Ido-
" la scortantis, suoque exemplo liberos suos idem
" facere docentis". Quæ contra hanc sententi-
am objici solent, & pro Historico sensu militare
videantur, responsum facile admittent ex An-
notatis *Pocokij*, & *Riveti* in locum.

* *Præfat. in Hoseam.*

Cap. II. 8. *Dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum, & aurum*, v. 10. *lanam, & linum.*] Ubi *Hieronymus* : " Multi accepere au-
" rum & argentum sapientiæ & eloquentiæ, &
" triticum sermonis Dei, & vinum, gaudium Spi-
" ritûs Sancti, & vestimenta quoque & linteamen-
" ta, quibus credentes vestirentur in Christo".
Hinc *Glossa* ex *Haymone* : " Per vinum, lætitia
" Spiritualis signatur, per oleum, sensûs illumi-
" natio, per argentum, nitor eloquii, per au-
" rum, præceptum dilectionis Dei & Proximi".
Et * *Gregorius de curâ pastorali* : " Frumentum à
" Domino accepimus, cum in dictis obscuriori-
" bus,

* *Part* 3. *ad not.* 25.

" bus, subducto tegmine literæ, per medullam
" Spiritûs Legis interna sentimus; vinum, cùm
" Ecclesiæ suæ altâ prædicatione nos inebriat,
" oleum, cùm præceptis apertioribus vitam no-
" stram blandâ lenitate disponit, argentum,
" cum nobis luce veritatis plena eloquia submi-
" nistrat, aurum, quando cor nostrum intellec-
† *Ho. 2. in Cantic. F. 55.* " tu summi fulgoris irradiat". † *Origenes* denique, " *Dedi vobis argentum & aurum*, ostendens
" per hæc, & dicens, quia dedi vobis sensum, &
" rationem, quâ me Deum & sentire possetis, &
" colere, vos autem & sensum, & rationem quæ
" in vobis est, ad colenda Dæmonia transtu-
" listis".

Ver. XII. *Lactabo eam, & ducam eam in Solitudinem.*] " Hoc est, inquit *Hieronymus*, in Ad-
" ventu Christi Filii sui aperiet spem salutis, &
" dabit locum pœnitentiæ, & blandietur ei; hoc
" enim significat *lactabo eam.* Hunc locum Chri-
stiani permulti, ut *Hieronymus*, *Cyrillus*, *Alexandrinus*, *Ruffinus*, *Theodoretus*, *Theophylactus*, de Redemptione hominum à captivitate Diaboli factâ accipiunt: *Cornelius à Lapide* in locum.

Cap. VI. 6. *Misericordiam volui, non Sacrificium.*] Hæc Patres nonnulli referunt non ad misericordiam hominum erga alios, sed ad misericordiam Dei erga homines. " Peccatores, inquit
" *Hieronymus*, provocat Deus ad pœnitentiam,
" & dicit eis, *Misericordiam volo, & non Sacrifici-*
‖ *Ho. 30. P. 206.* *um.* ‖ *Chrysostomus* in Matth. 9. 13. hunc horum verborum sensum exhibet: Sicut Pater meus vult misericordiam, sic & ego. * *Hilarius* denique:
* *In Matt. P. 530.* " Admonuit ut scirent quid esset, *misericordiam*
" *volo*, Legem scilicet sacrificiorum observatione
" devinctam opem ferre non posse, sed salutem
" universis in misericordiæ indulgentiâ reser-
" vari".

In Joelem.

CAP. 2. 30. *Dabo prodigia in cœlo, & in terra; antequam veniat Dies Domini magnus, & horribilis.*] " Dies Domini magnus *&c.* aut Re-
" surrectionis esse credendus est, aut certè multa
" post tempora Dies Judicii, qui verè magnus
" est & horribilis. Ita *Hieronymus* diem magnum
& terribilem vocat *Secundum Servatoris nostri Adventum*; ita *Theodoretus* loquitur, juxta † *Chrysosto-*
" *mum & Oecumenium, de futuro Judicio, & de cap-*
" *tivate Hierosolymitanâ.* || *Tertullianus* denique signa
jam ultimi finis enarrat Solis, & Lunæ, syderumque prodigia. Hæc tamen omnia in primo Christi adventu contigisse ex verbis D. Petri Actorum 2. 16. certum est.

† *In Act.* 2. v. 19.

|| *Contr. Marcion. l.* 4. c. 39.

In Amos.

CAP. I. 2. *Dominus de Sion rugiet.*] *Irenæus* L. 3. C. 23. cujus Lemma est, *Ostensio quoniam Verbum Dei caro factum est*, post multa ex *Isaia, Jeremia*, & *Michaia* citata, quæ, meo judicio, sunt vel Apocrypha, vel parum ad rem faciunt, pergit ad hunc modum; " Et rursus
" significans locum adventûs ejus, ait, *Dominus*
" *ex Sion locutus est, & ex Hierusalem dedit vocem*
" *suam.* Et quoniam ex eâ parte quæ est secun-
" dum Africam Hæreditatis *Judæ* veniet filius
" Dei, qui Deus est, & qui erat ex *Bethlehem*,
" ubi natus est Dominus, in omnem terram
" emittet laudationem ejus, sicut ait *Habbacuc*
" Propheta, *Deus de Africo veniet, & sanctus de*
" *monte Effrem — ante faciem ejus præibit verbum,*
" *& progredientur in campis pedes ejus*: Hoc autem

* *L.* 3. c. 23.

" proprium ſignum hominis. Deus ergo homo
" factus eſt, & ipſe Dominus ſalvavit nos. Et
† L. 4. c. 66. " rurſus † qui dicunt, Dominus in Sion locutus
" eſt, & de Hieruſalem dedit vocem ſuam, &
" notus in Judæâ Deus, in *Judæâ* adventum ejus
" ſignificabant. Qui autem rurſus dicunt ab
" Africo venire Deum, & de monte umbroſo,
" adventum ejus qui eſt ex *Bethlehem* dicebant".
Hieronymus verò, qui Hæreticos omnes ex minoribus prophetis refutavit, hæc habet : " Cùm
" Dominus de Sion, & Hieruſalem, de ſpeculâ
" Eccleſiæ quæ ſuper montem ſita, latere non
" poteſt, & in quâ viſio pacis eſt, dederit per
" Vetus, & Novum Inſtrumentum, & per Do-
" ctores Eccleſiaſticos, vocem ſuam, & quaſi
" clarâ buccinâ inſonuerit, omnia ſpecioſa Pa-
" ſtorum, id eſt, doctrina Hæreticorum quæ
" pulchro videtur ſermone compoſita, lugebit,
" atque ficcabitur.

Cap. V. 21. *Odi feſtivitates veſtras.*] Diſtinguit " *Origenes* inter Feſta Paſchalia Domini, &
† *In Joh.* P. 371. " Judæorum; dicitque *feſtivitates veſtras* eorum,
" non Domini Paſcha, indicare; Salvatori enim
" noſtro in eo inſidiæ ſtruebantur, & ob hoc
" eorum Paſcha, exiſtimo prophetic è dictum
" eſſe hoc, *odi, atque abominatus ſum feſtivitates*
" *veſtras*; opus enim non congruum feſtivitati
" Dei, opus enim ſceleſtum in hoc feſto perpe-
" trârunt Jeſum occidendo". Eâdem ſubtilitate hìc utitur *Hieronymus*; " Odit, inquit, Deus, &
" non ſolùm odit, ſed projecit feſtivitates eorum,
" quia non celebrant feſtivitates Dei, ſed feſti-
" vitates ſuas; dicente Domino, *odi, & projeci*
" *feſtivitates veſtras.* Manifeſtiùs, & veriùs hæc
" poſt adventum Domini dicuntur populo *Ju-*
" *dæorum*, quando congregati dicunt, *crucifige,*
" *crucifige* talem, & *ſanguis ejus ſuper nos, & ſu-*
" *per filios noſtros*".

Cap.

Cap. VIII. 9, 10. *In die illâ, dicit Dominus, occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.*] Hæc ad Tempus Crucifixionis Christi refert * *Irenæus* his verbis: "Qui autem "dixerunt, *in illâ die occidet Sol meridie*, eum "Occasum Solis, qui, crucifixo eo, fuit Horâ "sextâ, manifestè annuntiaverunt; & quia po- "stea quàm hoc factum est, Hi, qui secundùm "Legem erant dies festi eorum, & Cantica in "luctum & lamentationem eorum converteren- "tur, cum inciperent tradi Gentibus." † *Ter- tullianus* de Christi Passione: "*Cœlum*, inquit "*Esaias*, *vestiam tenebris*; *hic erit dies*, de quo "& *Amos*, *Et erit illâ die, dicit Dominus, occidet "Sol meridie*; habes & Horæ sextæ significatio- "nem." ‖ *Cyprianus* etiam, Testimoniis adver- sus *Judæos*, ex his verbis probat, quòd medio die, in Passione Christi, Tenebræ futuræ essent. Porrò * *Eusebius* hæc Prophetam dixisse asserit, "ea quæ sub ipsum salutaris Passionis Tempus "evenerunt indicans, quæ & evidentem exi- "tum sortita sunt tunc, cùm Salvatore in altum "sublato, ut est apud *Evangelistam*, à sextâ "Horâ tenebræ factæ sunt super universam "terram, usque ad Horam nonam." *Hieronymus* denique: "Possumus hunc locum & in Domini "intelligere Passione, quando Sol, Horâ sextâ, "retraxit Radios suos, & pendentem in Cruce "Dominum suum spectare non ausus est; "quando, tenebris cuncta complentibus, Festi- "vitates eorum & Cantica *Vespasiano Titoq;* su- "perantibus, in planctum, luctumque mutata "sunt." Vide plura apud *Cyrillum Hieros.* Ca- tech. 13. p. 132. *Augustinum* Libro Quæst. ex utroque Testamento, Qu. 15. & *Ruffinum* in lo- cum. Certum est interim, Prophetam has pœ- nas iis denuntiare, qui jurabant per Vitulos quos

*L. 4. c. 66.

† *Contr. Marc. l. 2. c. 42.

‖ *Test. l. 2. n. 23.

* *Dem. Evang. l. 10. p. 486.*

colebant incolæ *Samariæ*, & mores *Idololatricos* exercebant, qui apud *Barsebam* obtinebant; V. 14.

In Jonam.

CAP. I. 3. *Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis, à facie Domini.*] Jonæ *fugam Pietati in Patriam* tribuit *Hieronymus* his verbis: "Scit Propheta, Sancto sibi Spiritu suggerente, "quòd Pœnitentia Gentium Ruina sit Judæorum: Idcirco amator Patriæ suæ non tam Saluti invidet *Nineve*, quàm non vult perire "Populum suum. Et, quod his majus est, timebat nè, per occasionem Prædicationis suæ, "illis ad Pœnitentiam conversis, *Israel* penitùs "relinqueretur." * *Gregorius Nazianzenus* pariter: "Non, inquit, potentem Dei manum *Jonas* ignorabat, nec hoc in animum inducebat "fore, ut divinum Numen prorsus effugeret; "verùm quia *Israelis* Casum prospiciebat, Gratiamque propheticam ad Gentes migrantem "sentiebat, idcirco Prædicationem defugit." Interpretationem hanc se à viro erudito, & in his rebus exercitato, accepisse dicit, quem quidam *Methodium*, alij *Origenem* fuisse putant.

* *Orat. 1. in Julian. p. 42.*

Cap. IV. 7. *Et paravit Deus vermem ascensu diluculi in crastinam, & percussit Hederam* [Hieron. *Cucurbitam*] *& exaruit.*] Animadvertit hic † *Augustinus* Historiam hanc de *Cucurbitâ multo cachinno à Paganis graviter irrisam esse.* Quæ verò ipse *Augustinus* ad risum hunc amovendum excogitavit, istiusmodi sunt. "Alterius significationis "personam *Propheta* gestabat; præfigurabat enim "carnalem Populum *Israel*. Umbraculum Cu-

† *Ep. 49. Resp. ad Quæst. 6. p. 205, 206.*

" curbitæ ſuper caput ejus, Promiſſiones erant " Veteris Teſtamenti : Vermis autem matutinus, quo rodente, Cucurbita exaruit, idem " ipſe rurſus Chriſtus occurrit. Nos ergo agnoſcamus Vermem matutinum, quia & in " illo *Pſalmo*, cujus Titulus inſcribitur, *Pro Suſceptione matutinâ*, hoc ſe ipſe nomine appellare " dignatus eſt : *Ego*, inquit, *ſum vermis, & non homo*.----Vermis eſt, propter humilitatem carnis, fortaſſis etiam propter Virginis Partum ; " nam hoc animal plerumque de carne, vel de " quacunque re terrenâ, ſine ullo concubitu " naſcitur." *Auguſtini* Sententiæ concordant Verba *Hieronymi* : " Antequam oriretur Sol Juſtitiæ, vivens erat Umbraculum, & non arebat " *Iſrael* ; poſtquam ille ſurrexit, & tenebræ *Nineventicæ* ejus luce diſcuſſæ ſunt, paratus Vermis " in craſtinum aſcenſu diluculi : De quo *Pſalmus* " vigeſimus primus inſcribitur *pro Aſſumptione matutinâ*, & qui, abſque ullo ſemine, de terrâ " oritur ; & dicit, *Ego ſum vermis, & non homo* : " Percuſſit Umbraculum, &, deſertum auxilio " Dei, omnem virorem perdidit. Hæc quæ ad Cachinnum *Paganorum* amovendum dicta ſunt, vereor ne riſum illis magis adaugeant.

In Micham.

CAP. I. 3. *Dominus egredietur de loco ſuo.*] " Tropologicè, inquit *Hieronymus*, egreditur Dominus de loco ſuo ; quem vel Filium, vel omnes Sanctos intelligere poſſumus : " Ipſe enim Filius ait, *Ego in Patre, & Pater in me* ; & de Sanctis, *Habitabo, & inambulabo in eis*. De his ergo egreditur, non quòd dere-

" linquat eos." " *Dominus egredietur de loco suo*,
* *In Joh. p. 306.* " inquit * *Origenes*; Quoniam, quando Filius
" in Patre est, in formâ Dei existens, antequam
" Seipsum exinaniverat, Deus est veluti Locus
" ejus: Et si quis consideret Illum antequam Se
" exinaniviſſet, in illâ principali Dei formâ
" existentem, videbit Filium ejus nondum à
" Deo egressum, & Dominum nondum egre-
" dientem de Loco suo: Sin verò cum hoc Sta-
" tu contulerit eam quam, Seipsum evacuans,
" accepit formam Servi, intelliget quomodo
" Filius Dei exierit, & venit ad nos, ac veluti
" extra Eum fuerit qui misit Eum.

In Nahum.

CAP. I. 9. *Non consurget duplex tribulatio.* LXX. Interpretes, *Non vindicabit bis in id ipsum in tribulationem.*] Mirum est, quàm absurdas Consequentias ex hâc LXX. Interpretum Versione duxerunt Patres permulti. Agmen ducat *Hieronymus*, qui Quæstionem hanc, *Quid cogitatis contra Dominum? Marcioni*, & cæteris Hæreticis, qui Deum Legis crudelitatis, ob Pœnas quas infligebat, arguebant, propositam fuisse autumat. " Quid ergo, ait, contra Dominum
" cogitatis? quòd si vobis videtur crudelis, ri-
" gidus, & cruentus, quòd in Diluvio genus de-
" levit humanum, super *Sodomam* & *Gomorram*
" ignem & sulphurem pluit, *Ægyptios* submersit
" fluctibus, *Israelitarum* Cadavera prostravit in
" Eremo, scitote, Eum ideo ad præsens reddi-
" disse Supplicia, ne in æternum puniret: Si
" verum est, ut negare non poterunt, *Propheta*
" dicente, *Non vindicabit Dominus bis in id ipsum*

" in

" *in tribulatione* ; ergo qui puniti sunt, non po-
" stea punientur. Si autem illi postea punien-
" tur, Scriptura mentitur, quod dicere nefas
" est." Receperunt ergo & qui in Diluvio pe-
rierunt, & *Sodomitæ*, & *Ægyptij*, & *Israelitæ* in
Solitudine, mala sua in hâc vitâ. Ex hac Ver-
sione, in hunc sensum perperam expositâ, ju-
bent * *Canones Apostolici* Episcopum, Presbyte- * *Can.* 25.
rum, & Diaconum, Fornicationis, Perjurij,
aut Furti convictum, deponi ; non autem
ἀφορίζεσθαι, à Communione Sanctorum segregari ;
dicit enim Scriptura, *Non vindicabis bis in id ip-*
sum. Clerici, inquit † *Basilij* Canon, *qui pecca-* † *Can.* 32.
tum ad mortem peccaverunt, de gradu quidem deji-
ciuntur, à Laicorum autem Communione non arcen-
tur ; non enim vindicabis bis in id ipsum. Eundem
de Diaconis fornicantibus Canonem habet, ubi
hæc addit : ‖ " Sequebantur, ut puto, qui Legem ‖ *Can.* 3.
" hanc primi tulerunt illud, *Non vindicabis bis*
" *in id ipsum*, quod frustrà quidam ad *Canonem*
Apostolicum referunt ; is enim Canon disertim
citat hæc LXX. Interpretum verba. *Basilius*
autem dicit, se tantùm existimare Legis hujus
primos auctores ad hæc verba respexisse ; ubi
verò verba disertim exprimuntur, nullus relin-
quitur conjecturæ locus.

In Habakkuk.

CAP. III. 2. *Domine, opus tuum in medio annorum, vivifica illud.*] *In medio annorum notum facies.* LXX. Interpretes, ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ ; i. e. *in medio duorum animalium notus eris.* Alij legunt τῶν ζωῶν πεισπομένως, hoc est, *in medio duarum vitarum.* Hæc *Irenæus*

aliter legit, & ad Tempus Paſſionis Chriſti re-
* L. 3. c. 10. p. 241. fert his verbis: * " Nondum venerat Hora Ap-
" prehenſionis ejus, nec Tempus Paſſionis quod
" præcognitum fuerat à Patre, quemadmodum
" & *Abacuc Propheta* ait in eo, cùm appropin-
" quârint anni, cognoſceris, in adventu tem-
" poris oſtenderis." Hæc, quæ obſcura ſunt, ab aliis ita elucidantur. Dies annorum noſtrorum ſunt *ſeptuaginta Anni*, Pſal. xc. 10. Paſſus eſt Chriſtus Anno 34. aut 35. Ætatis ſuæ; ergo in medio Annorum Vitæ humanæ. Unde *Hieronymus* dicit verba hæc, *in medio annorum vivifica illud*, " juxta nos (ſc. Chriſtianos) de Reſurrectione
" Salvatoris intelligi poſſe; ut ille, qui pro nobis
" mortuus eſt, conſurgat à mortuis, & vivifi-
" cetur.

† P. 279. 2. † *Euſebius* Demonſtrationis Evangelicæ l. 6. c. 15. & *Theodoretus* in locum contendunt legendum eſſe *in medio duarum vitarum*, i. e. interprete *Theodoreto*, præſentem intelligit, & futuram, quarum medio juſtus Judex apparet. *Euſebius* autem duas Chriſti Vitas intelligit, i. e. divinam, & humanam. " Cum enim una ſecun-
" dum Deum ſit Vita, altera ſecundum homi-
" nem, & illa quidem mortalis, hæc verò ſem-
" piterna, meritò Dominus, qui utramque ex-
" pertus eſſet, in medio duarum Vitarum cog-
|| Περὶ ἀρχῶν, L. 1. C. 3. F. 117. A. " noſci dicitur." || *Origenes* utramque Lectionem agnoſcit his verbis. " Nos verò putamus il-
" lud, quod in Cantico *Abacuc* dictum eſt, *in*
" *medio vel duorum animalium, vel duarum vi-*
" *tarum, cognoſceris*, de Chriſto, & de Spiritu
" Sancto ſentiri debere; omnis enim Sapientia
" de Patre, revelante Filio in Spiritu Sancto,
" cognoſcitur; ut ambo quæ, ſecundum hoc,
" vel Animantia vel Vitæ dicuntur, cauſa Sci-
" entiæ Dei Patris exiſtant.

3. Qui

3. Qui duo animalia hìc legunt, de fictitiis hiſce LXX. Interpretum animalibus, pro fertili quâ pollent inventione, diverſa ſentiunt. *Origene* interprete, ſunt *Filius*, & *Spiritus Sanctus*; * *Tertulliano*, *Moyſes* & *Helias*: aliis, *duo Teſtamenta*, quæ, teſte *Hieronymo*, verè animantia ſunt, & vitalia, quæ ſpirent, & in quorum medio Dominus cognoſcatur. Diverſas has Interpretum ſententias ſic exhibet *Theodoretus*. " Per duo hæc " animalia intelligunt quidam *Angelos* & *Homi-* " *nes*; alij verò *Poteſtates incorporeas*, *Cherubim* & " *Seraphim*; alij demum *Judæos* & *Babylonios*. Quid eſt, *in medio duorum animalium*? niſi in medio *duorum Teſtamentorum*, aut in medio *duorum Latronum*, aut in medio *Moyſi* & *Heliæ* cum eo ſermocinantium: ita † *Auguſtinus*. *Hieronymus* denique: " *Duo animalia* multi putant *de Filio* " intelligi & *Spiritu Sancto*, eò quòd Pater per " Filium intelligitur, & Spiritum; quæ quidem " & duo *Seraphim* in *Eſaia*, & duo *Cherubim* ſcri- " bi interpretantur in *Exodo*. Sunt qui *duo ani-* " *malia*, duo intelligunt *Teſtamenta*. Porrò ſim- " plex interpretatio, & opinio vulgi de Salvatore " intelligit, quòd inter *duos Latrones* crucifixus, " agnitus ſit. Qui autem meliùs, hoc dicunt, " quòd in primâ Eccleſiâ quæ de Circumciſione " fuit, & de præputio congregata, duobus po- " pulis ſe hinc inde cingentibus, intellectus ſit " Salvator, & creditus." Rem acu tetigiſſe videtur * *Auguſtinus* his verbis: " In medio duo- " rum animalium agnoſceris, quia *Verbum*, per " quod facta ſunt omnia, in præſepio jacuiſti; " *agnovit bos Poſſeſſorem ſuum*, & *aſinus præſepe Do-* " *mini ſui*." Vide Annot. in *Eſaiam* i. 3.

* *Contra Marcion. l.* 4. *c.* 22.

† *To.* 6. *Orat. contra Jud. c.* 13.

* *Ibid.*

V. 4. *Cornua in manibus ejus.*] Pari Hallucinatione hìc Crucem invenerunt Patres haud pauci: *Cornua in manibus ejus*, quid eſt, inquit † *Auguſtinus*, niſi Trophæum Crucis? Cornua, id

† *De Civ. Dei, l.* 18. *c.* 32.

id est Vexilla, & Trophæum Crucis : *Hieronymus*, Crucis Signum ; *Cyprianus* Test. l. 2. n. 21. *Regni symbola denotat, quibus dæmonia expellit* ; ita *Eusebius* Demonstr. Evang. l. 6. c. 15. p. 281. Nimirum non intelligebant Hebræa *Kerenim mijedo*, non Cornua sed Radios, à fulgore *Sechinæ* ad latus ejus semet spargentes, indicare. Ita cum scriptum esset de *Mose*, quod *Keren od panim*, splendebat facies ejus adhuc, *Exod.* 34. 29. Vulgatus hæc reddens, *Cornuta erat facies ejus*, errori huic locum dedit, quod *Moses* in Templis cornutus pingeretur. Parique errore *Jupiter Hammon*, qui Solem indigitat radios spargentem, *cornutus* dicitur.

In Zachariam.

CAP. II. 8. *Hæc dicit Dominus exercituum* [LXX. Κύριος ὁ παντοκράτωρ] *post gloriam misit me ad gentes.* V. 9. *Et cognoscetis quia Dominus exercituum misit me.*] i. e. Præcepit mihi Deus, ut, post restitutam vobis pristinam gloriam, ulciscar Gentes quæ vos afflixerunt. *Patres* autem ex his verbis Christum esse Deum omnipotentem colligunt. Ita *Hieronymus* in locum: " Vox Salvatoris loquentis inducitur, qui Om-
" nipotens Deus, à Patre Omnipotente missum
" se esse dicit, non juxta id quod omnipotens
" est, sed juxta id quod post gloriam missus est,
" qui, cum in formâ Dei esset, non rapinam ar-
" bitratus est se esse æqualem Deo, sed seipsum
" exinanivit, formam Servi accipiens, & factus
" est obediens Patri, usque ad mortem Crucis.
" Nec mirum est, quòd Christus dicatur Omni-
" potens, ex cujus Personâ legimus in *Apoca-*
" *lypsi Joannis*, *Hæc dicit testis fidelis*, *initium*

creaturæ Domini, qui est, & erat, & venturus est, Dominus Deus Omnipotens. *Theodoretus* similiter: "Demonstravit nobis Propheta non solum Divinitatem Personarum, sed etiam Æqualitatem: Hæc enim dicit; *Dominus Omnipotens post gloriam misit me*; &, ut demonstret quis ille qui misit, infert, Et *cognoscetis quia Dominus Omnipotens misit me.* [a] Ergo & qui misit, Dominus Omnipotens est, & qui missus est, Dominus Omnipotens, & nullum est Dignitatum discrimen. Missus est autem quà homo, dispensationem pro nobis peragens, non quà Deus, ὡς μὲν Θεὸς, τῷ γεγεννηκότος ὁμότιμος, in quantum enim Deus, est æqualis Patri." "Hoc loco, inquit [b] *Eusebius*, duos perspicuè habes qui eâdem utantur appellatione, unum qui misit Dominum Omnipotentem, & alterum qui mittitur, ejusdem cum eo qui misit nominis: Quem verò alium eum dixeris qui mittitur, ἢ τὸν Θεὸν Λόγον, quàm Deum Verbum, qui à Patre missum se confitetur, & qui manifestè dicit, *Post gloriam misit me*; indicans quòd qui antea fuerat in gloriâ apud Patrem, postea missus est ad Gentes.

Cap. III. 1, 2, 3. *Ostendit mihi Dominus Jesum Sacerdotem magnum, stantem ante faciem Angeli Domini;——Nonne iste ut torris est erutus de igne? Et Jesus erat indutus vestibus sordidis, & stabat ante faciem Angeli.*] Hæc quæ de *Jesu* filio *Josedech*, de Captivitate *Babylonicâ* redeun-

---

[a] Τοιγαροῦν καὶ ὁ ἀποστείλας Κύριος ὁ Παντοκράτωρ, καὶ ὁ ἀποσταλεὶς Κύριος ὁ Παντοκράτωρ, καὶ ἰσοτιμία ἀξιωμάτων διαφορά. In locum, p. 892.

[b] Τὸν τε ἀποστείλαντα Κύριον Παντοκράτορα, καὶ τὸν ἀποσταλέντα ὁμώνυμον τῷ ἀποστείλαντι. Demonstr. Evangel. l. 6. c. 16. p. 281, 282.

te,

te, certo certius sunt dicta, & cui soli adaptari hæc possunt, nempe *si in viis meis ambulaveris, & custodiam meam custodieris, tu quoque judicabis domum meam, & custodies atria mea.* V. 7. Patres, ad *Jesum Christum* magnum Pontificem nostrum referentes, miserè torquent, ea de Salvatore nostro referentes quæ ejus Dignitatem planè minuunt, & ad Blasphemiam in Christum propiùs accedunt. Unus pro cæteris loquatur *Hieronymus*: "Nostri ita disserunt, Sacerdotem esse magnum ad quem dicitur, *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec*; qui, quoniam per se videri non potest, ostenditur à Domino stans *coram Angelo Domini*, (i. e. coram seipso) *quem volunt magni consilij esse Angelum*, non quòd alter, & alter sit, aut duas Personas recipiamus in Filio, sed quòd idem atq; unus, & quasi homo sordidatus ostenditur, & quasi Angelus Mediator Hominum & Dei apparere dicatur. Torris autem de igne erutus rectissimè intelligi potest, qui, cum in *Babylone* fuerit, non est *Babylonio* igne consumptus, nec flammâ Seculi hujus attactus. Hic *Jesus* erat indutus vestibus sordidis, quia infirmitates nostras ipse portat." Hactenus bene: Cùm autem pergit ad hunc modum, Hic in vicesimo primo *Psalmo* (*Psal.* 22. 1.) loquitur, *Longè à salute meâ verba delictorum meorum*, (juxta LXX. Interpretum Versionem) & in sexagesimo octavo *Psalmo* (*Psal.* 69. 5.) *Deus, tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita*; hæc, ut verbatim è Commentario * *Origenis* in *Johannem* translata sunt, ita Apologiâ hac *Origenis* indigent, *Nemo suspicetur hæc nos dicere impiè loquentes in Christum.* Alij Christum indutum esse sordidis vestibus dicunt, ob carnis passibilis & mortalis indignitatem; uti *Tertullianus* adv. *Judæos*

* *Ed. Huet.* p. 73.

c. 14.

c. 14. *Ambrosius* l. 2. de Fide c. 4. *Hæc enim est vestis sordida.* *Lactantius* l. 4. c. 14. "Deniq; juxtà "nostros qui hæc omnia ad Dominum referunt "Salvatorem, hoc videtur difficile esse, quòd *Je-*"*su* ab Angelo dicitur, *si ambulaveris in viis me-*"*is*, &c. sed facilè, inquit, solvitur, si conside-"remus quòd quicquid de Membris dicitur, re-"fertur ad Corpus; & nostra Profectio est Do-"mini Victoria." *Hieronymus.*

Cap. IX. 11. *Et tu quoque in sanguine Testamenti tui, emisisti vinctos tuos è lacu in quo non est aqua.*] "De Christo, inquit *Hieronymus*, vati-"cinium est, quod ita intelligitur: in sanguine "Passionis tuæ eos qui vincti tenebantur in "carcere Inferni, in quo nulla est misericordia, "tuâ clementiâ liberâsti. Denique, postquam "Dominus resurrexit, hi qui peccatis *Adam*, si-"ve ut alij volunt, inoliti erroris, ac mortis "vinculis tenebantur, resurrexerunt cum eo, & "apparuerunt in sanctâ Civitate." Et Com-mentario in hæc verba *Eccles.* 3. 20. * *Omnia pergunt ad unum locum*, "Hoc, inquit, dicit, non "quòd animam putat perire cum corpore, vel "unum bestiis & homini præparari locum; sed "quòd, ante adventum Christi, omnia ad Infe-"ros pariter ducerentur; unde & *Jacob* ad In-"feros descensurum se dicit; & *Job* pios & "impios in Inferno queritur retentari, & E-"vangelium chaos magnum interpositum apud "Inferos, & *Abraham* cum *Lazaro*, & *Divitem* "in suppliciis esse testatur. Et reverà antequam "flammeam illam Rotam, & igneam Rom-"phæam ad Paradisi fores Christus cum La-"trone reseraret, clausa erant Cælestia." Hanc autem Sententiam apud Catholicos omnes obti-nuisse testatur & probat † *Petavius*, 1. Ex Testi-moniis Patrum *Græcorum*; inter quos vidimus notis

* *Fol.* 32. *F.*

† *De Incarn. l.* 13. *c.* 16.

notis in *Samuelis* 28. 11, 12. [c] *Justinum M.* & [d] *Irenæum*, disertim agnoscentes ante adventum Christi, ejusque ad Inferos descensum, justorum omnium animas apud Inferos mansisse; quod quidem ex hoc apocrypho *Jeremiæ* loco ambo probare aggrediuntur; *Memor fuit Dominus Deus ex Israele mortuorum qui dormierunt in terrâ aggeris, seu limi, & descendit ad ipsos ut evangelizaret eis salutare suum.* * *Clemens Alex.* dicit, "Apostolos "in Inferno prædicâsse *Abel* & *Noe*, & aliis justis omnibus, illosq; mortuos descendisse, vivosque ascendisse:" quod *Pastoris* testimonio probat; & Stromate sexto, [e] "Dominus, inquit, prædicabat etiam iis qui erant apud Inferos; dicit enim Scriptura, *Dicit infernus perditioni, ejus quidem speciem non vidimus, ejus autem vocem audivimus:*" alludens ad verba *Job* 28. 22. "Ante Christi adventum, inquit *Origenes*, impossibile erat gladium flammeum pertransire, & ad lignum vitæ accedere. Expectabant ergo [f] *Patriarchæ* & *Prophetæ*, & omnes, Christi Domini adventum, ut sic viam aperiret. Christus, juxta * *Tertullianum*, "non antea ascendit in sublimiora cœlorum, quàm descendit in inferiora terrarum, ut illic Patriarchas & Prophetas compotes sui faceret. Habes hìc Regionem Inferûm subterraneam credere, & illos cubito pellere, qui satis superbè non credunt animas Inferis dignas." *Il-*

* *Strom.* 2. *p.* 379.

* *L. de Anima c.* 55.

---

c *Dial. cum Tryph. p.* 232.

d *L.* 3. *C.* 33. *L.* 4. *C.* 66. *L.* 5. *C.* 31.

e Ὁ κύριος εὐαγγελίσατο καὶ τοῖς ἐν Ἅιδου. P. 637.

f Παρέμφυον ἦν τῷ τῆ Κυρίᾳ μου ὑπομονὴν καὶ Πατριάρχαι, καὶ Προφῆται, καὶ πάντες, ἵνα ὅπως τῷ ᾖδει ἀνοίξῃ. Hom. in Reg. Ed. Huet. To. 1. p. 36.

le, inquit [g] *Eusebius*, pro earum animarum salute "accedebat, quæ apud inferos à longo tempore "ejus adventum expectabant, & descendebat "fores æneas confracturus, & vectes æreos, & "eos qui antea vincti apud Inferos erant in li-"bertatem vindicaturus." Et alibi: † "Mor-"tuis catenis mortis vinctis, remeandi ad vi-"tam rursus viam aperuit, multaque corpora "Sanctorum cum eo resurrexerunt." Quæ quidem non levem suspicionem mihi injiciunt, *Eusebium* ipsum composuisse verba illa quæ ex personâ *Thaddæi* nobis exhibet; nempe [h] "quòd "Christus descendit, clausrumque ab omni æ-"vo intactum disruperit, & mortuos, qui multis "seculis sepulti jacebant, secum unà suscitave-"rit: atque solus quidem descendebat, ascen-"debat verò cum maximo comitatu. Fecit Fi-"lius Dei quod ante promiserat; clausit januas "sedis infernæ, & duræ Legis necessitatem, "calcatâ morte, prostravit. Per triduum re-"cens ita ab eo justorum turba collecta est, ne "diutiùs contra eos mortis dominaretur impro-"bitas; fregit clausra perpetua, & ferreæ fores, "Christo jubente, collapsæ sunt:" ita *Julius* * *Firmicus*. "Descendebat, juxta † *Lactantium*, ut In-"feros quoque vinceret & resignaret." Juxta *Cyrillum Hieros.* "Descendebat ad Inferos, ut in-"de redimeret justos. [i] Ibi *Adam* longo tem-

† *Ibid. l.* 4.

* *P.* 31.

† *L.* 4. *c.* 9.

---

[g] Ὁ μὲν ὅτι Σωτηρία πᾶσι ἐν Ἅιδου Ψυχῶν παρῆν ἐν μακρῶν αἰώνων τῇ ἄφιξιν αὐτοῦ προσδοκωσῶν. Demonstr. Evangel. l. 10. p. 501.

[h] Καὶ διέρχεται φραγμὸν τὸν ἐξ αἰῶνος μὴ χαλασθέντα, καὶ συνήγειρε νεκροὺς πολλοὺς ἀπ' αἰώνων κεκοιμημένους, καὶ πᾶσι χαλεπὸν μόνος, ἀνέσει δὲ μετὰ πολλῆς ὄχλου. Hist. Eccles. c. ult. p. 35.

[i] Οὐκ ἤθελες ἵνα χαλασθῇ τοῦ πιστοὺς. Catech. 4. p. 28.

"pore

" pore incluſus ; ibi *David*, *Samuel*, & omnes " Prophetæ. Non velles ut deſcendens tantos " viros redimeret." [k] *Athanaſius* dicit " Ani- " mam Chriſti ad Inferos deſcendiſſe, ut Ani- " marum, quas Infernus vinctas tenebat, vinculâ, " præſentem ſe ſiſtens, diſrumperet, denuntians " iis tempus Reſurrectionis." *Baſilius* in hæc verba *Pſal.* 48. (Hebr. 49.) 15. *Deus redimet animam meam ex χειρὸς Ἅδου, ex manu Inferni* : [l] " Pa- " làm, inquit, vaticinatur Chriſti ad Inferos de- " ſcenſum, qui unà cum aliis Prophetæ ipſius " animam liberaret." " Divinitas, juxta [m] *Epi-* " *phanium*, anima Chriſti, deſcendere decreve- " rat ad Inferos, ut eos qui antea mortui erant, " hoc eſt, ſanctos Patriarchas, in ſalutem aſſere- " ret." " Corpus quidem ejus jacebat in tumu- " lo, inquit [n] *Ambroſius*, ipſe autem, inter mor- " tuos liber, remiſſionem in Inferno poſitis, ſo- " lutâ mortis lege, donabat. Et rurſus : Per " Corporis mortem penetravit Infernum, ut ſol- " veret alligatos." * *Hilarius Diaconus* docet Chriſtum ad Inferos deſcendiſſe, ut quos tenebat peccatum apud Inferos, amitteret ; quoniam ergo vivis oſtendit viam Salutis, ac ſe obtulit pro eis, mortuos verò liberavit de Inferno, tam vivorum, quam mortuorum dominatur. " Et " deſcendit in inferiora terræ, non ſicut Homi- " nes, qui ad hoc deſcenderunt, ut illic rema- " nerent ; ſed deſcendit, ut vi poteſtatis ſuæ, " calcatâ morte, cum captivis, quorum cauſâ

* *In Lph.* 4. 10.

---

[k] *De Incarn. Chriſti*, p. 626. & *de Adventu Salutar.* p. 640.

[l] Ὃς μὴ περὶ ἄλλων ἢ αὐτῆς λυτρώσεσθαι τὴν Προφήτου τὴν ψυχήν. To. 1. p. 284.

[m] Φησὶ δὲ ἁγίων Πατριαρχῶν.

[n] *De Incarn.* c. 5. & *in Pſal.* 118. p. 570.

" pati

" pati se permisit, resurgeret." ° *Chrysostomus* in hæc verba *Isa.* 45. 2. juxta Versionem LXX. Interpretum, *Aperiam tibi thesauros tenebricosos, absconditos, invisibiles*, dicit, Infernum thesauros appellari; quòd etsi Inferi essent, animas tamen sanctas, & vasa pretiosa condebant, *Abraham, Isaac & Jacob.* * *Cyrillus Alex.* dicit Christum ad Inferos descendisse, non solùm ut iis qui in terrâ adhuc degebant Salutem daret, sed etiam iis prædicaret Remissionem, qui in Abyssi penetralibus sedebant in tenebris. Vide plures apud *Petavium* de Incarnatione, l. 13. c. 16, 17, 18. Ex iis autem Testimoniis, quæ jam in medium produximus, satis, nî fallor, constat, Sententiam hanc ab ipsis Fidei Christianæ Primordiis in Ecclesiâ viguisse, nemine, quod sciam, ante *Augustinum*, ei in specie refragante. Ante *Augustinum* dico, quo, † si *Petavio* sit Fides, nemo graviùs, copiosiùs, ac disertiùs vulgatæ apud Theologos, immò Catholicos omnes, opinioni suffragatus est.

* *In Joh.* 11. p. 933.

† *Ibid.* c. 17. §. 4.

° Εἰ γὰρ Ἅιδης ἦν, ἀλλὰ ψυχὰς ἐκεῖσται ἁγίας, καὶ σκηνὴν ἦμεν, τὸν Ἀβραὰμ, καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακώβ. To. 6. Hom. 61. p. 626.

In Malachiam.

CAP. I. 2. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.*] *Græci* Patres, fatente *Vossio*, semper, *Patrum Latinorum* verò illi qui ante *Augustinum* vixerunt, eos dixerunt esse prædestinatos ad vitam, quos Deus piè, rectèque victuros,

sive quos credituros, & perseveraturos esse prævidit. Constat hoc,

1. Ex omnibus antiquis Interpretibus qui in hunc locum, & in Caput Nonum ad *Romanos* Commentarios, seu Scholia ediderunt. Ita *Theodoretus* in locum: "*Esau* odio habui, ob morum "suorum malitiam; *Jacob* autem dilexi, utpote "virtutis studiosum." *Hieronymus* in locum sic pergit: "Porrò Dilectio & Odium Dei vel ex "Præscientiâ nascitur futurorum, vel ex Operibus. Alioquin novimus quòd omnia Deus "diligit, nec quicquam eorum oderit quæ creantur. Sed propriè eos suæ vindicet charitati, qui vitiorum hostes sunt; & è contrario, "illos odit, qui à Deo destructa cupiunt rursum "exstruere." *Origenes* in *Rom.* 9. 13. Expositionem horum verborum petendam esse dicit, ex iis quæ antea de vocatis secundùm propositum differuerat; i. e. *Quos vocavit, sciens in eis Religiosam mentem, & salutis inesse desiderium; illosque à Deo prægnitos dici, in quibus, sciens quales essent, amorem suum Deus affectumque posuisset.* *Hilarius Diaconus* in locum ejusdem planè sententiæ est: "Sciendo enim, inquit, quid unusquisque illorum futurus esset, dixit, *Hic erit dignus, qui* "*erit minor*; *& qui major erit, indignus*: Hoc "dicit, quasi præscius, non acceptor personarum; nam neminem damnat antequam peccet, & nullum coronat antequam vincat. "Non est personarum acceptio in præscientiâ "Dei; Præscientia enim est, quâ definitum "habet qualis uniuscujusque voluntas futura "erit, in quâ mansurus est, per quam aut damnetur, aut coronetur." "Hæc dicit Deus, "juxta *Theodoretum*, cum eorum propositum "præsciisset; Non enim est injusta Electio, sed "hominum proposito consentanea; non ergo "Naturam attendit, sed Virtutem solam quæ-

"rit."

" rit." *Chryſoſtomus* quærit, " 1. Quarè diligi-
" tur Is, Ille verò odio habetur?" Reſpondet,
" Quoniam Ille malus, Hic autem bonus erat."
Quærit " 2. Cur hoc de eis dictum fuiſſet an-
" tequam naſcerentur?" Reſpondet, " Quo-
" niam Deus, non, ſicut Homo, expectat à fine
" Operum videre quis bonus erit, quis non ta-
" lis; ſed ante Opera novit quis malus erit, &
" quis non." *Oecumenius* dubium proponit ad
hunc modum: " Electio propter aliquod diſcri-
" men inter perſonas fit; qui autem nihil fe-
" ciſſent, in quo diſcriminarentur?" Reſpon-
det, " In oculis Hominum nullum eſt diſcri-
" men eorum qui nihil fecerunt; divinâ autem
" futuri præcognitione, multum erat diſcrimi-
" nis; Hic enim quæ Deo placebant, fecit;
" Ille verò non." *Theophylactus*, qui hic ſolus
deficit, ex Commentario in hæc verba *Matth.*
22. 14. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*, ſup-
plendus eſt, ubi paucos electos eſſe dicit;
" [a] Pauci enim ſunt digni, qui à Deo eligeren-
" tur: Dei munus eſt vocare; electos autem fi-
" eri, vel non, ex nobis pendet. Unus & idem
" Deus noſter, & illorum, qui eſt abſconſorum
" cognitor, qui ſcit omnia antequam fiant:" Et
propter hoc, ſecundùm * *Irenæi* ſententiam, * L. 4. c. 38.
dixit Deus, *Jacob dilexi, Eſau autem odio ha-
bui.* [b] *Origenes*, his verbis recitatis, pergit ad
hunc modum: " Non recurrentibus nobis ad
" Opera hanc vitam præcedentia, quomodo ve-
" rum erit injuſtitiam non eſſe apud Deum, ſi

---

[a] Ὀλίγοι γὰρ οἱ σωζόμενοι, καὶ ἄξιοι ἐκλεγῆναι ἀφ' ἑαυτῶν θεοῦ· ὅτε τῷ μὲν θεῷ τὸ καλεῖν, τὸ δὲ ἐκλεκτὸς γίνεσθαι, ἢ μή, ἐμὲ πεφύκασι δεῖν.

[b] Τῷ μείζονος δουλεύοντος τῷ ἐλάττονι, καὶ μισουμένου εἶναι παῦσαι τὰ ἄξια δουλεύειν, καὶ τὰ ἄξια τῆς μισεῖσθαι. In Joh. Ed. Huet. p. 78.

" major minori ſerviat odio habitus, antequam " digna vel ſervitute, vel odio fecerit?" *Chryſoſtomus* docet, Deum dixiſſe, *Jacobum dilexi, &* " *Eſavum odio habui*; quoniam ut Deus futura " prævidebat, hujus nempe virtutem, illius au- " tem mentem malitiæ deditam." Reliqua quæ huc ſpectant, vide apud *Voſſium* Hiſtor. Pelag. l. 6. c. 8. & Annot. in Rom. 8. 28.

V. 11. *Ab ortu Solis uſq; ad occaſum ejus magnum eſt* (erit) *nomen meum inter Gentes, & in omni loco incenſum offertur* (adolebitur) *nomini meo, & pura oblatio, quia magnum* (erit) *nomen meum in Gentibus.*] * *Irenæi* in hunc locum verba ſunt hæc: " Chriſtus Diſcipulis ſuis dans conſilium " Primitias Deo offerre ex ſuis Creaturis, non " quaſi indigenti, ſed ut ipſi nec infructuoſi, " nec ingrati ſint, eum qui ex creaturâ eſt pa- " nis accepit, & gratias egit, dicens, *Hoc eſt* " *corpus meum*; & calicem ſimiliter, qui eſt ex " eâ creaturâ quæ eſt ſecundùm nos, Sangui- " nem ſuum confeſſus eſt, & novi Teſtamen- " ti novam docuit Oblationem, quam Eccleſia, " ab Apoſtolis accipiens, in univerſo mundo " offert Deo ei qui alimenta nobis præſtat, " Primitias ſuorum munerum in novo Teſta- " mento: De quo, in duodecim Prophetis, " *Malachias* ſic præſignificavit; *Non eſt mihi vo-* " *luntas in vobis, dicit Dominus Omnipotens, &* " *Sacrificium de manibus veſtris non accipiam;* " *quoniam ab ortu Solis uſq; ad occaſum nomen* " *meum glorificatur inter Gentes, & in omni loco* " *Incenſum offertur nomini meo, & Sacrificium pu-* " *rum; quoniam magnum eſt nomen meum in Genti-* " *bus.* Manifeſtiſſimè ſignificans per hæc, quo- " niam prior quidem Populus ceſſabit offerre " Deo, omni autem loco Sacrificium offeretur " Deo, & hoc purum." Quibus hoc Scholion apponit *Grabius*: " Locum hunc Prophetæ de " Sacri-

* *L.4.c.32. p.323,324.*

" Sacrificio Corporis & Sanguinis Christi in " Eucharistiâ, ante *Irenæum*, interpretati sunt " *Clemens Romanus*, *Constitutionum* l. 7. c. 3. *Ju-* " *stinus M.* in *Dialogo*; postea verò *Tertullianus* " l. 3. contra *Marcionem*; *Cyprianus* l. 1. adv. *Ju-* " *dæos*, c. 16. *Chrysostomus* in *Psal.* 95. *Augustinus* " de Civ. Dei l. 18. c. 35. & l. 19. c. 23. & l. 1. " *contra Adversarium Legis*, c. 20. *Eusebius* l. 1. " Demonstr. Evang. c. ult. *Damascenus*, *Petrus* " *Venerabilis*, & Rabbi *Samuel*, ut impietas sit " plusquam *Judaica*, huic Interpretationi re- " pugnare.

Solent viri iracundi, & ferocis ingenij, cùm Argumenta defuerint, ad vana terriculamenta confugere, eumque probris onerare, quem ratione vincere non possunt. Hoc autem à *Grabio*, viro mitissimi ingenij, minimè expectâssem, præsertim in negotio ubi *Bellarmini*, in hâc causâ, tantum testimonia corrasisse illum video, quibus amplum, solidum, & irrefragabile responsum unico capitulo exhibuit magnus *Bochartus*, l. 2. de Sacrificio Missæ, c. 5. Ut tamen actum denuò agamus;

1. *Constitutiones Apostolicæ*, loco laudato, " agnoscunt Deum à Christianis omnibus laudandum esse, ob beneficia quæ in ipsos contulit, " per Christum, liberando eos ab ignorantiâ, " ab errore, à vinculis, ut Sacrificium eorum " inculpabile, & acceptum esset Deo dicenti, " de Ecclesiâ Catholicâ, *In omni loco offeretur mi-* " *hi Incensum, & Sacrificium mundum.*" Ubi asseritur quidem Deum his verbis prædixisse, quòd in omni loco Incensum, & Sacrificium purum oblatum esset; utrum verò hoc Sacrificium verum, & propriè sic dictum esset; utrum in Oblatione Corporis & Sanguinis Christi consisteret, vel in Precibus, & Gratiarum actionibus, & in commemoratione Sacrificij semel à Christo

oblati, in dubio relinquitur. Ex verbis autem earundem *Constitutionum*, alibi de hâc ipsâ re prolatis, constat,

Primò, Sacrificia tunc ab Episcopis oblata *rationalia* fuisse, & incruenta: "Vos enim E-"piscopi, inquiunt, Sacerdotes estis Popu-"lo, [c] adducentes Deo rationalia & incruenta "Sacrificia." Sunt autem, juxta *Chrysostomum*, Rationalia Sacrificia, [d] *ea quæ per animam & spiritum aguntur, quæ nec corpus, nec ejus instrumenta, nec loca exigunt.* Sacrificium autem Eucharisticum non per animam & spiritum tantùm peragitur, sed corpus, instrumenta corporis, & locum postulat. Porrò, quænam Sacrificia sunt incruenta, docet [e] *Origenes* his verbis: "Festum "bene celebrat, qui id quod debet facit; sem-"per orans, & Deo continuò sacrificans in "precibus suis incruenta Sacrificia." Juxta [f] *Cyrillum Alexandrinum*, *Salvator noster innumeros habet in cælis sacrificantes ei intellectualia, & incruenta Sacrificia, id est, hymnos, & laudes.* Idemque clarè docent *Hæ Constitutiones*, dicendo, "[g] Victimarum loco nunc sunt Preces & "Obsecrationes, & Gratiarum actiones." Et

---

c Προσάγοντες Θεῷ τὰς λογικὰς καὶ ἀναιμάκτους θυσίας. l. 2, cap. 25.

d Τὰ διὰ τῆς ψυχῆς, τὰ διὰ τῆς πνευμάτος, ὅσα μὴ δεῖται σώματος, μὴ ὀργάνων, μὴ τόπων. Ho. 13. in Hebr. p. 492.

e Ἀεὶ εὐχόμενος, διὰ παντὸς θύων τὰς ἀναιμάκτους θεῷ τῷ θείῳ εὐχὰς θυσίας. Contr. Celsum, l. 8. p. 392.

f Ἱερουργοῦντας αὐτῷ τὰς νοητὰς δηλονότι, καὶ ἀναιμάκτους θυσίας, ὕμνους, καὶ δοξολογίας. To. 5. Part. 2. de rectâ fide ad Imperat. p. 160.

g Αἱ τότε θυσίαι νῦν εὐχαὶ, καὶ λιτάνειαι, καὶ εὐχαριστίαι. l. 2. c. 25.

l.

l. 6. c. 23. [h] " Vice Sacrificij, in quo Sanguis ob-
" latus est, habemus rationale, incruentum, &
" mysticum Sacrificium, quod in mortem Do-
" mini commemorandam peragitur, per sym-
" bola Corporis & Sanguinis ejus." Quod autem per Sacrificij olim præstiti commemorationem tantùm peragitur, verum Sacrificium dici non potest.

Progredimur ad Secundum Testimonium *Justini M.* quem agnoscimus affirmare hunc *Malachiæ* locum loqui de Sacrificiis, à nobis Gentibus, in omni loco offerendis; id est, de Pane & Poculo Eucharistiæ. Et hæc quæ *Malachias* prædixit, nos Christianos facere, cùm in alimenti sicci & liquidi recordatione [i] mentionem facimus Passionis quam Filius Dei passus est. Plurima tamen sunt, eaque manifesta, indicia, *Justinum* neutiquam intelligendum esse de Sacrificio vero, aut propriè sic dicto loqui; sed tantùm de Sacrificio, ut alibi dicit, διὰ λόγου, *ratione præstando*; immò de spirituali Precum & Gratiarum actionis Sacrificio hæc *Malachiæ* verba, juxta *Justinum*, interpretanda esse constat;

1. Quoniam hic solum Precationes, & Gratiarum actiones, quæ dignis peraguntur, [k] esse Deo grata Sacrificia pronuntiat; & in Apologiâ vulgò Secundâ, Christianorum nomine, dicit verbo Precis & Gratiarum actionis, in omnibus quæ offerrimus, Deum, quantum possumus, lauda-

---

[h] Προσφορὰν ἀντὶ θυσίας τῆς δι' αἱμάτων λογικὴν καὶ ἀναίμακτον, καὶ τὸ μυστικὴν, ἣν περ εἰς τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου συμβόλων χάριν ἐπιτελεῖται τοῦ σώματος καὶ αἵματος.

[i] Ἐν ᾗ τοῦ πάθους ὃ πέπονθε δι' αὐτοῦ ὁ Θεὸς (lege ὁ Υἱὸς) τοῦ Θεοῦ μέμνηται. Dial. cum Tryph. p. 345.

[k] Τελείας εἶναι καὶ εὐαρέστους τῷ Θεῷ θυσίας. p. 345.

mus, [l] hunc solum sentientes esse honorem Deo dignum.

2. Nec minùs hoc constat ex iis quæ contra *Judaicam* Interpretationem hujus loci, quam etiam *Paraphrasis Chaldaica* exhibet, *Justinus* hìc disputat: Iis enim suggerentibus Prophetæ hæc verba de Precibus à *Judæis* in dispersione oblatis intelligenda esse, & *Malachiam* [m] *Preces ipsorum Sacrificia appellare*, spiritualem hunc Sacrificij sensum non tantùm non improbat, sed suo suffragio firmat: "Preces etenim & Gratiarum actiones, quæ à dignis peraguntur, sola, inquit, perfecta esse, & Deo grata Sacrificia, καὶ ἐγὼ φημὶ, *Ego etiam dico*: Hæc autem non à vobis, sed à Christianis tantùm in omni loco in Eucharistiæ sacris fieri; [n] in quibus Passionis Christi cum Gratiarum actione memoriam faciunt. Vestræ enim dispersiones à Solis ortu ad occasum ejus, cùm *Malachias* hæc locutus sit, minimè pertingebant. Atqui ne unum quidem est genus mortalium, in quibus Preces & Gratiarum actiones non offeruntur Patri, & Conditori omnium per nomen *Jesu* crucifixi.

3. Sacrificia hæc spiritualia non à Sacerdotibus tantùm propriè sic dictis, sed à Christianis omnibus oblata esse asserit, eosque adeò Regale Sacerdotium esse, cum *Irenæo*, *Origene*, & Patribus ferè omnibus posterioris ævi, ad spiritualia Sacrificia Deo grata offerenda, post D. *Petrum*,

---

[l] Μόνην ἀξίαν αὐτῷ παρ' ἡμῶν ταύτην ὁμολογοῦντες. p. 60.

[m] Τὰς εὐχὰς αὐτῶν θυσίας καλεῖν. Ibid.

[n] Ἐν οἷς μὲν διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ σταυρωθέντος Ἰησοῦ εὐχαὶ καὶ εὐχαριστίαι τῷ Πατρὶ, καὶ Ποιητῇ τῶν ὅλων γίνονται. Ibid.

agno-

agnoscit : " Nos enim, inquit, o *Sacerdotale ve-*
" *rum genus sumus* , prout Deus ipse testatur,
" dicens , nos in omni loco inter Gentes of-
" ferre ipsi Sacrificia Deo grata & pura ; non
" accipit autem Deus Sacrificia ab ullo, nisi à
" Sacerdotibus ejus ; omnes ergo qui per no-
" men hoc Sacrificia [offerunt,] quæ tradidit *Jesus*
" fieri, in Eucharistiâ Panis & Poculi, quæ à
" Christianis in omni loco fiunt, anticipans,
" gratos sibi esse testatur." Cum ergo Christiani omnes, qui tantùm spirituali & metaphorico sensu Sacerdotes sunt dicti, Sacrificia hæc pura, & Deo grata offerunt , manifestum hinc est, non esse ea Sacrificia propriè sic dicta.

Est denique observandum, quòd in longâ illâ & accuratissimâ de Praxi Ecclesiæ in Eucharistiâ celebrandâ enarratione , nè verbum habet *Justinus* de Oblatione Eucharistiæ Deo Patri factâ, quod certum indicium est, malâ fide *Irenæum* de hâc Oblatione, tanquam ab Apostolis acceptâ, & in omnibus Ecclesiis observatâ , loqui.

Accedimus jam ad Testes, qui post *Irenæi* Tempora floruerunt. Inter quos mirum est * *Tertullianum* primum locum obtinere ; juxta quem, *Malachiæ* Sacrificium est *Gloriæ Relatio, & Benedictio, & Laus, & Hymnus* : Et rursus ; *Est Oratio ex purâ Conscientiâ* ; & denique, *Oratio, & Gratiarum actio apud Ecclesiam, per Catholicum Patris Sacerdotem.*

* *Contr. Marc. l. 3. c. 22. l. 4. c. 1.*

Nec magis ad *Grabij* propositum facit *Cyprianus*, qui hoc tantùm probandum in se suscipit,

---

o Ἀρχιερατικὸν τὸ ἀληθινὸν γένος ἐσμὲν τῷ Θεῷ, θυσίας αὐτῷ εὐαρέστους, καὶ καθαρὰς προσφέροντες, ἃ δὲ λέγει δι' ἡμῶν θυσίας ὁ Θεὸς, εἰ μὴ διὰ τῶν Ἱερέων αὐτοῦ. p. 344.

† quòd

† *Test. l.* 1. q. 16. † quòd *Sacrificium vetus evacuaretur, & novum celebraretur*; nec enim mentionem facit Sacrificij Eucharistici, nec quale esset hoc novum Sacrificium, vel verbo indicat. Denique id probat ex *Psalmo* 50. (al. 49.) *Sacrifica Deo Sacrificium laudis; & redde Domino vota tua: Invoca me in die pressuræ, & eruam te, & clarificabis me.* Et in eodem *Psalmo*, *Sacrificium laudis clarificabit me*: Et in *Psalmo* quarto, *Sacrificate Sacrificium justitiæ, & sperate in Dominum.* Et denique, ex verbis *Malachiæ*; cùm ergo Sacrificia Laudis & Justitiæ sunt planè metaphorico tantum sensu Sacrificia; quid impedit, quo minùs Sacrificium *Malachiæ* ejusdem generis esset.

Ad *Eusebium* frustrà vir doctus provocat; is enim, conceptis verbis, asserit, [p] "Christianos "Sacrificij semel à Christo oblati memoriam "facere, Corporis nempe & Sanguinis Christi "pro nobis oblati; & quod hujus quidem Sa"crificij accepimus, juxta Leges novi Fœderis, "memoriam facere super mensam, per sym"bola Corporis & salutaris Sanguinis ejus." Ubi docet, 1. Christianos memoriam tantùm Sacrificij à Christo semel oblati recolere, non autem verum Sacrificium offerre. 2. Eosdem hoc facere non symbolis Patri oblatis, sed super mensam positis. 3. Hoc Christianos facere accepisse juxta Leges novi Fœderis: Non ergo postulant hæ Leges Sacrificij hujus Oblationem, sed oblati tantùm Recordationem; quæ omnia cum Christi, & D. *Pauli* verbis apprimè conveniunt. Secundò, Hanc, inquit, Christus nobis tradidit,

---

[p] Τὴν ἀναίμακτον θυσίαν— ἣν τότε ὑπὲρ σώματος καὶ τοῦ μυστικοῦ ὑπὲρ τῆς τραπέζης θυσίαν, διὰ συμβόλων τοῦ σώματος αὐτοῦ, καὶ τοῦ σωτηρίου αἵματος, καλεῖν διδόντες τῆς καινῆς διαθήκης παρειληφότες. Dem. Evang. l. 1. p. 37, 39. & p. 38, ἀντὶ δυσίας Θεῷ ἀναιμάκτως προσφέρειν.

Deo

Deo quotidie offerre vice Sacrificij ; ut enim in eodem capite est, [q] *Victimarum animam vice animæ nostræ offerre* ; ita Memoriam hujus Sacrificij facere ἀντὶ θυσίας, est *vice Sacrificij hoc facere.* His igitur verbis Sacrificium verum penitùs excludit *Eusebius*, & memoriam ejus Sacrificij loco constituit. Tertiò, Dicit *Davidem* his verbis, *Parâsti mihi in conspectu tuo mensam, & calicem inebriantem*, manifestò indicare venerabilia Mensæ Christi Sacrificia, [r] per quæ docemur Deo super omnia litare Sacrificia incruenta, rationalia, & placita omni tempore vitæ nostræ, per Pontificem omnibus superiorem : immò incorporea, & intellectualia Sacrificia. Sacrificia autem pro quibus *Grabius*, post *Medum*, contendit, nec incorporea, nec rationalia sive intellectualia, sed corporalia, & Sensibus obvia sunt. Denique Sacrificium, inquit, juxta *Malachiam*, peragimus, sacrificando Deo Altissimo θυσίαν τῆς αἰνέσεως, *Sacrificium laudis, Spiritum contritum, & Orationes sacrificamus & incendimus* ; *interdum quidem memoriam magni Sacrificij*, *per ea quæ nobis tradita sunt mysteria, celebrantes*, [s] *& gratias Deo pro Salute nostrâ agentes*, *per pios hymnos & preces* ; interdum verò nos ipsos, corpore & animo, Ei, & Pontifici nostro consecrantes.

---

q Ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς προσφέρειν.

r Διὸ ὧν καλλιεργῆσες τὰς ἀναίμες, καὶ λογικὰς αὐτῷ, καὶ προσήκεις θυσίας διὰ παντὸς βίε τῷ ὄντι πάντων Θεῷ προσφέρειν διὰ τὸ πάντων ἀνωτάτω Ἀρχιερέως αὐτῷ διδιδάχθαι, Ibid. p. 39. B.

s Καὶ τῷ ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν εὐχαριςίαν δι' ὑμνων καὶ εὐχῶν τῷ Θεῷ προσκομίζοντες, Ibid. p. 40. A, B, C.

In

In Locis ex *Augustino* de Civitate Dei citatis, hoc tantùm invenio; quòd *Malachiam* de Eucharistiâ Christianorum loqui existimat; quale autem Sacrificium illud esset, non omnino explicat; quod autem illìc deficit, in loco contra Adversarium Legis citato, commodè suppletur. Ibi enim manifestò dicit, Sacrificium de quo *Malachias* loquitur, *Sacrificium* Laudis esse, *Incensum ejus, Orationes Sanctorum.* Et paulò post, *Sacrificium illud salutare, in quo pro nobis sacer Sanguis effusus est.* De Oblatione Sacrificij ullius, à nobis in Eucharistiâ celebrandâ peragendi, prorsus silet.

Chrysostomus denique dicit, his *Malachiæ* verbis perspicuè indicari mysticam Mensam, & *incruentum Sacrificium.* Est autem hoc Sacrificium, juxta eundem, *cæleste, & supermundanum*; non igitur in terris peragendum est unicum verum Sacrificium, omnibus veteris Testamenti Sacrificiis oppositum. *Et nos*, inquit, *idem Sacrificium offerimus; sed hoc facimus, memoriam facientes mortis ipsius*: [c] *Hoc fit in memoriam Sacrificij à Christo tunc oblati; Hoc enim*, inquit, *facite in memoriam mei; non aliud Sacrificium facimus, sicut Pontifex tunc, sed idem semper, aut potiùs memoriam facimus Sacrificij.*

Cap. IV. 4. *Ecce ego mitto vobis Eliam Prophetam,* (LXX. Interpretes, τὸν Ηλίαν Θεσβίτην) *antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.*] Priorem Christi Adventum præcessisse typicum *Eliam*, inquit * *Huetius*, hoc est, *Johannem*; al-

* Notis in Orig. p. 53. Col. 1.

---

[c] Ἀλλ' ἀνάμνησιν ποιούμενοι τοῦ θανάτου αὐτοῦ — ἀλλὰ τοῦτο αὐτοῦ ἀεὶ, μᾶλλον δὲ ἀνάμνησιν ἐργαζόμεθα τῆς θυσίας. Ho. 13. in Hebr. p. 523.

terum

terum præceſſurum verum ipſum *Eliam*, *conſtans eſt Patrum omniumque conſenſu probatiſſima, ac receptiſſima Eccleſiæ Opinio.* Et * *Maldonatus*: "Conſtantiſſima ſemper fuit Chriſtianorum Opinio, *Eliam*, ante Diem Judicii, qui *terribilis & magnus* appellatur, reipſa eſſe venturum." Sermo fertur ex Traditione indeclinabiliter adveniens Eccleſiæ, *Enochum* cum *Eliâ* venturum eſſe. Ita † *Aretas*, juxta || *Petrum Alexandrinum*, eſt hæc ἡ τῆς Ἐκκλησίας Παράδοσις, *Eccleſiæ Traditio.* Hæc tamen Sententia à Traditionibus *Judaicis* Eccleſiæ derivata eſt; eamque non tantùm omni Scripturarum Teſtimonio deſtitutam, ſed etiam Chriſti ipſius verbis contrariam eſſe Annotationibus in *Matth.* 11. 14. probavimus.

* *In Matt.* 11. 14.

† *In Apoc.* 11. *p.* 942.

|| *In Chron.*

V. 5. *Qui convertet cor patris ad filium, & cor hominis ad proximum.*] i. e. Interprete *Theodoreto*, Cor *Judæorum* ad *Gentiles.* "Patres autem vocat *Judæos*, quòd priores vocati ſunt; Filios autem *Gentes*, quòd poſt eos ſalvi facti ſunt." *Hieronymus* verò ſic: "*Cor patris ad filium*; i. e. Cor Dei ad omnem qui Spiritum Adoptionis acceperit; *& cor filiorum ad patres eorum*, ut *Judæi* & *Chriſtiani*, qui nunc inter ſe diſcrepant, pari in Chriſtum Religione conſentiant." Suaviter demum * *Auguſtinus*, ut ſolet; "Cùm venerit, inquit, *Elias*, exponendo Legem ſpiritaliter, quam nunc *Judæi* carnaliter ſapiunt, convertet Cor Patris ad Filium; i. e. Cor Patrum ad Filios, ut etiam Filij ſic intelligant Legem, id eſt *Judæi*, quemadmodum Patres eorum intellexerunt, id eſt, *Prophetæ*, in quibus erat & ipſe *Moyſes*; ſic enim Cor Patrum convertetur ad Filios, cùm intelligentia Patrum perducetur ad intelligentiam Filiorum, & Cor Filiorum ad Patres eorum, dum in id, quod

* *De Civ. Dei, l.* 20. *c.* 29.

" ſenſerunt illi, conſentiunt & iſti." Ubi & *Septuaginta* dixerunt, *Et Cor Patris ad Proximum ſuum*, " Sunt enim inter ſe valdè proximi Pa-
" tres & Filij :" " Quanquam in verbis LXX.
" *Interpretum*, qui *propheticè* interpretati ſunt,
" poteſt ſenſus alius, idemque electior inveni-
" ri ; ut intelligatur *Helias*, *Cor Dei Patris con-*
" *verſurus ad Filium* ; non utique agendo ut Pa-
" ter diligat Filium, ſed docendo quod Pater
" diligit Filium ; & *Judæi* quem priùs ode-
" rant, diligant eundem, qui noſter eſt Chri-
" ſtus.

ACTUM

ACTUM est hactenus de Patrum Glossematis in quædam Veteris Testamenti Commata. Postulat Operis suscepti Ratio, & Institutum, ut jam aggrediar præ oculis Lectoris ponere eorundem Patrum Expositiones, seu potiùs Commenta, in quasdem novi Fœderis πεικοπάς.

Atque hìc fateor, quispiam, in scriptis antiquorum Patrum minùs versatus, frivola, absurda, & à verborum Scopo prorsus aliena, eo rariùs expectaret, quò novi Fœderis pleraque facilem intellectu, & perspicuum magis sensum exhibent. Verùm enimvero secus omnino se rem habere, ex iis quæ sequuntur, prudens Lector perspiciat. Ut enim incipiam à quatuor Evangeliis.

Quatuor esse tantùm Evangelia ab Ecclesiâ Catholicâ continuò recepta exploratum est. Nemo tamen satis mirari potest Rationes, quibus * *Irenæus* contendit nec plura esse potuisse, nec pauciora; sic enim se habent. " Quoni- * L. 3. c. 11.
" am Quatuor Regiones sunt Mundi in quo su-
" mus, καὶ τέσσαρα καθολικὰ πνεύματα, & Quatuor
" Venti generales, & disseminata est Ecclesia
" per omnem terram; Columna autem, & Fir-
" mamentum Ecclesiæ est Evangelium, καὶ πνεῦ-
" μα ζωῆς, & Flatus Vitæ, congruum est ha-
" bere eam quatuor Columnas undique flantes
" incorruptelam, & vivificantes Homines; ἐξ
" ὧν φανερὸν, ex quibus manifestum est, quoni-
" am

"am qui est omnium Sermo, qui sedit super *Cherubin*, & continet omnia, declaratus Hominibus, dedit nobis quadriforme Evangelium, quod uno Spiritu continetur." "*Quadrenarius Numerus semper in laude est*, inquit * *Hieronymus*; &, ob hanc causam, etiam Evangelia eo numero consecrata sunt. Hæc quatuor Evangelia multò ante prædicta *Ezekielis* quoque Volumen probat: Et *Apocalypsis Johannis*, quatuor animalia plena oculis videns, animal primum simile *Leoni*, secundum simile *Vitulo*, & tertium simile *Homini*, & quartum simile *Aquilæ volanti*: Quibus cunctis perspicuè ostenditur quatuor tantùm debere Evangelia suscipi." Similia vide apud *Irenæum*, loco jam laudato; unde obtinuit mos pingendi Evangelistas ad hunc modum.

*Præfat. in Matth. & F. 22. M.

Strictura Patrum in Novum Testamentum.

SECTIO PRIMA

Continens Annotata in Matthæum *ex Patribus collecta.*

CAP. I. Ver. 17. *A transmigratione Babylonis usque ad Christum quatuordecim Generationes.*] Illud inter Patrum quorundam Commenta primum meritò locum vendicat, quòd, cùm de quatuordecim Generationibus lis orta sit, eò quòd in tertiâ Tessaradecade tredecim tantùm recensentur, numerum augebant nonnulli μετοικεσίαν adnumerando: Teste his verbis *Theophylacto*, φασί τινες ὅτι καὶ τὴν μετοικεσίαν ὡς πρόσωπον τάξιν ἔσχεν ἔθηκεν, *Dicunt quidam Apostolum hìc transmigrationem personæ in loco posuisse.*

Cap. II. Ver. 11. *Obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.*] "Myrrham quidem, "inquit * *Irenæus*, quia ipse erat qui pro mortali humano genere moreretur, & sepeliretur; * L. 3. c. 10.

" Aurum verò, quoniam Rex cujus regni finis " non est; Thus autem, quoniam *Deus* qui no- " tus in *Judæâ* factus est." Ubi *Feuardentius* hæc adnotat: " Mirum in modum hæc mystica do- " norum intelligentia Patribus universis placu- " it, *Justino M. Origeni* (contra *Celsum*, l. 1. " p. 45, 46.), *Tertulliano* (adv. *Judæos*, l. 2. n. " 29.)" Pulcherrimè munerum Sacramenta * *Juvencus Presbyter* uno Versiculo comprehendit: *Thus, Aurum, Myrrham, Regique, Hominique, Deoque -- Dona ferunt.* Est tamen plus quàm verosimile, *Magos* de Christi Deitate, aut Morte, nè quidem per somnium cogitâsse.

* *Apud Hieron. in loc.*

Cap. III. 9. *Potest Deus ex lapidibus hisce suscitare filios Abrahæ.*] Per Lapides, veteres omnes, teste *Maldonato*, intelligunt *Gentiles*, quorum Dij ex Lapidibus sunt facti. " *Semen*, inquit * *Ire-* " *næus*, est Ecclesia, adoptionem, quæ est in " Deo, accipiens, sicut dicebat *Johannes*, *Quo-* " *niam potens est Deus ex lapidibus suscitare filios* " *Abrahæ.*" Et rursus: " † Quòd Deus, per " Filium suum *Jesum Christum*, à Lapidum Stru- " cturâ, in suam nos Agnitionem vocaverit, " probat; quia *Deus potest ex lapidibus suscitare* " *filios Abrahæ.*" *Origenes* in *Johannem*, Ed. Huet. p. 116. & *Hieronymus* in locum, dicunt *Gentes* hìc vocari Lapides, ob Cor lapideum. || *Irenæus* utramque Expositionem conjungit his verbis: " Hoc autem fecit Jesus, à Lapidum Religione " extrahens nos, & à nostris duris & infructuo- " sis cogitationibus extrahens nos." Hæc autem *Judæi* ita intelligere vix potuerunt, nisi Baptista *Gentiles* ibi præsentes digito notâsset.

* *L.5.c.32.*

† *L.3.c.9.*

|| *L.4.c.16.*

V. 11. *Cujus non sum dignus calceamenta portare*, Marc. 1. 7. Luc. 3. 16. Joh. 1. 27. *Solvere corrigiam calceamenti.*] " Hìc, inquit *Hierony-* " *mus*,

" *mus*, (i. e. in *Matthæo*) Humilitas, ibi (i. e. " in aliis Evangeliis) Mysterium demonstratur, " quòd Sponsus sit Christus, & *Johannes* non " mereatur Sponsi corrigiam solvere, nè voce- " tur domus ejus, juxta Legem *Mosis*, & Exem- " plum *Ruth, domus discalceati.*" *Cosmus*, in au- reâ catenâ, dicit, corrigiam illam, quam agno- scit *Johannes* se solvere non posse, *Conjunctionem divinæ atque humanæ naturæ esse. Theophylactus*; " Per Calceamenta, intelliges duos Christi De- " scensus, unum in terram, alium in infernum; " Calceamenta enim sunt pellicea Caro, & " Mors Christi. Hos igitur Descensus ferre " non potest Christi Prodromus, utpote non " intelligens quomodo facti essent." Hæc au- tem ab *Origene* didicisse videtur; cujus, post va- ria in hunc locum διαφόρους prolata, hæc sunt verba: Οἶμαι τοίνυν τὴν μὲν ἐνανθρώπησιν τὸ ἕτερον εἶναι τῶν ὑποδημάτων, τὴν δὲ εἰς Ἅιδου καταβασιν τὸ λοιπόν: " Existimo Christi incarnationem Cal- " ceamentorum esse unum; alterum verò, ejus " Descensum ad Inferos." *Ed. Huet. To.* II. *p.* 123, 124, 125.

Cap. V. 4. *Beati mites quoniam ipsi hæreditabunt terram.*] Notum est Patrum plerosque sub terræ nomine hìc cœlum intelligere. Sic enim solent interpretari verba *Psalmistæ*; *Spero videre bonita- tem Domini in terrâ viventium*, Psal. 27. 13. Sic illis solenne est, *cœlum terrâ*, juxta Proverbi- um, *miscere*, & uni falsæ interpretationi aliam adjicere. Est tamen magis absurda *Hilarij* hæc Glossa: " Mitibus terræ hæreditatem pollicetur, " id est, *Corporis*, quod ipse Dominus assumpsit, " *Habitaculum.*" Absurdissimum verò, quòd in his verbis, *Non potest Civitas abscondi*; &, " Civitatem, inquit, *Carnem* quam assumpserat, " nuncupat.

V. 18. *Unum Iota, & unus Apex non præteribit à Lege,* &c.] " Per Iota, & Apicem, inquit *Theophylactus*, quidam intelligunt τὰς δέκα τῶν " νόμων ἐντολὰς, *decem Legis mandata*, ἄλλοι δὲ " τὸν σταυρὸν, *alij autem Crucem.* Crucis enim lignum rectum signat Ἰῶτα, Apex verò transversum. Dicunt ergo, Ea quæ Crucem respiciunt complebuntur." *Hilarius* verò ita: " Ne minima quidem mandatorum Dei, nisi " cum piaculo, constituit esse solvenda: Minimum autem est omnium Domini Passio, & " Crucis Mors, quam si quis, tanquam erubescendam, non confitebitur, erit minus.

V. 24. *Ego autem dico vobis, ne jurate omnino,* &c.] Patres omnes, ad finem Quinti Seculi, in eo consentiebant, quòd Juramentum qualecunque esset Christianis prorsus illicitum.

* *Ap.* 2. p. 63. Cent. Secundâ. * *Justinus M.* " Ne autem " juremus omninò, sed semper vera loquamur: " Sic præcepit, μὴ ὀμόσητε ὅλως, *ne juretis omnino*; " *sed sit vestrum Est est, & Non non; quod verò* " *ultrâ additur, ex malo est.*" Domini Doctrina, † *L.*2.*c.*56. " inquit † *Irenæus*, non solùm non perjurare, ‖ *Pædag.l.*3. *c.*11.*p.*255. " sed nec jurare præcepit." ‖ *Clementis Alex.* monita sic se habent: " Juramentum in omni" bus culpandum, à Venditore absit; ἀπέστω δὲ " καὶ παρ' ἄλλων ὁ ὅρκος, absit etiam in aliis; *Non* " (enim) *assumes nomen Domini in vano.*" Et * *Strom.* 5. *p.* 596. * rursus: " Τῇ περὶ τοῦ ὀμόσαι ἀπαγορεύσει, *prohibi*" *tioni Juramenti* concinit illud *Platonis*, Juramen" tum *absit de re quâlibet.*" Hinc [a] *Basilides*, rogantibus Commilitonibus suis, ut Rem Juramento confirmaret, respondet, μὴ ἐξεῖναι αὐτῷ παράπαν ὀμνύναι, *Nefas sibi esse omninò jurare, Christianus cum esset.*

---

a Euseb. Eccl. Hist. l. 6. c. 5. p. 207.

Cent

Cent. Tertiâ. " Taceo de Perjurio, inquit " * *Septimius*, quando ne jurare quidem liceat." " Manifestò, juxta † *Origenem*, Christus supe- " riùs vetuit omnino jurare." Et rursus: || Exi- " stimo, quòd non oportet ut Vir, qui vult se- " cundum Evangelium vivere, adjuret alterum. " Simile enim est quod dicit Evangelio Domi- " nus, *Ipse ego autem dico, non jurate omnino.* Si " enim jurare non licet, quantum ad Evange- " licum Christi mandatum, verum quòd nec " adjurare alterum licet." Inter Præcepta Dominica, *Non jurandum* ponit * *Cyprianus* ex hoc loco. Et [b] inter Beneficia Mortis hæc enumerat, libertatem ab his vitiis: " Cogeris maledi- " cere, quod divina Lex prohibet; compelleris " jurare, quod non licet.

* *De Idol.* c. 11. † *Ho.* 25. *in Matth. F.* 47. *H.* || *Ho.* 35. *F.* 28. *B.*

* *Test. l.* 3. *n.* 12.

Cent. Quartâ. [c] *Eusebius*, in Personâ Christi, sic loquitur: " *Moses quidem dixit, non peje-* " *rabis*; *ego autem dico vobis, non jurare omnino.* Et rursus; [d] Christianos dicit à Christo didicisse *non omnino jurare.* [e] *Basilius*, in hæc *Psalmistæ* verba, *Qui jurat Proximo suo*, &c. " Hìc, in- " quit, Juramentum admittere ἐν τοῖς ἀ τῷ τελείῳ " πρέπουσιν, inter ea quæ Virum perfectum decent, " in Evangelio παντελῶς ἀπαγορεύεται, *omnino* " *prohibetur.* Hìc dictum est, *Qui jurat Proximo,* " *& non decipit eum*; illìc verò, *Ego dico vobis,* " *ne juretis omnino.*" In [f] Epistolâ ad *Amphilochium*, " ἅπας δὲ ὁ ὅρκος ἀπαγορεύεται, Juramentum, " inquit, prorsus prohibetur." A Juramento

[b] De Mortal. *Edit. Oxon.* p. 157.
[c] Demonst. Evang. l. 1. c. 6. p. 23.
[d] Præp. Evang. l. 1. c. 4. p. 12.
[e] To. 1. p. 132.
[f] To. 3. Can. 29. p. 91.

astinuit [g] *Gregorius Thaumaturgus*, ob Mandatum Domini, *Ne juretis omnino.* [h] *Greg. Nazianzenus* dicit, *Juramentum solis Christianis esse prohibitum.* [i] *Epiphanius* tradit, " Dominum primùm statu-
" isse, *non esse jurandum penitus*, ne per Dominum
" quidem ipsum, nec aliud Jurisjurandi genus;
" [k] *est enim à malo jurare.*" Utque culpam & peccati sordes vitemus, necessarium pronuntiat, *non omninò, verè, aut falsò, jurare.*

Cent. Quintâ. *Chromatius*, in locum, hæc habet: " In Lege Præceptum est, *non esse peje-*
" *randum*; in Evangelio verò, *nec jurandum.*"
" *Judæi*, inquit * *Hieronymus*, permittebantur
" *jurare in Deum*; non quòd rectè hoc facerent,
" sed quòd melius esset id Deo exhibere, quàm
" Dæmonibus; *Evangelica* autem *Veritas* non re-
" cipit Juramentum." Author Operis imperfecti in *Matthæum* Clericos, qui jurantibus Evangelium porrigebant, sic alloquitur. " Si esset
" benè jurare justum, justè dicebatis, quia de-
" dimus illis *Evangelium*, ut jurent, non ut per-
" jurent; nunc autem, cum sciatis quia & be-
" nè jurare Peccatum est, quomodo potestis esse
" liberi, qui occasionem datis peccandi in De-
" um?" Juxta [l] *Salvianum*, " jussit Salvator no-
" ster ut Christiani Homines non jurarent;
" plures autem invenias, qui sæpiùs pejerent
" quàm qui omnino non jurent." " Inveni-
" mus, inquit * *Theodoretus*, in Evangelio, eum
" qui Fratrem appellaverit Stultum, Gehenna

* *In loc.*

* *Qu.* 37. *in* Gen.

---

[g] Ep. 63. p. 97.
[h] Σπλιτ. p. 97.
[i] Hær. 19. n. 6. p. 44.
[k] Hær. 59. n. 1. p. 449.
[l] De Gubern. Dei, l. 2. p. 80.

" dig

" dignum esse; & eum qui jurat, quanquam in
" Veritate juraverit, Diaboli socium fieri: Ve-
" tus enim Testamentum Falsiloquium prohi-
" bet, Novum autem Juramentum." Denique,
" [m] Salvator, inquit, noster, Leges statuens,
" *Juramenta ipsa prohibet.*" " Si nostri Gregis
" es, inquit * *Isidorus Peluſiota*, Christi voci ob- * *L.* 1. *Ep.*
" tempera, τὸ μὴ ὀμνύναι ὅλως κελεύοντος, *jubentis* 155.
" *non omnino jurare.*" Agmen ducat *Chryſostomus*, in hâc re omnium locupletissimus, & sæpius ingeminans *Juramentum ex Diabolo esse*; nempe Commentario in hunc locum; Statuarum Hom. c. 9. To. 6. p. 591. & Hom. 15. p. 555. His autem non obstantibus, *Ecclesiæ Anglicanæ Articulus* 39. rectè asserit, " Christianam Religionem minimè
" prohibere, quin, jubente Magistratu, in Cau-
" sâ Fidei & Charitatis jurare liceat.

Cap. VI. 11. *Panem nostrum quotidianum*, τὸν ἐπιούσιον, *da nobis hodie.*] Sententiam eorum, qui Christum de Pane corpus nutriente loqui existimant, Ψευδοδοξίαν fallam * *Origenes* pronuntiat. *Spiritualiter potiùs intelligamus*, inquit † *Septimius*; *Christus enim Panis noster est*----- *& Corpus ejus in Pane censetur.* Utrumque sensum admittit || *Cyprianus*, sed spiritualem prætulisse videtur, dicendo, " *Hunc Panem dari nobis quoti-*
" *die* petimus, ne, qui in Christo sumus, & Eu-
" charistiam quotidie in cibum Salutis accipi-
" mus, interveniente aliquo graviori delicto,
" dum abstenti, & non communicantes, à cœ-
" lesti Pane, id est, à Corpore Christi prohibe-
" mur." Juxta [n] *Ambrosium*, " Non iste Panis
" est qui vadit in Corpus, sed ille Panis Vitæ
" æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit."

* Περὶ εὐχῆς, p. 86.
† *De Orat.* c. 6.
|| *De Orat. Dom.* p. 47.

---

[m] Contra Græcos, Orat. 9. p. 621.
[n] De Sacrament. l. 5. c. 4.

" Panem illum petimus, inquit hìc *Hieronymus*, " qui dicit, *Ego sum Panis vivus, qui de Cælo de-* " *scendi:* Absit quippe ut nos, qui in crastinum " cogitare prohibemur, de Pane illo, qui post " paululum concoquendus & abjiciendus in se- " cessum, in Prece dominicâ rogare jubeamur." Hunc Panem *Sacramentum Fidelium* vocat [o] *Augustinus*. *Cyrillus Alex.* de Pane spirituali intelligendum esse probat; " quia jubemur nihil car- " nale petere, θεῖα δὲ πάντα καὶ πνευματικά, *sed* " *tantùm spiritualia & divina.*" *Origenes*, ubi suprà; περὶ τρεφόντων τὴν ψυχὴν λόγων τῦ Θεῦ, de Verbo Dei animam nutriente explicat. *Athanasius*, denique, asserit Christum de *Spiritu Sancto* loqui, his verbis: " Alibi Spiritum Sanctum " Panem quotidianum appellare nos docuit, di- " cens, *Panem quotidianum da nobis hodie*, ut pos- " ceremus in Precibus nostris Panem illum, cu- " jus Primitias habemus in hâc Vitâ, Carnis do- " minicæ Participatione." Tria tamen obstant, quo minùs hunc verborum Christi sensum amplectamur. 1. Quòd Sacramentum Eucharistiæ nondum institutum esset, nec de eo quicquam sciebant *Apostoli*, quibus hæc orandi formula præscribitur. 2. Quòd juxta hunc sensum, Christiani omnes obligati essent Dominici Corporis Sacramentum quotidie accipere, quod certè non est necessarium. 3. Quòd Panem spiritualem haud dubio postulamus in prioribus Petitionibus, utpote necessarium, ut Deum rectè honoremus, ut Voluntatem ejus præstemus, utque nobis Regnum Dei adveniat,

---

[o] Ep. 121. ad Prob. c. 11.

Ibid.

Ibid. V. 26. *Respicite volatilia Cœli.*] "Sunt "quidam, inquit *Hieronymus* in locum, volati- "lia Cœli *Angelos* esse dicentes, cæteraſque in "Dei Ministerio Fortitudines quæ, absque cu- "râ, Dei sui aluntur Providentiâ." *Hilarius* verò immundos Spiritus intelligit; utque ad immundos istud Spiritus referri oportere monstraret, adjecit, "*Nonne vos magis plures estis istis*, "de Comparationis Præstantiâ, Discrimen Ne- "quitiæ & Sanctitatis ostendens.

Cap. VIII. 20. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos; Filius autem Hominis non habet ubi caput reclinet.*] *Hieronymo* Interprete, "Scri- "ba non habet Locum, ubi Christus reclinet "Caput suum." *Theophylactus* dicit, "Quos- "dam, per Vulpes & Volucres aëris, Dæmonas "intelligere; hunc itaque sensum exhibent: "Dæmones in te requiescunt; ego igitur non "habeo in animâ tuâ requiem." *Hilarius*, "Volucres Cœli, inquit, sæpenumero *immundos* "*Spiritus* cognominari didicimus: Dei ergo Fi- "lius, Paucitatem sequentium contuens, & Ju- "risperiti Diffidentiam, exprobrat iis quòd ef- "fecti sint Habitatio Dæmonum: Filius autem "Hominis,---cui Caput Deus est, non reperire "in quos, collocatâ Dei cognitione, requies- "cat; quia non erat spiritualis auditor, non "habet locum, ubi Christus posset reclinare "Caput suum." [p] *Origenis* in hunc locum Sententia sic se habet: "Ad *Bethaniam* venit, Obe- "dientiæ locum, i. e. Ecclesiam, ubi requievit; "quoniam *Hierosolymæ* non habuit, ubi Caput "inclinaret, Principibus, Sacerdotibus, & Scri- "bis eam incolentibus." Lepidè demum [q] *Augu-*

[p] To. 1, in Matth. *Ed. Huet.* p. 446.

[q] To. 9, Serm. 7. de Verbis Domini, p. 26.

stinus:

ſtinus : " Non habet, ubi Caput inclinaret: " Sed ubi non habet? In Fide tuâ. Vulpes " enim Foveas habent in Corde tuo, quia dolo- " ſus es ; Volatilia Cœli habent Nidos in Cor- " de tuo, elatus es ; doloſus, & elatus ; me non * *Strom.* 1. p. 280. " ſequeris." * *Clemens Alex.* his verbis : " Hoc " utique innuit Vox illa ſalutaris , *Vulpes foveas* " *habent* ; *Filius autem hominis non habet ubi ca-* " *put reclinet.* Super enim ſolo fideli , ab aliis " quos S. Scriptura beſtias appellat perfectè ſe- " parato, requieſcet Rerum omnium Caput be- " nignum, & manſuetum Verbum.

Cap. XI. 2. *Tu es qui venturus es ; an alium expectamus ?*] Patres haud pauci docuerunt, *Johannem B.* hìc quærere , non utrùm Chriſtus *Meſſias* eſſet ; ſed an ipſe moriturus , ad Inferos deſcenſurus eſſet. " In hanc Sententiam, inquit " *Maldonatus*, meliori nondum inventâ, maxima " Pars veterum Auctorum conceſſerunt. Hoc quidem innuit [r] *Chryſoſtomus*, dicens, Hunc locum quoſdam ita exponere , *Tùne es ad Inferos deſcen- ſurus ?* [s] *Ruffinus* hunc ſenſum *indubium* pronun- tiat , his verbis : " Sed & *Johannes* dicit , *Tu es* " *qui venturus es* ; in Infernum ſine dubio." E- undem amplectitur *Hieronymus* in locum, dicen- do , " Non ait, *Tu es, qui veniſti* ; ſed , *Tu es,* " *qui venturus es* ; & eſt Senſus, *Manda mihi, ad* " *Inferos enim deſcenſurus ſum ; utrùm te & Inferis* " *denunciare debeam, qui ſuperis nunciavi ?*" Vide † *P.* 369. plures apud *Maldonatum.* † *Greg. Nazianz.* Ora- tione funebri in *Baſilium :* " Quis, inquit, Præ- " curſor *Jeſu ? Johannes.* Ante quem & in Ven- " tre exiliit, & *Herodis* furore ad Inferos miſſus

---

[r] Ho. 37. in *Matth.* p. 247.

[s] Apud Hieron. To. 4. F. 49. M.

" ſit,

" sit, ut illic etiam venturum prædicaret." His omnibus viam præstruxit [t] *Origenes*, his verbis : " Ne timeas dicere, quòd ad Inferos descende-" bat, prænuncians Dominum, ut Illum de-" scensurum prædiceret : Propterea, cùm in " Custodiâ esset, ac Sibi exitum imminere con-" spiceret, missis duobus Discipulis, quærebat, " *Tu es venturus?*" *Chrysostomus* tamen hunc sensum rejicit ; eumque *Theophylactus* ἄτοπον, *absurdum* pronuntiat.

V. 11. *Qui minor est in regno Cœlorum, major est illo.*] " Multi, inquit hic *Hieronymus*, " de Salvatore hoc intelligi volunt ; quòd, qui " minor est Tempore, major sit Dignitate." *Hilarius* sic : " Minor Eo est, Qui interrogatur, " Cui non creditur, Cui Testimonium nec O-" pera sua præstant." *Chrysostomus* pariter, & *Theophylactus* in locum : " Ego, qui minor sum " Ætate, & vestrâ Opinione, major Eo sum in " Regno Cœlorum ; id est, in Bonis Spiritua-" libus, & Cœlestibus." " Alij, inquit *Chryso-" stomus*, dicunt Christum loqui de *Angelis*." *Hieronymus* : " Quidam novissimum Angelum " ministrantem in Cœlis Domino meliorem " volunt accipere quolibet primo Homine qui " versetur in terris." Quem sensum amplecti-tur [v] *Augustinus*. Ipse, denique, *Hieronymus* sic : " Omnis Sanctus qui jam cum Deo est major " sit Illo, qui adhuc consistit in Prælio.

V. 14. *Si vultis recipere, ille* (nimirum *Johannes*, v. 13.) *est Elias Ille qui venturus erat.*] Obtinuisse in Ecclesiâ Traditionem, à *Judæis* receptam, de *Eliæ* personali adventu, ante Christi ad finale Judicium παρουσίαν, quam Patres se-

---

[t] Com. in Libr. Reg. *Ed. Huet.* To. 1. p. 34.

[v] Lib. 2. contr. Adversar. c. 5.

rè

re omnes ſequebantur, agnoſcimus; eam tamen omni Scripturarum Teſtimonio non tantùm deſtitutam eſſe, ſed etiam Chriſti Teſtimonio contrariam, ex his & aliis Chriſti de *Baptiſtâ* verbis perſpicuum eſt. Objiciunt quidem Patres, quòd, poſt *Johannem* decollatum, venturum alium eſſe dicit Chriſtus; adeòque loqui eum de *Eliâ* poſt *Johannem* venturo neceſſe eſſe. [x] Ita *Juſtinus M.* "Dominus noſter hoc ipſum in Doctri-" nis quoque ſuis futurum tradidit, cum dixit, " *Eliam venturum eſſe.*"

Reſpondeo autem, Primò, Chriſtum non loqui, Matth. xvij. 11. de *Eliâ* in futuro, ſed in præſenti, Ηλίας μὲν ἔρχεται, *Elias quidem* venit. Secundò, Chriſtus diſertim, commate ſequenti, de eodem *Eliâ* de quo Scribæ dicebant, *Eliam oportet venire primùm*, dicere ἤδη ἦλθε, eum jam veniſſe; nec tamen ab iis pro *Eliâ* agnitum eſſe, ſed malis oneratum; quod de *Baptiſtâ* ſolo dici potuit. Tertiò, Cùm commate duodecimo dixiſſet, *Lex & Prophetæ prophetârunt uſque ad Johannem*, continuò ſubjungit, v. 13. *Hic* (ſc. Johannes) *eſt Elias iſte qui venturus erat.* Et poſt hæc verba, *Elias jam venit*, cap. xvij. 11. intellexerunt Diſcipuli ejus quòd locutus eſſet de *Johanne B.* Hunc igitur ſenſum verba Chriſti cap. xvij. poſtulant: Verum eſt id quod *Scribæ* ex *Malachiæ* verbis colligebant, *Eliam* ante *Meſſiam* venturum eſſe; nec minùs verum eſt, *Johannem*, qui jam venit, eſſe ipſiſſimum *Eliam*, de quo *Malachias*, tanquam futuro, mentionem fecit. Certum eſt denique hæc omnia de primo adventu Chriſti dicta eſſe; atque adeò Patres tam contra

---

[x] Dial. cum Tryph. p. 268.

Chriſti,

Christi, quam *Malachiæ* mentem, hæc ad secundum ipsius adventum retulisse.

Cap. XVI. 13. *Quem dicunt homines esse Filium hominis?*] Frivolum hìc est illud *Hieronymi*: " Pulchre interrogat, Quem dicunt homines,&c. " quia qui de Filio hominis loquuntur, homines " sunt; qui verò Divinitatem ejus agnoscunt, " non homines, sed Dii appellantur." Et tamen, quantum ei placuit hæc nota, sequentia ostendunt, viz. " Prudens Lector, attende, quòd " ex consequentibus, textúque Sermonis, nequa- " quam homines, sed Dii appellantur." Vide reliqua.

V. 23. *Vade post me Satana, scandalum tu mihi es.*] [y] *Origenes*, Homiliâ in *Matthæum*, dicit, multis hæc verba scandalum præbuisse, ut quibus ἐ κατὰ τὸ ἔυλογον, non consentaneum Rationi visum est, eundem convitiis hìc onerari, qui paulò antè beatus sit prædicatus. Atque hoc Originem dedisse παρερμηνείᾳ horum verborum, ex his *Hilarii* verbis discamus: " Sciens Dominus dia- " bolicæ artis instinctum, *Petro* ait, *Vade retrò* " *post me*; id est, ut exemplo Passionis se sequa- " tur; in eum verò, per quem Opinio hæc sug- " gerebatur, conversus, adjecit, *Satana, scanda-* " *lum mihi es*: Non enim convenit existimare " *Petro* Scandali nomen, & Offensionem depu- " tare, post illa indultæ Beatitudinis, & Potesta- " tis tanta Præconia." Multi putant, teste * *Hieronymo*, quòd non *Petrus* correctus est, sed *Adversarius Spiritus*, qui hæc dicere *Apostolum* suggerebat. Quibus accedere videtur ipse *Hieronymus*, dicendo, quòd " *Vade retro me, Satana*, Diabolo " dicitur; *Petrus* audit, *Vade retro me*, hoc est,

* *In loc.*

---

[y] To. 1. *Ed. Huet.* p. 209.

" seque-

" ſequere Sententiam meam, qui non ſapis quæ " Dei ſunt. Non, ut plerique putant, eàdem " *Satanas*, & Apoſtolus *Petrus* ſententiâ condem- " natur : *Petro* enim dicitur, *Vade retro me, Sa-* " *tana* ; id eſt, ſequere me, qui contrarius Vo- " luntati meæ es : hic verò audit, *Vade, Satana* ; " & non ei dicitur, *retro me*, ut ſubaudiatur, " vade in Ignem æternum." [y] *Origenes* pariter : " Conſidera, inquit, differentiam Verbi ; quo- " niam ad *Petrum* quidem dixit, *Vade retro me,* " *Satana* ; ad Diabolum autem, *Vade, Satana,* " ſine additamento, *poſt me* ; nam ire poſt *Je-* " *ſum*, bonum eſt." Et rurſus : " [z] *Petri* Pro- " poſitum quidem probans, Inſcitiam autem " reprehendens, διὰ μὲν τὴν προθεσιν δεξίαν ἔσαν, " ob rectum Propoſitum, dicit, *Vade poſt me* ; " quaſi ut *Jeſum* ſequeretur, miſsâ inſcitiâ, man- " dans." Denique hæc *Petrum* dixiſſe vult, * ὑπό τινος κινέμενον πνεύματος, à Spiritu quodam nondum in ligno triumphato motum ; nemo enim, inquit, poteſt Scandalum in *Jeſu* pati, ſine Diaboli ſcandalizantis Operatione. *Theophylacti* denique Scholion ſic ſe habet : " Sequere ſine Re- " pugnantiâ Voluntatem meam." Sed, hoc loco, inquit *Maldonatus*, dubium non eſt, quin Oratio ſit faceſſere jubentis.

* P. 299.

Cap. XVII. 19. *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, diceretis monti huic, tranſi hinc, & tranſibit.*] Inſolens multis videtur, quòd *Origenes*, *Hilarius*, & *Hieronymus*, hic Montem pro Dæmone accipiunt : Eſt autem multo inſolentius illud *Hilarii* Commentum ; " Quòd Se " Chriſtus Granum Sinapis nuncupavit, omni-

[y] Ho. 1. in Matth. F. 4. A.

[z] To. 1. in Matth. *Ed. Huet.* p. 283.

" um

" um minimum ; *Diabolum* verò Montem cog-
" nominavit, quia in Illo ſpirituales Nequitiæ
" ſunt.

Cap. XVIII. 2. *Parvulum ſtatuit in medio eorum.*] i. e. juxta *Hieronymum*, " vel Parvulum " ſimpliciter, vel certè Parvulum ſtatuit in me-" dio eorum Seipſum, qui non miniſtrari, ſed " miniſtrare venerat, ut eis Humilitatis tribueret " Exemplum." Alij Parvulum interpretantur *Spiritum Sanctum*, quem poſuerit in Cordibus Diſcipulorum, ut Superbiam in Humilitatem mutaret. Melius eſt, & notatu digniſſimum, quod plerique cum *Hieronymo* dicunt, non præcipi *Apoſtolis* ut Ætatem habeant Parvulorum, ſed Innocentiam ; & quod Illi per Annos poſſident, Hi poſſideant per Induſtriam ; ut Malitiâ, non Sapientiâ, Parvuli ſint. Parvuli enim, juxta * *Hieronymum*, immaculati ſunt, quia integro Corpore nullum fecere Peccatum ; non tamen Sancti, quia Sanctitas voluntate & ſtudio comparatur. Vide in hanc Sententiam productos *Barnabam*, *Hermam*, *Theophilum*, *Titum Boſtrenſem*, *Antiochum*, Tractatu de Peccati Originalis Reatu, c. 4. n. 10. p. 59. Quibus adde [a] *Clementem Alexand.* dicentem, Chriſtum hìc non allegoricè ſignificare Regenerationem, ſed quæ in Pueris eſt Simplicitatem, ut ejus Similitudinem referamus, commendans, mentis Innocentiam in Hominibus præferens, dicens tenerorum à Peccato Immunitatem & Innocentiam Deo acceptam eſſe. Jubet Chriſtianos D. *Paulus*, *malitiâ parvulos eſſe*, 1 Cor. 14. 20. Hoc eſt, ex *Theodoreti*, *Oecumenij*, & *Theophylacti* Sententiâ, eorum zelare τὴν ἀκακίαν, *Innocentiam*, eſſe ὥσπερ νήπιοι ἀκακοι, Parvulorum inſtar *à malitiâ puros*. *Theophylactus*

* *In Epheſ. F. 90. D.*

---

[a] Pædag. l. 1. c. 5. p. 85, 86.

in

in locum dicit, " Oportet nos Pueros esse, non " ut Ratione, sed ut Malitiâ simus Liberi." Et in *Marci* Cap. 10. 14. " Monstrat se à Malitiâ " puros recipere ; *talium*, inquit, *est Regnum Cœ-* " *lorum*, habentium eam ab exercitio à Malitiâ " Immunitatem, quam Parvuli à Naturâ habent. Ex quibus liquidò constat, Patres hosce ab eâ Sententiâ alienos fuisse, quæ Parvulos omnes Iræ divinæ Naturâ Filios constituit, omnique habituali Malitiâ plenos.

Cap. XVIII. v. 20. *Ubi duo aut tres congregantur in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*] " Quinam, inquit [b] *Clemens Alex.* sunt Illi duo " aut tres? Annon Virum, Mulierem, & Filium, tres dicit, quoniam Mulier Viro à Deo " conjungitur? Fuerint quoque aliter tres, *ira*, " *cupiditas & ratio* ; *Caro* itidem, & *Anima*, & " *Spiritus*. Qui ergo Animæ secundùm patientiam utitur operationibus, desiderans tantùm " ea quæ sunt convenientia, qui finis judicio " unus sit, & verè Spiritualis ; quæ ex irâ & cupiditate procedunt cogitationes omnino non " admittens ; est homo perfectus : Ita duo aut " tres in idem congregantur, in hominem scilicet cognitione præditum ". Huic expositioni congruit illud * *Hieronymi* ; " Possumus & hoc " spiritualiter intelligere, quod ubi Spiritus, & " Anima, & Corpus consenserint, & non inter " se bellum diversarum habuerint voluntatum, " Carne concupiscente adversùs Spiritum, & " Spiritu adversùs Carnem, de omni re quam " petierint, impetrent à Patre, nullique dubium " quin bonarum rerum Postulatio sit, ubi Corpus ea vult habere quæ Spiritus." *Clementem*,

* *In Loc.*

[b] Stro. 3. p. 354, 355.

ni fallor, quem κατὰ πόδας hìc ſequitur * *Origenes*, intelligit his verbis, " Nunc autem aliam expo- " ſitionem aggrediamur, quam ante nos quiſpi- " am protulit : Duos hos, inquit, quos conſen- " tire in terrâ vult verbum, Uxorem & Mari- " tum eſſe, ex conſenſu ſe corporeo congreſſu " fraudantes, ut vacent Orationi, quando ſcili- " cet orantes de omni re quâcunque petierint, " impetrabunt ". Pergit ad hunc modum † O- " *rigenes*, " Οἶδα δὲ ἄλλην ἐξήγησιν, novi autem ali- " am Expoſitionem de Duorum conſenſu, Duo- " rum nempe conſenſus in Terris efficitur, Σώ- " ματος καὶ Πνεύματος, Corporis & Spiritûs, à " cujus Corde, jam Virtute prædito, conſona " emittitur Oratio credentis ad Juſtitiam ". Denique, hæc intelligi poſſe dicit *de Duobus Teſtamentis*, illius qui corporeum Domini Adventum præceſſit, & novi ; quæ ita conſentiunt, ut nihil in iis diſſonum inveniatur. *Theophylactus*, " hæc, inquit, intelliges de Carne, & Spiritu, " de Ratione, Irâ, & Cupiditate, & de duobus " Teſtamentis ". || *Ambroſius* denique dicit, " Pleroſque hoc intelligere de Carne, Animâ, " & Spiritu ; alios de Animâ & Spiritu ; alios " de Animâ & Copore ". Et rurſus ; " Pleri- " que autem Virum & Uxorem conſentientes ſi- " bi ſtudio Charitatis accipiunt ; licèt plerique " duos Populos accipiant, ex Iſrael & Gentibus " in unum Reſurrectionis tempore colligen- " dos". Plures vide apud *Maldonatum* in locum.

* *In Matth.* p. 339.

† P. 340.

|| *In Luc.* p. 118.

Cap. XX. 29. *Ecce duo cæci ſedentes ſecus Viam.*] " Secus Viam, inquit *Hieronymus*, quia " videbantur quidem Legis habere Notitiam, " ſed Viam, quæ Chriſtus eſt, ignorabant ; quos " plerique *Phariſæos* intelligunt, & *Sadducæos* ; " alii verò utrumque Populum, & Veteris Te- " ſtamenti, & Novi ; quòd alter Scriptam Le-

" gem, alter Naturalem ſequens, ſine Chriſto " cæcus erat ". Cæci duo, juxta *Hilarium*, ſunt Populi Gentium duo ex *Cham* & *Japhet* procreati. Juxta * *Origenem*, Iſraelem & Judæos ſignificant, ante Chriſti adventum cæcos, verùm ſedentes ſecus Viam, quòd in Lege & *Prophetis* converſarentur; cæcos verò, quòd, ante Chriſti adventum in ipſorum animas, veros in Lege & *Prophetis* comprehenſos ſenſus minimè intuerentur. Denique, ſecundum *Auguſtinum*, *Matthæi* cæci duos Populos ſignificare videntur è *Judæis* & *Gentibus*. Qu. Evangel. l. 2. c. 48.

*In Matth. p. 425.

Cap. XXII. 39. *Diliges Proximum tuum ſicut Teipſum.*] Inſulſius nihil eſt, quàm *Hilarij* in hunc locum Commentum, " De Proximo frequenter monuimus, non alium intelligendum " quàm *Chriſtum*. Cùm enim Patrem, Matrem, " & Filios Charitati Dei præponere prohibeamur; quomodo Dilectio Proximi diligendi " Dei ſimile mandatum eſt? Aut relinquetur " aliquid quod amori Dei debet æquari? Niſi " quia Similitudo præcepti parem Charitatem " diligendi Patrem & Filium exigat ".

Cap. XXIV. 28. *Ubicunque eſt Cadaver, illic congregabuntur & Aquilæ.*] Exiſtimat † *Irenæus* hæc verba Chriſtum protuliſſe, " Ut doceat ſe " Diſcipulos ejus Gloriæ ſuæ Compotes facturum; dixit enim, Volo ut, ubi ego ſum, ibi " & hi ſint, ut videant Claritatem meam; non " vanè glorians ſuper hoc, ſed Gloriam ſuam " participari volens Diſcipulis ſuis; de quibus " *Eſaias* ait, *Ab oriente Abraham Semen tuum* ". Hæc ideo, quoniam [c] *ubicunque Cadaver eſt, illic congregabuntur & Aquilæ participantes Gloriæ Domini.* *Origene* interprete, " Ubicunque fuerit quod

† *L. 4. c. 28. F. 316.*

[c] Ho. 30. in. Matth. Fol. 59. F.

" eſt

" est secundum Dispensationem Passionis ejus " Cadaver ejus; qui ideo cecidit, ut erigat eos " qui ceciderunt, illic congregabuntur non " qualescunque (non Vultures & Corvi,) sed " Aquilæ, Discipuli, ; volens ostendere Magnificos, & Regales esse omnes qui in Passionem " Domini crediderint". " Sanctos de volatu Spiritualis corporis Aquilas nuncupavit, inquit " || *Hilarius*, quorum congregantibus Angelis || *Can.* 25. " conventum futurum in loco Passionis ostendit". *Chrysostomus* hæc de secundo Christi Adventu intelligit, ad quem confluent Aquilæ, i. e. *Multitudo Angelorum, Martyrum, & omnium Sanctorum.* Juxta *Theophylactum*, Πτῶμα δὲ πανταχοῦ ὁ Χριστὸς, Cadaver est omnino Christus, *Aquilæ* autem omnes Sancti. Denique, [d] *Gregorius* secundus, " Christus est Cadaver, Aquilæ verò " homines pij, & Christum amantes.

Cap. XXVI. 37, 38. *Cæpit contristari, & dixit, Anima mea est tristis, usq; ad Mortem.*] Quoniam *Hæretici* quidam, notante hìc *Hieronymo*, metum hunc Christo tanquam Pusillanimitatis indicium objiciebant, hinc Patres quidam negabant veram in Christo fuisse Tristitiam. *Hilarius* eos omnes, qui sentiunt Christum ex Passionis metu, aut ex patiendi Infirmitate, hæc verba emisisse, & non in Naturâ impassibilis Dei fuisse, impios pronunciat; & contra eos demonstrare nititur, nec metu patiendi de se infirmitatem aliquam in eum incidisse, nec dolendi: de Trin. l. 10. p. 238. in Psalm. 68. p. 877. 838. & hìc Can. 31. p. 621, 622. Alij non ob Timorem, sed alias ob Causas, contristatum tunc Dominum fuisse censent. " Contristatur, inquit " [e] *Hieronymus*, non ob Timorem patiendi, qui

[d] Concil. Nicæn. 2. Concil. To. 7. p. 12.
[e] In Matth. F. 36. L.

" ad hoc venerat ut pateretur, & *Petrum* Timi-
" ditatis arguerat ; ſed propter infeliciſſimum
" *Judam*, & ſcandalum omnium Apoſtolorum,
" & rejectionem populi Judæorum, & everſio-
" nem miſeræ *Hieruſalem*" ; rejiciens eos tan-
quam *Hæreticos*, qui hanc Animi Chriſti Triſtitiam, non Affectum Salvatoris erga perituros, ſed Paſſionem interpretantur. " Doles, Domine,
" inquit [f] *Ambroſius*, non tua, ſed mea Vulne-
" ra, non tuam Mortem, ſed noſtram Infirmi-
" tatem, & nos æſtimavimus te eſſe in Dolori-
" bus, cùm Tu non pro Te, ſed pro me dole-
" res. — Nec illud diſtat à vero, ſi triſtis erat
" pro perſecutoribus ſuis, quos ſciebat immanis
" Sacrilegii pœnas daturos". " Qui, inquit
" [g] *Epiphanius*, de Morte ſuâ prædixerat, qui hâc
" de Cauſa in Mundum venerat, ἐκ ἠδύνατο ἐυξ-
" ασθαι παρελθεῖν τὸ ποτήριον, ut â ſe calix ille præte-
" riret, orare non potuit". Dicit igitur, Chriſtum Adverſarium provocâſſe ad Mortem ſibi infligendam, eo quòd hinc Salvatorem mortem metuere ſibi perſuaſiſſet. Antiquam fuiſſe hanc Sententiam, & non ab *Arianorum*, ſed potiùs *Ethnicorum* improperio natam indicat [h] *Origenes*. Celſo etenim interroganti cur Chriſtus timuit, & doluit, precabatúrque ut tranſeat Calix hic,
" Non me latet, inquit *Origenes*, Interpretatio
" hujuſmodi, quòd videns Chriſtus qualia Popu-
" lus & Jeruſalem paterentur, in vindictam per-
" petrati contra ſe ſceleris à Judæis, propter Be-
" nevolentiam quâ Populum illum proſequeba-
" tur, dixit, *Tranſeat hic Calix*; ac ſi diceret,
" Quandoquidem propter epotum à me hunc

---

f In Lucam, l. 10. p. 152, 153.
g Anchorat. n. 34. p. 40.
h Contra Celſum, l. 2. p. 77.

" Supplicij calicem tota Gens à Te deferetur,
" precor, si fieri potest, ut transeat à me Calix
" hic ". Idem repetit Hom. 35. in Matth. F. 78. E. Plura qui legere vellet, adeat *Origenem* de Martyrio, p. 190, 191. & notas *Whistonij* in locum.

V. 52. *Omnes qui acceperint Gladium, Gladio peribunt.*] Hinc negat [i] *Septimius* Christiano licere judiciarium ullum munus exercere, bello interesse, aut ad militiam manus dare. " An ser-
" vus Dei, inquit, alicujus Dignitatis, aut Po-
" testatis administrationem capiat, cùm neque
" judicet de capite alicujus, vel pudore, neque
" damnet, neque prædamnet, neminem vinci-
" at, neminem recludat, aut torqueat? cui bel-
" lo non idonei, non prompti fuissemus, si non
" apud istam Disciplinam occidi magis liceret,
" quàm occidere? Licebit Christiano in Gladio
" conversari, Domino pronuntiante in Gladio
" periturum qui Gladio usus fuerit? Carceres,
" Vincula, Tormenta, & Supplicia administra-
" bit, nec suarum ultor injuriarum? Denique,
" quomodo, inquit, bellabit, immo quomodo
" militabit sine Gladio, quem Dominus abstu-
" lit? Petrus accepit Gladium, inquit [k] *Origenes*,
" nondum manifestè concipiens apud se Evan-
" gelicam patientiam illam traditam sibi à Chri-
" sto, nec pacem quam dedit Discipulis suis.
" Porro, est, inquit, Gladij aliquis locus, ex
" quo non licet accipere eum qui non vult pe-
" rire maximè in Gladio? Pacificos enim vult
" esse Jesus Discipulos suos, ut, bellicum hunc
" Gladium deponentes, alterum pacificum ac-
" cipiant, Gladium quem dicit Scriptura Gladi-

---

i De Coronâ militis, Cap. XI.
k Hom. 35. in Matth. F. 80. G. H.

" um Spiritûs. Denique, ſimpliciter audientes " quod dicit, qui Gladium accipiunt, Gladio " peribunt, cavere nos convenit, ut occaſione " militiæ, aut vindictæ propriarum injuriarum, " eximamus Gladium, aut ob aliquam occaſio- " nem, quam omnem Evangelica abominatur " hæc Chriſti Doctrina ". Libro contra *Celſum*, " Precibus, inquit, fuſis pro Imperatore pug- " namus, cum ipſo [m] ὁ στρατευόμενος κἂν ἐπείγῃ, li- " cèt nos impellat, non pugnabimus ". En rationem omnes Chriſtianos omni tempore reſpicientem, & ſupremi Magiſtratûs officium cum *Tertulliano* penitus deſtruentem. [n] " Legiſlator " Chriſtianorum homicidium prorſus prohibuit, " docens injuſtum eſſe tale in Hominem faci- " nus, licèt injuſtiſſimus fuerit". *Lactantius* inquit, " In hoc Dei Præcepto nullam prorſus " Exceptionem fieri oportet, quin occidere Ho- " minem ſit ſemper Nefas ". Inſtit. l. 6. Cap. 20. Confer cum hâc Sententiâ *Articulum Eccleſiæ Anglicanæ trigeſimum ſeptimum.*

Cap. XXVII. 7. *Emerunt ex illis Agrum Figuli in Sepulturam Peregrinorum.*] Fertile ‖ *Hilarij* Ingenium magnum in hoc Prophetiæ invenit Sacramentum, & in factis & dictis Miraculi plenam Meditationem. " Figuli opus eſt, inquit, " de luto vaſa formare, Agrum autem Seculum " nuncupari ipſis Domini verbis : Chriſti ergo " precio Seculum emitur, id eſt, Univerſitas ejus " acquiritur, & in Sepulturam Peregrinorum atq; " inopum deputatur, qui in Precio Chriſti San- " guinis ſepelientur, quo Univerſa ſunt empta.

‖ *Can.* 32. *p.* 626.

---

[m] Contra Celſum, l. 8. p. 427.

[n] Ὁ νομοθέτης χριστιανῶν πάντῃ ἀναίρεσιν ἀνθρώπου ἀπηγόρευε— κἂν ἀδικώτατος ἐκεῖνος. Ibid. l. 3. p. 115.

Nec

Nec minùs mirandum est viri Acumen in *Commentario* in hæc Uxoris Pilati verba, commate 19. *Nihil tibi & justo illi ; multa enim passa sum hodie in Somnio propter eum* : " Est enim, inquit, " Species in eâ Gentium plebis : Eum cum quo " conversatur incredulum Populum ad Christi " Fidem advocat : Quæ, quia ipsa multum sit " Passa pro Christo, in eandem Gloriam futu- " ræ Spei illum cum quo conversabatur in- " vitat.

Hieronymus denique in hæc verba Commatis 29. *Milites Chlamydem coccineam induerunt ei, &c.*] Ludit in hunc modum ; " In Chlamyde Coccineâ " opera Gentium cruenta sustentat ; in Coronâ " Spineâ Maledictum solvit antiquum ; in Ca- " lamo venenata occidit animalia, sive Cala- " mum tenebat in manu, ut Sacrilegium scribe- " ret Judæorum ". Ohe jam satis est Ineptiarum.

Sectio Secunda,

De S. Patrum Interpretationibus in Evangelium Sancti Marci.

CAP. IV. 20. *Aliud Trigesimum, aliud Sexagesimum, aliud Centesimum.*] * *Athanasius* matrimonio conjunctis Fructum trigesimum, Virginibus autem, utpote Angelicam, & planè eximiam Vitam agentibus, assignat centesimum. Idem facit † *Hieronymus* ob Rationes planè ludicras & insulsas : " Triginta, inquit, referun- " tur ad Nuptias, quia & ipsa Digitorum Con- " junctio, quasi molli osculo, se complexans &

* *Ep. ad Ammon. To. 2. p. 37.*

† *Apol. pro libris adv. Jovin. F. 37.*

" fœderans, Maritum pingit & Conjugem;
" Sexaginta verò ad Viduas, eò quòd in Angu-
" stiâ & Tribulatione sunt positæ; unde & supe-
" riori Digito deprimuntur, quantóque major
" est Difficultas expertæ quondam Voluptatis il-
" lecebris abstinere, tanto majus est Præmium.
" Porrò numerus centesimus (*quæso diligenter at-*
" *tende*) de sinistrâ transfertur ad dextram, &
" iisdem Digitis, sed non eâdem Manu.

‖ *Ibid. G.* Secunda Sententia, teste ‖ *Hieronymo*, placuit omnibus penè Latinis & Græcis tractatoribus, qui Centesimum Numerum ad *Martyres*, Sexagesimum ad Virgines, Tricesimum ad Viduas, referunt. Juxta * *Cyprianum*, " Primus Centena-
" rius Martyrum Fructus est, secundus Sexage-
" narius vester est ". Ita etiam *Augustinus* Quæst. Evangel. in Matth. Qu. 11. & de sanctâ Virginitate, cap. 45. † Auctor operis imperfecti Centesimum dat Martyribus, Sexagesimum paupertatem observantibus, seu bona omnia vendentibus, ut dent Pauperibus.

* *De habitu Virg. ed. Oxon. p.* 101.

† *Ho.* 31.

‖ *L.* 5. *C.* 35. ‖ *Irenæus* denique ait, " Diversas Habitationes
" præparatas esse pro hoc Fructuum discrimine;
" esse enim distantiam hanc Habitationis eorum
" qui Centum fructificârunt, & eorum qui Sexa-
" ginta, & eorum qui Triginta; quorum qui-
" dam in Cœlum assumentur, alij in Paradiso
" conversabuntur; alij in Civitate inhabita-
" bunt: " Et propter hoc dixisse Dominum, *Multas esse apud Patrem Mansiones*, Cap. 6. 56.

Cap. VI. 56. *Rogabant ut vel Fimbriam Vestimenti ejus tangerent.*] Per Fimbriam Vestimenti ejus intelliges, juxta * *Hieronymum*, vel *minimum Mandatum*, vel † Assumptionem Corporis, per quam venimus ad Verbum Dei, & illius postea fruimur Majestate. *Theophylactus* Christi *Incarnationem*, hâc additâ ratione, " Vestimentum e-
" nim Christi ejus Caro est, Fimbria autem Fi-
" nis

* *In Matt.* 14. 36.

† *Ibid.*

" nis Vitæ ejus ſuper Terram, quam ſequitur
" ejus Aſſumptio.

V. 38. *Quinque Panes, & duos Piſces.* Cap. 8. 5, 7. *Septem Panes, & Piſciculos paucos.*] Primum hic Miraculum *Judæis* applicat † *Hilarius* his verbis, " Solos quinque Panes, & duos Piſces " reſponderunt ſe habere, quia ſub quinque Pa-
" nibus quinque libri Legis continebantur, &
" Piſcium duorum, id eſt *Prophetarum*, & *Joban-*
" *nis* prædicationibus, alebantur ". Secundi exordium hoc facit; " Quemadmodum illa *Ju-*
" *daïcæ* credentium congruunt Plebi, ita hæc
" populo Gentium comparentur; Panes igitur
" ſeptem offeruntur, nulla enim ex *Lege* &
" *Prophetis* Gentibus Salus ſumitur, ſed per Gra-
" tiam Spiritûs vivunt, cujus ſeptiforme, ut per
" Eſaiam traditur, munus eſt; indefinitus Piſ-
" cium numerus diverſorum donorum, & cha-
" riſmatum Participationes, Miniſtrationeſque
" ſignificat. Quòd verò quatuor Virorum
" millia congregantur, Multitudo innumerabi-
" lium ex quatuor Orbis Partibus intelligitur ".
Nec multo meliùs || *Hieronymus*: " Frangente, " inquit, Domino, fit Ciborum Seminarium; " ſi enim fuiſſent integri, & non in fruſta diſ-
" cerpti, nec diviſi in multiplicem Segetem,
" Turbas, & Pueros, & Fæminas, & tantam
" Multitudinem alere non potuerunt. Frangi-
" tur ergo Lex cum Prophetis, & in fruſta diſ-
" cerpitur, ut & ejus in medium Myſteria pro-
" ferantur, ut, quod integrum & permanens in
" Statu priſtino non alebat, diviſum in Partes
" alat Gentium Multitudinem.

† *In Matt. B. Can. 14.*

|| *In Matth. F. 21. B.*

Cap. VIII. 26. *Mulier Syrophœniſſa rogabat ut ejiceret Dæmonium de Filiâ ejus.*] " Ego, inquit
" * *Hieronymus*, Filiam *Cananææ* puto Animas
" eſſe credentium, quæ malè à Dæmoniis vexa-
" bantur, ignorantes Creatorem, & adorantes

* *In Matt. F. 22. E.*

" La-

" Lapidem ". Juxta *Hilarium*, Typum Eccle-
siæ Filia *Cananæ æ* continet, & Mulier pro Filiâ,
id est, Gentium Plebe orat.

Cap. XI. 2. *Invenietis Pullum ligatum, super quem nemo adhuc Hominum sedit.* Matth. 21. 2. *Invenietis Asinam alligatam, & Pullum cum ea.*]
Satis audacter *Hieroymus* hic dicit: " Ergo cùm
" Historia vel Impossibilitatem habeat, vel Turpi-
" tudinem, ad altiora transmittimur, ut Asina
" quæ subjugalis fuerit, & edomita, & jugum
" Legis traxerat, *Synagoga* intelligatur; Pullus
" Asinæ lascivus & Liber, Gentium Populus,
" quibus insederit Christus, missis ad eos duo-
" bus Discipulis, uno in Circumcisionem, & al-
" tero in Gentes; per Vestimenta Apostolorum
" Asino imposita, Doctrinam Virtutum, vel e-
" dissertationem Scripturarum intelligit. Tur-
" bæ, inquit, quæ præcedebant, & quæ seque-
" bantur, utrumque ostendit Populum, & qui
" ante Evangelium, & qui post Evangelium
" Domino crediderunt ". Atque in his ferè
omnibus Ducem sequutus est [a] *Origenem* dicen-
tem, "Fortasse hæc Symbola sunt Salvatoris è vin-
" culis per Discipulos jumenta sua solventis, eos
" videlicet qui tunc de Populo hoc, quique è
" Gentibus Fidem professi sunt. Peccatis enim
" adstricta erat antiqua Synagoga; alligatus
" quoque erat unà cum eâ Pullus, Populus ni-
" mirum è Gentibus novissimè conflatus. Duos
" Discipulos quos ad ligatam Asinam, & Pul-
" lum ad se adducendos Jesus misit, * *Petrum* &
" *Paulum* esse vult, qui dextras Societatis sibi
" dederunt, ut in Circumcisionem quidem Pe-

* P. 436.

---

[a] Μήποτε σύμβολα ὅτι ταῦτα τῶ Σωτῆρος λύσαντος & τῶ διὰ τῶν μαθητῶν τὰ ἴδια ὀχήματα, in Matth. p. 432.

" trus

" trus, Subjugem quidem sub Jugum Legis alli-
" gatam: Paulus verò in Gentes, Juvenem ni-
" mirum, ac nondum domitum Pullum iret".
Paulò aliter *Hilarius*; Per Asinam enim intelli-
git *Samaritanos*, sub quâdam Observantiæ suæ
Consuetudine servientes, quos per Philippum
ad Christum adductos esse vult; per Pullum ve-
rò, Gentes indomitas & Feroces, quas Petrus
in Cornelio, tanquam primitias Gentium, ad
Christum adduxit. Vide etiam Augustinum
contr. Faustum Manich. l. 12. C. 42.

Cap. XIII. 32. *De Die autem illâ & Horâ ne-
mo scit, neque Angeli in Cælo, οὐδὲ ὁ υἱὸς, neque Fi-
lius, nisi Pater. Nisi Pater meus solus*, Matth. 24.
36.] Patres Antiquiores simpliciter & sine
ambagibus agnoscunt Patrem solum Diem illam
cognovisse, atque hoc Christum his verbis con-
cepisse. Unde Valentinianos † *Irenæus* ad hunc †L. 2. c. 48.
modum redarguit. " Irrationabiliter inflati, au-
" dacter inenarrabilia Dei Mysteria vos scire
" dicitis, quandoquidem & Dominus, & ipse
" Filius Dei, ipsum Judicij Diem & Horam con-
" cessit scire Solum Patrem, manifestè dicens,
" *De Die illâ & Horâ nemo scit, neque Filius, nisi*
" *Pater solus*. Si igitur Scientiam Diei illius non
" erubuit referre ad Patrem, (sed dixit quod ve-
" rum est,) neque nos erubescimus quæ sunt in
" Quæstionibus majora secundum nos, referre
" Deo". Et rursus: " || Si quis requirat Cau- || C. 49.
" sam propter quàm Pater in omnibus commu-
" nicans Filio, solus scire Diem & Horam à
" Domino manifestatus est, neque aptabilem
" magis, neque decentiorem, nec sine periculo
" alteram quàm hanc inveniet in præsenti, ut
" discamus per ipsum super omnia esse Patrem".
Etenim Pater, ait, *major me est*. * *Tertullianus* pa- *De Resur.
riter, Diem retributionis vocat Diem ultimum c. 22. p.
& occultum, & soli Patri notum. Et rursus; 338.

" Hic

" Hìc quoque Patrem nemini notum niſi Filio
" adfirmat, ignorans & ipſe Diem ultimum, ſo-
" li Patri notum ". Adv. Prax. cap. 26. p. 516.

† *Recogn. l.* 10. §. 14. " Si, inquit † *Pſeudo-Clemens*, Magiſter noſter
" Diem & Horam, cujus etiam Signa prædixit,
" neſcire ſe profeſſus eſt, quomodo nos turpe du-
" cemus, ſi aliqua nos ignorare fateamur "? De-

‖ *Ho.* 30. *in Matth. F.* 64. *A.B.* nique ‖ *Origenes*, " Seipſum Salvator, ſecundum
" hunc locum, conjungit cum ignorantibus Di-
" em illam; & rationabiliter eſt quærendum,
" quomodo hoc Pater abſcondit à Filio; omni-
" no enim Ratio eſſe debet quòd à Salvatore
" tempus Conſummationis abſconditum ſit, &
" ignoret de eo ". Patres *poſt Nicæni* exiſtima-bant hoc, ſine læſâ Chriſti Divinitate, concedi non potuiſſe: Multas ergo excogitabant hujus nodi Solutiones, ſed plerumque falſas. Nam,

Primò, Falſa eſt proculdubio illa *Ambroſij* & *Hieronymi* Solutio, τὸ, *neque Filius*, additum eſſe Textui ab *Arianis*; quòd licèt de Textu *Matthæi* verum eſſe poſſit, de *Marci* verbis falſiſſimum eſſe ex Teſtimoniis jam allatis conſtat. Porrò hæc Verba, εἰ μὴ ὁ Πατήρ μου μόνος, oſtendunt Patrem in *Matthæi* Textu Senſu Filium, ſi non & Verbis, excluſiſſe.

* *Ibid. C. D.* Secundò, Quod attinet ad Senſum quem * *Origenes* famoſiorem eſſe, loco jam dicto, indigitat, nempe intelligenda eſſe hæc Verba de Scientiâ *Eccleſiæ* cum Chriſto: " Donec enim Eccleſia,
" quæ eſt Corpus Chriſti, neſcit Diem illam &
" Horam, tamdiu & Chriſtus Ipſe dicitur ne-
" ſcire Diem illam & Horam, ut tunc intelliga-
" tur ſcire, quando ſcierint & omnia Membra
" ejus: Aut ſecundò, Quòd ſcire ſit experimen-
" to ſcire, & rem coram Oculis videre jam præ-

† *Ibid. D, E.* " ſtitam ". Secundùm Verba ſequentia, †" Quid
" eſt ſcire? Re-ipſâ experiri Diem illam & Ho-
" ram; cognoſcet Diem illum & Horam, qui

" oc-

" occurrerit ad Finem & Abbreviationem Diei " illius & Horæ ". Eandem Sententiam ſequitur [b] *Epiphanius* ; " Non novit quoad effectum, " hoc eſt, nondum judicavit ; cum Diem illum " protulerit,& unicuique quod juſtum eſt diſtribuerit, tunc cognoſcet eam, hoc eſt, Poteſtate eam faciet.

Tertiò, Major Pars Antiquorum, teſte *Maldonato*, Chriſtum hìc dicere exiſtimavit, ſe ignorâſſe Diem Judicij, non quòd revera ignoraverit, ſed quòd fecerit ut nos ignoraremus, quòd nobis revelare noluerit. " Hôc enim, juxta * *Auguſtinum*, neſcit, quòd neſcientes facit ; id eſt, " quòd non ita ſciebat ut tunc Diſcipulis revelaret ". Has quidem Expoſitiones hâc unâ Ratione refellit *Maldonatus*, quòd his omnibus de Cauſis, æquè de Patre ipſo dicatur, quod Diem & Horam Judicij neſciverit, utpote quam nec πράξει, i. e. effectu noverit, nec Chriſti Diſcipulis notum fecerit, nedum Eccleſiæ. *Theodoretus* Blaſphemiæ hunc Senſum incuſat his Verbis : " Si autem diem ſciens, ut rem occultaret, " ignorare ſe illum dicit, vide in quam Blaſphemiam, quod colligitur, evadat ; ἡ γὰρ ἀλήθεια " ψεύσεται, ſic enim Veritas mentiretur, quæ immeritiò Veritas diceretur, ſi quid in ſe habeat " Veritati adverſum ". Everſ. Anathem. Quarti Cyrilli, To. 4. p. 713.

* *De Trin. l.* 1. *c.* 12.

Quartò, Prævaluiſſe videtur ea Sententia, quæ ignorantiam hanc Chriſto, ſecundum humanam tantùm Naturam adſcriptam pronunciat. Ita [c] *Athanaſius* ; " Benè dixit, *neque Filius*, ob Corpus, " ut oſtenderet ſe ſecundum humanam Naturam

---

[b] Οὔπω ἔγνω κατὰ πρᾶξιν, τουτέστι ὅπου ἔχρινεν, Hær. 69. §. 17. p. 769, 770.

[c] Epiſt. ad Serap. p. 473. orat. contr. Arian. p. 495, 496, 496, 497, 498.

" non

" non nôsse ; Hominum enim Proprium est ig-
" norare ". † *Greg. Nazianzenus* similiter : " No-
" vit ut Deus, nescire se dicit ut Homo ". I-
dem respondent alij, quos vide apud * *Petavium* de Trinitate. Solutionem hanc ideo rejicit *Maldonatus*, quia nihil referebat ad id quod agebat Christus, quo Titulo, quâve Ratione, sciret ; poterat enim, quomodocunque sciret, illum Apostolis Diem revelare.

† *Orat.* 36. p. 588.

* *L.* 2. *c.* 3.

Quintò, Altera, inquit || *Petavius*, loci istius Explicatio est, " Christum neque ut Deum, ne-
" que ut Hominem reipsa diem nescire Judicij,
" sed Dissimulatione uti, & quasi fingere se ne-
" scire ; atque hoc universè cum *Cyrillo* vocant,
" Οἰκονομίας χάριν σχηματίζεσθαι, *Dispensationis Gratiâ*
" *simulare* ; quæ quidem ideo mihi præ cæteris
" displicet, quòd Christo Mendacium, aut Rei
" falsæ Fictionem adscribit, idque in re adeò
" periculosâ, ut inde de verâ ipsius Deitate du-
" bitandi sit orta occasio ". Petavius has omnes Soluriones rejicere meritò videtur, & aliam substituere, Veritati, & muneri Christi Prophetico magis Consonam, quam vide Notis in hunc locum ; & cui propè accedit [d] *Theodoretus* his Verbis : " Non est Dei Verbi ignorantia, sed For-
" mæ Servi, quæ tanta per illud Tempus sciebat,
" quanta Deitas inhabitans revelabat ". Repreh. Anath. quarti Cyrilli, To. 4. p. 713.

|| *Ibid.* §. 8.

* *Thesaur.* p. 221.

Denique, † *Hieronymus* nodum sic solvit, seu potiùs dissecat, dicens, " Patrem solum nôsse, in
" Patre comprehendit & Filium, omnis enim
" Pater & Filij nomen est.

† *In Matt.* 24. 34. *L.*

---

[d] Τῆς τοιαύτα κατ' ἐμεῖνο τῆ καίρε γνωσκόσης, ὅσα ἡ ἐνοικέσα θεότης ἀπεκάλυψε.

SEC-

Sectio Tertia

Continet S. Patrum Scholia in Evangelium D. Lucæ.

CAP. I. 41. *Exultavit Infans in Utero ejus.*] Hinc colligit [c] *Origenes*, antiquiorem fuisse *Johannis* Animam quàm Corpus, & antea subsistentem, missam fuisse ad Ministerium testandi de Luce. Omniúmque ferè Patrum Opinio est, *Johannem* etiam in Utero Matris existentem Christum cognovisse, & de eo in Spiritu prophetâsse. Ita || *Irenæus*; " *Johannes*, cùm adhuc in || *L.* 3. *c.* 18. " Utero Matris suæ esset, & Christus in Vulvâ *p.* 240. " Mariæ, Dominum cognoscens, exultans salu- " tavit". * *Origenes* pariter: " Novit eum cui * *In 1 libr. Reg. Ed.* " Testimonium perhibuit, & pro quo saltavit". *Huet. To.* 1. Juxta † *Cyrillum Hierosol.* " Solus *Johannes* in U- *p.* 34. " tero existens exultavit præ Gaudio, & Cor- † *Catech.* " poris Oculis nihil videns, τὸν Δεσπότην ἐγνώρισε *3. p.* 18. τῷ πνεύματι, Spiritu Dominum cognovit". Reliquos vide apud *Maldonatum*. Est tamen certum, hoc fieri minimè potuisse sine miraculosâ Rationis Anticipatione in *Johanne*, quod ex hoc loco colligi non potest; nam, observante * *Augustino*, potuit esse Exultatio ista Significatio rei tantæ à majoribus cognoscendæ, non à parvulo cognitæ; nec dicitur, Infantem in Utero credidisse, sed Gaudio exultâsse; videmus autem Exultationem non solùm Parvulorum, sed eti- * *Epist.* 58. *ad Dardanum.*

---

[c] Πρεσβυτέραν ἦσαν τοῦ Ἰωάννου ψυχὴν τοῦ σώματος, καὶ πρεσβυτέραν ὑφεστῶσαν, πεπίμφθαι ὅπως διακονίαν τῆς τοῦ Φωτὸς μαρτυρίας, in Joh. p. 76.

am

am Pecorum, non utique de aliquâ Fide, vel Religione, vel quâcunque rationali Cognitione venientem. Quod autem quidam hinc colligunt Rationis usum in *Johanne* anticipatum, non *Augustino*, neq; sanè mihi satis rectum videtur. Ita *Grotius*.

Cap. II. 52. *Jesus autem proficiebat Sapientiâ.*] Plerique Patrum, teste *Petavio*, profectum illum Christi in Scientiâ & Gratiâ sic interpretantur, ut ad Speciem referant, & Ostensionem, quòd pedetentim majoribus & perfectioribus Indiciis latentem in se Gratiam & Sapientiam proderet; vel quòd profectionem hanc in Corpore ejus, quod est Ecclesia, effecerit. " Verbum, inquit [f] *Athanasius*, quatenus Verbum proficere non potuit; sed quoniam alios ad proficiendum evehit, humano more de profectu loquutus est, eò quòd hominum sit proficere".

† *Anchorat.* §. 4. " Profecit Ætate & Sapientiâ, juxta † *Epiphanium*, eò quòd Sapientia existens, & Homo factus, Potentiam suam per Orbem propagavit".

‖ *P.* 130. " Proficiebat Sapientiâ, inquit ‖ *Amphilochius*, propter eos quos Sapientes reddebat; Gratiâ eâ scilicet, quâ oblectati nos ipsi proficimus". § *Augustinus*: " Cùm in Sapientiâ proficere dictus sit, in Corpore suo intelligatur Hæres, id est, Ecclesia". Implebatur Sapientiâ & Gratiâ, juxta *Titum Bostrensem*, non quòd ejus Accessionem ullam caperet, sed ob Sapientiæ & Gratiæ Ostensionem. Et juxta * *Cyrillum Al.* " Ob Divinorum bonorum in ipso existentium Manifestationem". Vide plures ejusdem Sententiæ apud † Photium, qui Eulogium citat,

* *To. p.* 6.

† *Cod.* 230. *p.* 884.

---

[f] Τὰς ἄλλας εἰς προκοπὴν ἀνάγων ἀνθρωπίνως εἴρηται ἐν τούτοις προκόπτειν. Orat. 4. Contr. Arian. p. 503.

§ 87. Quæst. q. 75. p. 598.

Dextus

τόλμης ἐπιφαλῆς (audaciæ periculosæ) eos incusantem, qui vel Christo quoad humanam Naturam ignorantiam tribuebant. Quibus omnibus Textui non tam Lucem, quam Vim injiciunt, cùm hoc de Christo dictum est antequam Ecclesiam docuit.

Cap. II. 23. *Omne Masculinum adaperiens Vulvam.*] Ex his Verbis Patres antiquissimi rectè collegerunt, Christum B. Virginis Uterum nascendo aperuisse; & *Purum, purè, puram aperuisse Vulvam*, juxta * *Irenæum.* Pleniùs † *Tertullianus* in hæc Verba Isaiæ, *Ecce, Virgo concipiet, & pariet Filium*: "Agnoscimus, inquit, Signum contra- "dicibile, Virgo, & non Virgo; Virgo quan- "tum à Viro, non Virgo quantum à Partu: "Etsi Virgo concepit, in Partu suo nupsit, "patefacti Corporis Lege. Hæc denique Vul- "va est, propter quam & de aliis scriptum est, "*Omne Masculinum adaperiens Vulvam Sanctum* "*vocabitur Domino.* Quis verè Sanctus quàm "Dei Filius? Quis propriè Vulvam aperuit, "quàm qui clausam patefecit? Ita magis pate- "facta est, quia magis clausa; utique magis di- "cenda est non Virgo, quàm Virgo? Et quid "ultra de hoc retractandum est? Cùm hâc ra- "tione *Apostolus* non è Virgine, sed ex Muliere, "editum Filium Dei prænuntiavit". ‖ *Origenes* pariter: "Quemcunque de Utero effusum Ma- "rem dixeris, non sic aperuit Vulvam Matris "suæ ut Dominus; quia omnium Mulierum "non Partus Infantis, sed Viri coitus aperit "Vulvam; Matris autem Domini eo tempore "Vulva reserata est, quo & partus editus". Juxta [h] *Ambrosium*, "Hic solus aperuit sibi Vul- "vam, nec mirum; qui enim dixerat ad *Pro-*

* *Lib.* 4. *c.* 66.

† *De Carne Christi, c.* 23.

‖ *In Lucam Ho.* 14. *F.* 100. *G.*

[h] In Lucam, l. 2. c. 20. p. 26.

" *phetam*, Priusquam Te in Utero formarem, " novi Te, & in Vulvâ Matris sanctificavi Te. " Qui Vulvam sanctificavit alienam ut nascere- " tur Propheta, hic est qui aperuit Matris suæ " Vulvam, ut immaculatus exiret". * *Theophylactus* denique in hæc Verba, Omne adaperiens Matricem, " hoc, inquit, propriè soli Christo " contigit, αὐτὸς γὰρ διήνοιξε τὴν μήτραν παρθένου, ipse " enim aperuit Virginis Matricem, cùm aliarum " Matrices Vir aperit.

* *In loc.*

Cœpit tamen Superstitio, ex Apocryphorum Somniis concepta, in Partem contrariam inclinare, ut docet † *Clemens Alex.* his Verbis: " Visum est multis, & adhuc videtur, Mariam pu- " erperam fuisse, cùm non esset puerpera; quidam enim dicunt eam postquam peperisset, " inspectam ab obstetrice, inventam fuisse Virginem". " Respexit, inquit *Petavius*, Fabulam de obstetricibus *Mariam* explorantibus " & Virginem eam renuntiantibus, quam refert " *Jacobi Evangelium*, & *Suidas* in Voce, Ἰωσῆς, " Anilem quidem illam, & ab otioso nugatore " confictam, quam nollem aliter *Clemens* quàm " irridendo ac despuendo commemorâsset". Perpetuò mansisse illam Virginem probat [i] *Basilius* ex Historiâ non minùs anili & Apocryphâ, nimirum " *Zachariam Mariam* post Domini " Partum in Virginum loco constituisse, eúm- " que propterea à Judæis inter Templum & " Altare interfectum esse à Populo, eò quòd " prædicaret Paradoxum illud, & à multis de- " cantatum Signum, Virginem sc. parientem " citra Virginitatis Corruptionem". Hanc autem Traditionem ex quibusdam *Apocryphorum* Somniis desumptam esse monet ‖ *Hieronymus*: A-

† *Strom.* 7. *p.* 756.

‖ *In Matt.* 1. 23. *F.* 32.

[i] To. 1. Ho. de Hum. Christi Gener. p. 509, 510.

lios

lios hujusmodi Traditioni Fidem non adhibuisse agnoscit ‖*Origenes*. Et sanè duo sunt quæ Traditionem hanc funditùs convellunt: Primò, Quòd nec *Propheta* esset *Johannis* Baptistæ Pater, nec ex Scripturâ, aut certâ aliquâ Traditione constat, eum à Judæis occisum esse, multo minùs intra Templum & Altare cecidisse. Secundò, Quòd nullus in Templo Locus Virginibus fuerit assignatus; crevit tamen adeò in posterum Superstitio, ut tandem Sententia hæc in Fidei Articulum evaserit, Concilij Lateranensis tertij Can. 30. Porrò, Nota hinc * *Gennadij* malam Fidem, qui inter Dogmata Ecclesiastica hoc ponit, *Integrâ Fide credendum est, B. Mariam Dei Christi Matrem, & Virginem concepisse, & Virginem genuisse, & post Partum Virginem permansisse*: Quam quidem Sententiam pluribus refutatam vide apud Albertinum de Sacramento Eucharistiæ, l. 1. p. 175, 176. Modestiùs multo, & veriùs loquitur Magnus † *Basilius*, qui agnoscit, μηδὲν τῷ τῆς εὐσεβείας παραλυμαίνεσθαι λόγῳ, Pietatis Doctrinam ex hâc Assertione non lædi, quòd post Partum Dominicum nuptialia Opera Viro non negavisset; atque adeò hoc ἀπολυμερασμάτιστον sine curiosâ Inquisitione relinquendum esse.

‖ *Ho. 26. in Matth. fol. 49. F.*

* *Cap. 69.*

† *Ibid. p. 509.*

Cap. IV. 19. *Prædicare Annum Domini acceptum.*] Ex hoc Loco *Gnostici* contendebant Christum uno tantùm, post Baptismum, Anno prædicâsse; &, teste [k] *Irenæo*, hoc ipsum ex *Prophetâ* tentant confirmare; Scriptum est enim, *vocare Annum Domini acceptum*, eósque validè refellit *Irenæus*, ex numero Paschatum quibus interfuit post Baptismum. Hoc tamen non obstante, Patrum multi in eandem Sententiam concesserunt, viz.

[k] L. 1. c. 1. p. 16. l. 2. c. 38, 39.

[1] *Clemens Alex.* his Verbis, "Et quòd uno tantùm Anno eum prædicare oportuit, sic scriptum est, *Misit me prædicare Annum Domini acceptum*". Celebrem fuisse || *Origenis* Ætate hanc Sententiam hæc Verba indicant: "Juxta simplicem Intelligentiam aiunt uno Anno Salvatorem in Judæâ Evangelium prædicâsse; & hoc est quod dicitur, *Prædicare Annum Domini acceptum*". A quâ Sententiâ nec ipsemet multum abludit, dicendo, *Tempus* * *Prædicationis Christi breve fuisse; docuit enim circiter Annum unum, & paucos Menses.* *Africanus* apud *Hieronymum* in Dan. 9. F. 63. K. & *Lactantius* l. 4. c. 10. dicunt, Christum passum esse 15. Tiberij; i. e. Anno Ætatis suæ trigesimo, secundùm *Lucam.*

|| *Ho.* 32. *in Luc. F.* 111.

* *Philoc.* p. 4.

Luc. X. A commate 30. ad 38.] Parabolam hanc Patres fere omnes mystico Sensu interpretantur; per Hominem enim à Jerusalem in Jericho descendentem intelligunt *Adamum*, & in eo humanum genus universum, à Jerusalem, id est, à Gratiâ Dei, in *Jericho*, id est, in abjectum Miseriæ statum decidentem: Latrones in quos incidit, Dæmonas esse pronuntiant, qui eum Gratiâ spoliaverant, & miserè vulnerarant; *Sacerdotem*, & *Levitam* qui eâdem Viâ præterierunt, veterem dicunt esse Legem, quæ hominem servare non potuit; *Samaritanum* verò esse *Christum*, qui, Misericordiâ humani generis motus, in hunc Mundum descendebat, in quo Homo erat. † *Irenæus* dicit, "Dominum Spiritui sancto commendâsse hominem, qui inciderat in Latrones, cui ipse misertus est, & ligavit Vulnera

† *L.* 3. *c.* 19.

[1] Καὶ ὅτι ἐνιαυτὸν μόνον ἔδει αὐτὸν κηρύξαι, γέγραπται οὕτως· ἐνιαυτὸν δεκτὸν Κυρίῳ κηρύξαι ἀπεστειλέν με. Strom. I. p. 340.

"ejus"

" ejus". ‖ *Origenes* dicit, " *Jericho* esse Sym- ‖ *To. 1. in*
" bolum Mundi : Homo descendens in *Jericho* *Matth. p.*
" ὁ Ἀδὰμ, τυτέστι ἄνθρωπος, Adamus, id est, Ho- 424.
" mo qui cecidit in Latrones". Celebrem o-
lim fuisse hanc Interpretationem ostendit alibi
his Verbis : " *Aiebat quidam de Presbyteris, vo- * *Ho. 34. in*
" lens Parabolam interpretari, Hominem qui *Luc. F.*
" descendit esse *Adam* ; *Hierusalem* Paradisum ; 111. G.
" *Hiericho* Mundum ; Latrones contrarias For-
" titudines ; Sacerdotem Legem ; *Levitam* Pro-
" phetas ; *Samariten Christum* ; Vulnera verò In-
" obedientiam ; Animal Corpus Domini ; Pan-
" dochium, id est, Stabulum, quod universos
" volentes introire recipiat, interpretari Eccle-
" siam. Porrò duos Denarios, Patrem & Fili-
" um intelligi ; Stabularium, Ecclesiæ Præsidem
" cui Dispensatio credita sit ; de eo verò quòd
" *Samarites* se reversurum promittit, secundum
" Salvatoris significabat Adventum. Hæc ratio-
" nabiliter, inquit, pulchréque sunt dicta" ;
Iisque ad plurimum accedit, dicendo, Pando-
chium esse Ecclesiam omnes recipere volentem ;
Stabularium Angelum Ecclesiæ ; duos Denarios,
Scientiam Patris & Filij ; distribuentem Samari-
tanum, Christum portantem Vulnera nostra.
Reliquos vide apud *Maldonatum* in locum.

Cap. XII. 49. *Ignem veni mittere in Terram, & quid volo nisi ut accendatur.*] " Ignis est *Spiritus*
" *Sanctus*, juxta † *Hieronymum*, quo descendente † *In Matt.*
" sedit quasi Ignis super Linguas Credentium ; 3. F. 8. E.
" & impletus est Sermo Domini dicentis, *Ignem*
" *veni mittere in Terram, & quàm volo ut ardeat*" !
Dicit enim, ‖ *Origenem* hæc Verba ita interpreta- ‖ *L. 2. cont.*
ri, " omnes cupio agere Pœnitentiam, & exco- *Ruff. F. 77.*
" quere Spiritu Sancto Vitia, & Peccatum". C.
Quod verum esse constat ex *Origenis* Homilià 10.
in *Jeremiam*, Ed. Huet. To. 1. p. 195, 196. * *Am-* * *L. 7. in*
brosius ait, loqui Dominum non de Igne con- *Luc. p. 109.*

sumptore Bonorum, sed bonæ Voluntatis Authore, de Igne illo qui flammigerabat in Ossibus *Prophetarum.* * *Chrysostomus* citans hæc Verba addit, καὶ τὸ Πνεῦμα ἐν πυρὶ διὰ τοῦτο φαίνεται, *& propter hoc Spiritus in Igne apparuit.* Ea denique, inquit *Maldonatus*, fere omnium Interpretatio est, hunc tamen Sensum rejicit, tanquam alienum à proposito Domini, & nec cum præcedentibus, nec consequentibus cohærentem.

* *Ho. 6. in Matth. p. 49.*

V. 58. *Cùm autem vadis cum Adversario tuo ad Principem, in viâ, da Operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad Judicem.*] " Plerique, inquit " † *Hieronymus*, arbitrantur de Carne dictum & " Animâ, vel de Animâ & Spiritu". ‖ *Hilarius*; " Quid autem à pluribus in hoc Capite sen- " sum sit, non putavi esse tractandum. Hoc " enim quòd Adversario reconciliari Benevo- " lentiâ jubemur, ad Corporis & Spiritûs ad- " versantium sibi Concordiam retulerunt". Hunc Sensum ibi refellit *Hieronymus* duobus Argumentis: Rejecit † *Clemens Alex.* his Verbis; " Adversarius autem non est Corpus, ut quidam " volunt, sed Diabolus, & qui ei assimulantur, " qui unâ nobiscum in viâ ingreditur, per Ho- " mines, qui ejus facta imitantur in hâc Vitâ " terrenâ.

† *In Matt. 5. F. 9. K.*

‖ *In locum.*

† *Strom. 4. p. 512.*

" Secundam Sententiam sic exhibet *Hieronymus*; " Alij Adversarium Diabolum interpretantur, & " volunt à Salvatore præcipi, ut, dum in Potesta- " te nostrâ est, simus benevoli erga Diabolum, " qui est Inimicus & Ultor, nec faciamus eum " Pœnas sustinere pro nobis". Ad hunc Sensum tendunt hæc ‖ *Ambrosij* Verba; " Juxta *Lucam* " est Adversarius noster præcipuè ille, qui serit " illecebras Delictorum, ut habeat in Supplicio " Participes quos habuit in Errore Consortes; " Esto benevolus, inquit, huic Adversario; si " enim, dum simus in hâc Viâ, exsolvamus nos

‖ *Ibid. p. 119.*

" à

" à Vinculis Diaboli, nec ille propter nos dam-
" nabitur, & nos à Vinculis ejus erimus alieni ".
Hunc Sensum refellit, juxta [m] *Augustinum*, hæc
Clausula, *Esto consentiens illi*; aut, juxta aliorum
Versionem, *Esto benevolus*: nec enim æquum est
existimare Dominum Christum exegisse à Discipulis ejus, ut vel consentientes, vel benevoli essent Diabolo.

Tertia Sententia, quam Coactiorem meritò appellat *Hieronymus*, hæc est: " In Baptismate
" singulos Pactum inire cum Diabolo, & dicere,
" *Renuntio tibi, Diabole, & Pompæ tuæ, & Vitiis*
" *tuis, & Mundo tuo, qui in Maligno positus est.* Si
" ergo servaverimus Pactum, benevoli & con-
" sentientes sumus Adversario nostro, & nequa-
" quam in Carcere recludendi; sin verò quic-
" quam transgressi fuerimus eorum quæ Diabo-
" lo spoponderamus, trademur Judici, & Mini-
" stro, & mittemur in Carcerem". Cui Sensui
congruunt hæc Verba * *Septimij*; " Si in Diabo- * *De Anim. Cap. 35.*
" lum transferatur Adversarij mentio, ex Ob-
" servatione concomitante cum illo quoque mo-
" neris eam inire Concordiam, quæ deputetur
" ex Fidei Conventione; Pactus enim es renun-
" tiare Ipsi, & Pompæ, & Angelis ejus; conve-
" nit inter vos de isto; hæc erit Amicitia Obser-
" vatione Sponsionis, ne quid ejus postea resumas
" ex his quæ ejerâsti, quæ illi reddidisti, ne te, ut
" Fraudatorem, ut Pacti Transgressorem Judi-
" ci Deo objiciat". Quid autem insolentius, quàm dicere, nos in Baptismate Pactum inire cum Diabolo, idque dicendo, *Renuntio tibi, Satana?*

Cap. XIII. 20. *Simile est Regnum Dei fermento, quod acceptum Mulier abscondit in Farinæ sata*

---

m De Serm. Dom. Serm. 1. To. 9. p. 1.

tria.] De hâc Muliere, Fermento, & Farinæ satis tribus, multa hic congerunt Patres vana prorsus, & futilia, & à Mente Christi protinus aliena. Mulier enim, juxta *Hilarium*, est Synagoga, quæ Fermentum acceptum per Judicium Mortis abscondit, arguens Legem & Prophetas ex Evangeliis dissolvi. Secundum autem *Augustinum*, est Caro Christi. Ex Sententiâ *Ambrosij* & *Hieronymi*, Mater Ecclesia Typo Mulieris istius Evangelicæ figuratur. Plerique, inquit *Ambrosius*, Fermentum *Christum* putant. *Augustinus* Evangelium, *Hieronymus* Notitiam Scripturarum. "Ad trium Gentium Vocationem *ex* "*Sem, Cham, & Japhet* tres Mensuras esse re- "ferendas sensisse multos meminerimus", inquit * *Hilarius*. Inter quos *Augustinus* his Verbis; "Quæ est ista Mulier, nisi Caro Domini? quod "est Fermentum, nisi Evangelium? Quæ sunt "tres Mensuræ, nisi omnes Gentes propter tres "Filios Noæ"? Obtinuisse tunc hanc Sententiam agnoscit † *Ambrosius*, his Verbis; "Nec "sum dubius Animi, quòd aliqui de hoc Mundo dictum putent, donec fermentetur in Lege, Prophetis, & Evangeliis, ut Dominum "omnis Lingua fateatur.

Secundò, Agnoscit idem ‖ *Hilarius*, "Sensisse multos tres has Farinæ mensuras referendas esse ad Fidei Sacramentum; hoc est, ad "Patris, Filij, & Spiritûs Sancti Unitatem; in "Patre enim, & Filio, & Spiritu Sancto, eâ admixti extrinsecus Fermenti Necessitate, in "Christo omnia unum sunt". * *Hieronymus* pariter; "Dicam & tertiam quorundam Intelligentiam; Mulierem istam & ipsi Ecclesiam interpretantur, quæ Fidem hominis Farinæ tribus "satis commiscuerit Credulitati Patris, & Filij, "& Spiritûs Sancti; cúmque in unum fuerint "Fermentata, non nos ad tripliçem Deum, sed "ad

* *Can.* 13. *p.* 458.

† *In Luc. p.* 117.

‖ *Can.* 13. *ibid.*

* *In Matt. E. F.* 19.

" ad unius Divinitatis perducit Notitiam. Fari-
" næ quoque ſata tria, dum non eſt in ſingulis
" diverſa Natura, ad Unitatem trahunt Subſtan-
" tiæ ".

Tertia Sententia hæc tria Farinæ ſata refert ad *Spiritum*, *Animam*, & *Corpus*, per Scripturarum Notitiam ita ad unum redacta, ut non diſcrepent inter ſe, vel ad tres in humanâ Animâ Paſſiones, *Rationabilem*, *Concupiſcibilem*, & *Iraſcibilem*. " Nos ergo, inquit † *Hieronymus*, ſi ac-
" ceperimus Fermentum Evangelicum Sanctarum † *Ibid. C. H.*
" Scripturarum, tres humanæ Animæ Paſſiones
" in unum redigentur, ut in Ratione poſſideamus Prudentiam, in Irâ odium contra Vitia,
" in Deſiderio Cupiditatem Virtutum. *Ambroſius*: " Bonis auctoribus acquieſcimus, ut dicamus
" quia Eccleſia renatum hominem, qui eſt in
" Corpore, Animâ, & Spiritu, Fermento ſanctificat Spirituali, quod utique tunc fit, cùm
" ſibi tria hæc pari quâdam Cupiditatum lance
" conſentiunt, & æqualis conſpirat Concordia
" Voluntatum: fit ergo unum Fermentum quando Caro non concupiſcit adverſùs Spiritum,
" nec Spiritus adverſùs Carnem; ſed facta Carnis mortificamus, & Anima, eo afflatu Dei fiatum Vitæ accepiſſe ſe conſcia, ſecularis Neceſſitudinis Contagia terrena declinat.

Cap. XVI. *Et in Inferno elevavit Oculos.*] Veteres, quibus placuit Schematicum hoc Emblema Statûs futuri Piorum atq; Impiorum in veram Hiſtoriam convertere, ſenſerunt Animam ſeparatam Characterem Corporis retinere. Ita * *Ire-* * *L. 2. c.*
næus; " In eâ Enarratione quæ ſcribitur *de Di-* *22.*
" *vite & Lazaro*, pleniſſimè Dominus docuit,
" non tantùm perſeverare Animas, ſed & Characterem Corporis, in quo etiam adaptantur, retinere eundem; per hæc enim manifeſtiſſimè declaratum eſt, & perſeverare Animas, & habere

" homi-

" hominis Figuram, ut etiam cognoſcantur".

† *De Animâ c.* 7. † *Tertullianus* ex his Verbis probat, Primò, Corporalem eſſe Animam : " Corporalitas, inquit, " Animæ in ipſo Evangelio relucebit. Dolet a- " pud Inferos Anima cujuſdam, & punitur in " Flammis, & cruciatur in Linguâ; ſi autem " non haberet Anima Corpus, non caperet I- " mago Animæ Imaginem Corporis, nec men- " tiretur de corporalibus Membris Scriptura, ſi " non erant ". * Porrò, " non inconſtanter, in- " quit, profitebimur ſolemniora quæque & om- " ni modo debita Corpulentiæ adeſſe Animæ " quoque, ut habitum, ut terminum, ut illud " Trifariam diſtantivum, Longitudinem dico, " & Latitudinem, & Sublimitatem, quibus me- " tiuntur Corpora Philoſophi. Quid nunc " quod & Effigiem Animæ damus, & Corporales " illis inſcribimus Lineas, Effigiem ſcilicet hu- " manam? non alia enim Animæ deputanda " præter humanam, & quidem ejus Corporis " quòd unaquæque circumtulit. Sic & Divitis " apud Inferos Lingua eſt, & pauperi Digitus, " & Sinus Abrahæ. Per has Lineas, & Animæ " Martyrum ſub Alatari intelliguntur". Figmenta hæc validè refellit || *Pſeudo-Juſtinus*, his Verbis : " Quæ de *Lazaro* & *Divite* inſtituta eſt " Narratio, Hiſtoria ſeu rei factæ Commemora- " tio non eſt; neque enim ante Reſurrectio- " nem Vitæ cuique peractæ retributio contingit; " neque poſt Reſurrectionem verum illud eſt, " *Habent Moſem & Prophetas*". Nec mirum eſt Patres hoſce Perſonis hic in Scenam productis Corporis Characterem, Effigiem, & Corporales Lineas tribuiſſe, dum eas, cum Poetis, apud Inferos talia paſſas eſſe confinxerunt, quæ ſine Corporibus nec fieri poſſunt, nec intelligi.

* *Cap.* 9.

|| *Reſp. ad qu.* 60.

Cap. XVII. 36. *Duo erunt in Agro, unus aſſumetur, & unus relinquetur.*] Id eſt, interprete

* *Hila-*

* *Hilario*, " duos Populos Fidelium, & Infidelium in ſeculo, tanquam Vitæ hujus opere, Dies Domini deprehendet; ſeparabuntur tamen, relicto alio, & alio aſſumpto; duo autem in Lecto eandem Paſſionis Dominicæ Requiem prædicantes, circa quam & *Hæreticorum*, & *Catholicorum* eadem atque una Confeſſio eſt. Sed quia Unitatem Patris & Filij *Catholicorum* Veritas prædicabit, & eandem rurſus plurimis Contumeliis *Hæreticorum* Falſitas impugnabit, idcirco ex duobus in Lecto unus relinquitur, & alter aſſumitur". * Can. 20. p. 613.

ⁿ *Hieronymus* pariter: " In duobus qui in Agro commorantur, & in duabus quæ immolent, vel Synagogam intellige, vel Eccleſiam; quòd ſimul molere videantur in Lege, & de iiſdem Scripturis Farinam terere Præceptorum Dei; vel cæteras *Hæreſes*, quæ de utroque Teſtamento, aut de altero videntur molere Farinam Doctrinarum ſuarum; & cum unum Nominis Chriſtiani propoſitum habeant, non eandem Mercedem recipient, aliis aſſumptis, & aliis derelictis". Incœpit fortè hæc Interpretatio ab *Origene*, qui Homiliâ in Matth. 31. F. 65. A, B. ſimilia obtinuiſſe ſuâ Ætate innuit. *Theophylactus* denique: " Unus aſſumetur; id eſt, juſtus occurſurus Domino in aere; unus verò, nimirum impius, infra relinquetur.

Cap. XXI. 21. *Tunc qui in Judæâ ſunt, fugiant in Montes.*] " Præceptum illud, inquit † *Hilarius*, ſecundum humanam Intelligentiam, " rationem dicti, factique non recipit". † Can. 15. p. 609. Fugit itaque, ut Patribus ſolenne eſt, ad Montes, & Tecta allegorica: " Qui igitur in Conſummatione Domûs ſuæ, id eſt, in Corporis ſui Per-

ⁿ In Matth. F. 34. C.

" fecti-

" fectione conſtiterit, Regeneratione novus,
" Spiritu celſus, & Divini muneris Abſolutione
" perfectus, non deſcendere in humiliora Re-
‖ *In Matt.* 33. *D.* " rum ſecularium Cupiditate debebit. ‖ *Hiero-*
" *nymus*, Debemus fugere è Judæâ ad Montes;
" hoc eſt, dimiſſâ occidente literâ, & *Judaïcâ*
" Pravitate, appropinquare Montibus æternis,
" de quibus illuminat mirabiliter Deus; & eſſe
" in Tecto, & in Domate, quò non poſſunt ig-
" nita Diaboli Jacula pervenire; nec deſcende-
" re, & tollere aliquid de Priſtinâ Converſatio-
" ne". Quibus ſimilia habet *Origenes*, Hom. 29. in Matth. F. 56, & 57. per totam. Juxta
* *Ep.* 80. *p.* 361. * *Auguſtinum*, quod dictum eſt, *Qui eſt in Tecto non deſcendat*, &c. poteſt congruentiùs intelligi ſpiritualiter, ne quiſquam devictus ad carnalem Vitam de ſpirituali Sublimitate deſcendat, aut qui profecerat in anteriora, ſe extendens deficiendo, in poſteriora reſpiciat. † *Theophylactus* de-
† *In Matt.* 24. 16. nique dicit, hanc eſſe quorundam Interpretationem, quòd, " Qui eſt in Tecto; hoc eſt, qui
" eſt in Celſitudine Virtutum conſtitutus, non
" deſcendat ab iſtâ Celſitudine ad Corporea.
" Oportet etiam ab Agro, hoc eſt, à terrenis
" recedere.

Cap. XXII. 57. *Ille negavit eum, dicens, Mulier, non novi illum.*] Valde abſurda, & Jeſuiticam Fraudem redolentia videntur eſſe ea, quæ hìc *Hilarius*, *Ambroſius*, & alii adducunt ad Cul-
§ *Can.* 30. pam Petri elevandam. ‖ *Hilarius* quidem, dicendo, " Propè jam, ſine Piaculo, Petrum ho-
" minem negâſſe, quem Dei Filium primus ag-
* *L.* 10. *in Luc. cap.* 13. " noverat". * *Ambroſius* verò copioſiùs fere per integram Paginam ludit in Petri Verbis, non exponendo ea, ſed à Senſu genuino pervertendo; " Prima, inquit, Vox negantis eſt *Petri*;
" quâ tamen non negavit Dominum, ſed à Pro-
" ditione Mulieris ſe ſeparâſſe videtur. Quid

" ita-

" tamen negaverit considera ; ex illis utique se
" esse, qui cum *Jesu Galilæo*, aut *Nazareno* es-
" sent ; nunquid negavit cum Dei fuisse se Filio?
" Hoc est dicere, nescio *Galilæum*, nescio
" *Nazarenum*, quem Dei Filium novi. Interro-
" gatus *Petrus*, *Et tu ex illis es, qui cum Jesu Ga-*
" *lilæo erant*, refugit Verbum Æternitatis ; non
" enim erant, qui esse cœperunt, hoc est dice-
" re, ille Solus erat, qui in Principio erat. De-
" nique ait, *Non sum Ego*, illius enim est esse, qui
" semper est. Rursus, cùm urgeretur quòd *ex*
" *illis esset*, secundùm *Marcum*, negavit --- sed
" tamen negavit se ex illis esse, non Christum
" negavit. Negaverat ex illis se esse qui cum
" *Galilæo* erant ; non negavit cum Dei Filio.
" Respondet *cum Juramento*, *quia nesciret homi-*
" *nem*, & bene negavit Hominem, quem scie-
" bat Deum. *Petrus* interrogatus ab Ancillâ,
" utrùm ex Discipulis esset illius Hominis, re-
" spondet, *Non sum* ; non enim erat Hominis
" *Apostolus*, qui erat Christi. Concordat igitur
" ubique Responsio ; nam qui dixit, *Nescio Ho-*
" *minem*, æquum erat ut interrogatus utrùm esset
" ex Discipulis Hominis, diceret, *Non sum*. Ita-
" que non Christi Discipulum se esse negavit,
" sed Hominis negavit se esse Discipulum. *Lu-*
" *cas* quoque scripsit, *Petrum* interrogatum utrùm
" ex illis esset, primâ Voce respondisse, *Non novi*
" *illum*, & bene dixit ; temerarium enim erat ut
" diceret quia noverat eum, quem Mens huma-
" na non potest comprehendere ; *nemo enim no-*
" *vit Filium, nisi Pater*. Rursus secundâ Voce,
" juxta *Lucam*, ait, *Non sum ego*, maluit videli-
" cet se negare, quàm Christum. Tertiò quo-
" que interrogatus, ait, *Nescio quid dicas*, hoc
" est, Sacrilegia vestra nescio". * *Augustinus* iti- * *Serm.*
dem ; " Hominem negavit, hominum Consor- 117. *de*
" tium refutavit ; non enim Hominis erat Apo-
" sto-

" ſtolus, qui fuerat Diſcipulus Chriſti ". " Hoc " quàm frivolum eſt, inquit † *Hieronymus*, pru- " dens Lector intelligit ; ſi [ſic enim] defen- " dunt Apoſtolum, ut Deum Mendacij reum " faciant; ſi enim ille non negavit, ergo men- " titus eſt Dominus ". || *Origenes* aliâ Viâ incedit, Petrúmque ideo non reprehendendum exiſtimat, quia, ob Spiritum Sanctum nondum Apoſtolis conceſſum, non potuit Jeſum confiteri. Hæc enim ejus ſunt Verba ; " abundantiùs con- " ſiderantes *Petri* Negationem, dicimus quòd " *nemo poteſt dicere Dominum niſi in Spiritu Sancto*, " ſicut *Apoſtolus* ait (1 Cor. 12. 2.) & nondum " erat in Hominibus Spiritus Sanctus, *quoniam* " *Jeſus nondum fuerat glorificatus*, ſicut dicit Jo- " hannes (cap. 7. 39.) propterea non erat poſ- " ſibile, neque illum talem *Petrum* tunc *Jeſum* " confiteri, nec tamen erat reprehendendus non " confitens *Jeſum*, quia ad confitentes dicitur, " *non eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus Patris ve-* " *ſtri qui loquitur in vobis.*

|| *Ho.* 35. *in Matth. F.* 83. *D.*

Sectio Quarta

Continet Patrum Commenta in Evangelium Divi Johannis.

CAP. I. 12. οἱ ἐγεννήθησαν οὐκ ἐξ αἱμάτων, *Qui nati ſunt non ex Sanguine.*] Mirum eſt *Irenæum* & *Septimium* hæc interpretari potuiſſe contra ipſam verborum præcedentium Vim, & contra commatis hujus Verba, de Chriſti ipſius Generatione, præſertim cùm id fieri non potuiſſe certum eſt, ſine Mutatione Verborum οἱ ἐγεννήθησαν

γέννησιν in ἐκ γεννήσεως, & Omissione clausulæ hujus, οὐκ ἐξ αἱμάτων. Id tamen ab * *Irenæo* bis factum esse liquet ex his Verbis : " Is qui non ex Vo- " luntate Carnis, neque ex Viri natus est Filius " Hominis, hic est Christus Filius Dei vivi ". Et rursus ; " Non enim ex Voluntate Carnis, " neque ex Voluntate Viri, sed ex Voluntate " Dei Verbum Caro factum est ". † *Tertullianus* itidem ; " Quomodo singulariter de Domino " scriptum est, à Deo natus est, quà Caro au- " tem, non ex Sanguine, nec ex Carnis & Viri " Voluntate, quia ex Dei Voluntate Verbum " Caro factum est ". Et rursus, " Dicendo, " non ex Sanguine, neque ex Carnis & Viri " Voluntate, sed ex Deo natus est, Hebioni re- " spondet.

* *L.* 3. *c.* 18. *c.* 21.

† *De Carne Christi c.* 19.

Cap. III. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex Aquâ & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.*] Summo Patrum fere omnium consensu stabilitum est, sine Baptismo neminem ad Regnum Cœlorum pervenire posse. Quod tamen abunde refellit || D. *Bernardus*, & in Casu Necessitatis Fidem valere posse ad Salutem sine Aquæ Baptismo, ex ipso *Augustino* & *Ambrosio* ostendit, & multis Argumentis demonstrat. Nec certè Rationi consentaneum est existimare Deum O. M. Infantis Animam recèns à se creatam, & in Corpus infusam, à Salute excludere velle, ob Parentum sive Errorem, sive Negligentiam, quæ penes ipsum impedire non fuit.

|| *Epist.* 73

Est etiam insuper observandum, *Augustinum*, *Fulgentium*, *Gregorium* P. aliósque, parvulos non baptizatos æternis cruciatibus subjecisse. *Augustinus* & *Fulgentius* hoc inter Dogmata firmissimè tenenda ponunt, cui qui contradixerit, *Hæreticus* & Christianæ Fidei inimicus haberi debet ; ut est à Petavio observatum. Elcontrà, *Severus*, *Fulgentij* contemporaneus, asserit, *omnes hodie Catholi-*

tholicos docere, Infantes qui sine Baptismo moriuntur beatâ Vitâ privari quidem, aliâ tamen Pœnâ non puniri.

Observandum Tertiò, *Patres Africanos* idem de Infantibus in Uteris Matrum vivere incipientibus, & ibi morientibus, definire, his apud *Augustinum*, sive *Fulgentium*, Verbis: " Firmissimè " tene, & nullatenus dubites, non solùm Homi- " nes jam Ratione utentes, verùm etiam parvu- " los qui sive in Uteris Matrum vivere incipi- " unt, & ibi moriuntur, sive cùm de Matribus " nati, sine Sacramento Sancti Baptismatis, " quod datur in Nomine Patris, Filij, & Spiri- " tûs Sancti, de hoc seculo transeunt, Ignis æ- " terni sempiterno Supplicio puniendos; quia " etsi propriæ Actionis Peccatum nullum habe- " ant, Originalis tamen Peccati Damnationem " carnali Concupiscentiâ & Nativitate traxe- * *In Matt.* " runt". Horrendum dictu, & cum * *Hilarij* fastidio rejiciendum. *Absit istud, ut quicquam sit quod Homini, nisi suâ Culpâ, malum fiat.*

Observandum Quartò, Ex his Christi Verbis, *qui credit & baptizatur, salvabitur*, statuere *Augustinum*, Fidem ad Salutem Infantum non minùs esse necessariam, quàm Baptismus; illúdque ab omni Specie Veritatis alienum subdit; *Infantes nempè Fide salvari.* En Verba clarissima; " [a] Ubi " ponis parvulos baptizatos? profectò numero " credentium; nam ideo Consuetudine Eccle- " siæ antiquâ, canonicâ, fundatissimâ, parvuli " baptizati fideles vocantur; inter credentes " igitur baptizatos parvulos numerabis, nec jâ- " dicare ullo modo aliter audebis, si non vis esse " apertus Hæreticus; ergo ideo habent Vitam " æternam, quia qui credit in Filium, habet

[a] De Verbis Apost. To. 10. p. 324.

" Vitam æternam, † noli eis sine istâ Fide, & " sine isto Sacramento, promittere Vitam æter- " nam". Quærit Apostolus, *Credent ei, de quo non audierunt?* Rom. 10. 14. Respondet *Augustinus, Credit in altero, qui peccavit in altero.* Et paulò pòst, *Quomodo credunt? Fide Parentum.* Cur pariter non baptizarentur Baptismo Parentum?

† *Ibid. p.* 323.

Observandum denique, *Johannem Forbesium*, Institutionum Theologicarum lib. decimo, cap. 9. sex Argumentis contendere, non posse ex his Verbis Christi probari, Baptismum Aquæ ex Necessitate medij esse ad Salutem necessarium.

V. 8. Τὸ Πνεῦμα ὅπου θέλει πνεῖ, Vulg. *Spiritus ubi vult spirat*; rectiùs, *Ventus quò vult flat.*] Quoniam Vox πνεῦμα πολύσημος est, & aliàs Ventum, aliàs autem Spiritum Sanctum significat, Patres multi, ambiguitate Vocis decepti, Verba hæc de Spiritu Sancto interpretabantur. Auctor Græcæ catenæ citat in hunc Sensum *Origenem, Ammonium, Apollinarium.* Gregorius Nazianz. Orat. de Spiritu Sancto p. 610, & *Ambrosius* de eodem l. 3. cap. 10. ex his Verbis pro Spiritûs Sancti Deitate militant. *Augustinus* l. secundo Quæstionum ad Simplicianum, qu. 1. hæc Verba de Spiritu Prophetico intelligit; & Commentario in locum, *Vocem ejus, inquit, audis, & nescis unde veniat, & quò vadat*; sed si nascaris, & sic de Spiritu hoc eris, ut ille, qui adhuc non est natus de Spiritu, nescit de te unde venias, & quò eas. Reliquos vide apud *Maldonatum* in locum. Hunc Sensum breviter sed falsè ridet * *Author Quæstionum Veteris & Novi Testamenti*: " Quo- " modo, inquit, quibusdam videtur de Spiritu " Sancto Salvatorem dixisse, *Spiritus ubi vult* " *spirat*, cùm constet Exempli Gratiâ locutum " hoc Salvatorem? Denique subjicit, *sic est om-* " *nis qui natus est ex Spiritu*, quid tam apertum " quàm Spiritu Ventum significari — aut pos- " sibile

* *Apud August. To. 4. p. 740.*

" sibile putant, & nec stultum videtur, ut effe-
" ctum volens Spiritûs Sancti insinuare, illum
" ipsum daret Exemplum.

V. 22. *Post hæc venit Jesus, & Discipuli ejus in Terram Judæam, & illic demorabatur cum eis, & baptizabat.* V. 23. *Erat autem Johannes baptizans in Ænon.*] Agnoscit hic *Maldonatus* graves Auctores olim sensisse Baptismum Christi, ante Passionem & Resurrectionem ejus, Spiritum Sanctum, & Remissionem Peccatorum non tribuisse; *hoc hodie*, inquit, *erroneum est*, adeóque cautè legendos esse hos Auctores; nec tamen Ecclesiam errâsse concedit, sed *Sapientiâ & Ætate profeciisse*. Unum interim de veteribus non potuit proferre qui aliter censebat. Inter Sententiæ hujus Adstipulatores *Ammonium* ponit, & *Leonem* tertium Epist. 4. ad Episcopos Siciliæ, cap. 3. *Chrysostomum*, & *Tertullianum*. [b] *Tertullianus* enim dicit, "Baptismum Johannis nihil cæ-
" leste præstitisse, sed cælestibus præministrâsse,
" & humanam Conditionem fuisse: quòd si Pœ-
" nitentia humanum est, & Baptismum ipsius e-
" jusdem Conditionis fuerit necesse est, aut da-
" ret Spiritum Sanctum & Remissionem Pec-
" catorum, si cælestis fuerit; sed neque Pecca-
" tum dimittit, neque Spiritum indulget, nisi
" Deus solus: agebatur itaque Baptismus quasi
" candidatus Remissionis, & Sanctificationis in
" Christo subsecuturæ. Nam quòd prædicabat
" Baptismum Pœnitentiæ in Remissionem De-
" lictorum, in futuram Remissionem enuntia-
† *Cap.* 11. " tum est". Porrò † de Discipulis Christi sic loquitur; " Id agebant Discipuli ut Ministri, ut
" Johannes antè Præcursor, eodem Baptismo
" Johannis, ne quis alium putet, quia nec ex-

[b] De Baptismo, cap. 10.

stat

" stat alius nisi postea Christi, qui tunc utique " à Discipulis dari non potuit, utpote nondum " impletâ Gloriâ Domini, nec instructâ Efficacia Lavacri per Passionem & Resurrectionem. " Non renascebantur, inquit [d] *Augustinus*, qui " Baptismate Johannis baptizabantur, sed quodam Præcursorio illius Ministerio, qui dicebat, *Parate Viam Domini*; huic uni in quo solo renasci poterant, parabantur. Hujus enim " Baptismus non est in Aquâ tantùm, sicut Johannis fuit, verùm etiam in Spiritu Sancto; " ut de illo Spiritu regeneretur quisquis in Christum credit, de quo Christus generatus Regeneratione non eguit". Johannis Baptisma, juxta [e] *Hieronymum*, non tam Peccata dimisit, quam Baptisma Pœnitentiæ fuit in Remissionem futuram. " Si quis quæsiverit, inquit [f] *Chrysostomus*, quid amplius habuit Discipulorum " Christi Baptisma, quàm Johannis? Dicimus, " nihil; utrumque enim pariter Gratiâ Spiritus " Sancti destitutum fuit, una utrisque baptizandi Causa fuit, nempe Christo adducere Baptizatos". Quæstioni *Cur Christus ipse non baptizaverit*, respondet, " Rationem hanc fuisse, quòd " Baptizaturus esset Spiritu Sancto, & Igne, " Πνεῦμα ἅγιον οὔπω ἦν δεδωκὸς, Spiritus autem nondum datus esset". Eadem hic dicit *Theophylactus*, & plerumque iisdem Verbis; in ratione tamen explicandâ, quare Christus ipse non baptizaverit, prolixior est.

Cap. V. 23. *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.*] Notum est omnibus, qui Patrum lectioni mediocriter Animum applicâ-

---

d Enchirid. cap. 49.
e Adv. Lucifer. F. 49.
f Hom. 29. in Joh. To. 2. p. 669.

runt, ex hoc loco contendisse Patres post-*Nicænos*, Filio æqualem cum Patre Honorem tribuendum esse; an eadem fuerit *Eusebij* & Patrum Antenicænorum Sententia, dubitandi locus est. [g] *Eusebius* enim *Ecclesiasticam Doctrinam* sic exhibet. "Hypostases duas agnoscendo, non duos Deos "esse fatemur, οὐδὲ γὰρ ἰσοτίμους ὁριζόμεθα, *nec enim* "*eas Honore pares esse statuimus*". Et tamen eodem Capite, "Oportet, inquit, nos solum "Filium, & alium neminem, θείᾳ τιμῇ σέβειν, "*divino Honore colere, sicut Patrem honoramus*". *Celso* dicenti, fas *esse Heroibus, & Dæmonibus cultum tribuere, quòd à Deo concessum est ipsos coli*; respondet *Origenes*, "Celsum de ipsis hoc non posse "probare; nos *autem de Filio Dei evidenter probare* "*posse*, [h] *hoc ei divinitus concessum esse, ut omnes honorent Filium sicut honorant Patrem.* Alibi autem dicit, *Eum dignum esse* [i] δευτερώσης μετὰ τὸν θεὸν τῶν ὅλων τιμῆς, *secundi post Deum universi Honoris ob Beneficia quæ fecit in Cælis & in Terrâ.* Et rursus, "[k] Eum Precibus honoramus, ut medium exi"stentem inter Naturam Ingeniti, & omnium "quæ sunt genita". [l] *Justinus* M. de Christianis sic ait: "Ingeniti & ineffabilis Dei Verbum "post Deum honoramus, eum nempe δευτέρᾳ "χώρᾳ ἔχοντες *secundo loco habentes*, Apol. 2. p. 60.

Cap. VI. 53. *Nisi manducaveritis Carnem Filij Hominis, & biberitis Sanguinem ejus, non habebitis Vitam in vobis.*] *Augustinus* Morem Eucharistiam tradendi Parvulis, non tantùm ex his

---

[g] Eccles. Dogm. l. 2. c. 7. p. 109. & c. 23. p. 111.
[h] Ὅτι ἀπὸ Θεοῦ δέδοται αὐτῷ τιμᾶσθαι, l. 8. p. 384.
[i] L. 7. p. 370.
[k] Ὡς μεταξύ τινα τῆς τοῦ Ἀγεννήτου, καὶ τῆς τῶν γεννητῶν φύσεως, l. 3. p. 131.
[l] Apol. 1. p. 51.

verbis

verbis ad Salutem neceſſarium, ſed ex *Apoſtolicâ Traditione* derivatum exiſtimat, ut manifeſto oſtendunt hæc Verba. [m] " Optimè primitivi " Chriſtiani Baptiſmum ipſum, nihil aliud quàm " Salutem ; & Sacramentum Corporis Chriſti, " nihil aliud quàm Vitam vocant ; unde niſi ex " Antiquâ, ut exiſtimo, & Apoſtolicâ Traditi- " one, quâ Eccleſiæ Chriſti inſtitum tenent, præ- " ter Baptiſmum, & Participationem Corporis " & Sanguinis Chriſti, non ſolùm non ad Reg- " num Dei, ſed nec ad Salutem, & Vitam æter- " nam poſſe quemquam hominum pervenire ? " hoc enim Scriptura teſtatur. Nam quid aliud " tenent qui Baptiſmum Salutem appellant, ni- " ſi quod dictum eſt (Tit. 3. 5.) *Salvos nos fecit* " *per Lavacrum Regenerationis* ? Quid aliud etiam " qui Sacramentum Dominicæ Carnis Vitam " vocant, niſi quod dictum eſt (Joh. 6. 51, 52.) " *Ego ſum Panis vivus*, &c. Et, *ſi non manduca-* " *veritis Carnem*, &c. ? Si ergo, ut tot, & tan- " ta divina Teſtimonia concinunt, nec Salus, " nec Vita æterna ſine Baptiſmo, & Corpore & " Sanguine Domini cuiquam ſperanda eſt, *Fru-* " *ſtra* ſine his promittitur Parvulis ". *Dallæus* prolixam & eruditam Diſſertationem de hâc Sententiâ edidit, cujus Epitomen ſic exhibet ; " Atque ita quidem demonſtravimus hanc, de " Euchariſtiâ Parvulis poſt Baptiſmum tradendâ, Conſuetudinem, à *Cypriani* temporibus, " ad ipſa Duodecimi Seculi initia, non in quibuſdam locis, ſed in *Oriente* & *Occidente*, apud " *Afros*, *Ægyptios*, *Græcos*, apud *Latinos* omnes, " *Italos*, *Gallos*, *Hiſpanos*, in ipsâ Urbe *Româ*, " apud cæteraſque Chriſtiani Nominis Gentes " obtinuiſſe, non aliquando, ſed à Tertio illo,

[m] To. 7. l. 1. de Peccati meritis & remiſſ. c. 20.

"quod signavimus, Seculo, constanter & perpetuò; neque denique ob probabilem duntaxat pro illius temporis ratione Causam, sed ob Salutis creditam ab illis Necessitatem, non quidem absolutam, sed Hypotheticam, si res scilicet fieri posset". Porro, notatu dignum est, quòd in hac ipsâ Dissertatione omnia *Thorndicij* πρὸ ραψῳδίας attentius perpendit, vanaque & falsa esse ea omnia, quibus hunc Morem generalem minimè fuisse, aut saltem ab uno *Augustino* ad Salutem necessarium habitum fuisse, contendit; id sanè falsum esse ex Testimoniis *Basilij*, *Amphilochij*, *Chrysostomi*, *Cyrilli Alexand.*, *Hincmari Rhemensis*, & *Amalarij* probat, dicentium, sine his Sacramentis *Nemo intrat in Vitam æternam*; & ex *Innocentij Primi*, *Gelasij*, & aliorum placitis, qui idem de Infantibus dicunt; & ex hoc loco Sententiam hanc confirmant.

Secundo, Ad Instantiam de Baptismo *Æthiopis*, de quo *Fulgentius*, responso ad *Ferrandum Diaconum*, respondet *Pallæus*, in Causæ suæ subsidium facere *Ferrandi* dubium his Verbis comprehensum; "Hæsitas qualis haberi debeat Sententia de his, qui, etiamsi legitimè sanè baptizentur, præveniente velocius Morte, Carnem Domini manducare, & Sanguinem ejus bibere non sinantur; nota quippe sunt fidelibus Salvatoris Verba dicentis, *Nisi manducaveritis Carnem Filij hominis, & biberitis Sanguinem ejus, non habetis Vitam in vobis*". Unde videre est communem tunc fuisse Eruditorum, qualis *Ferrandus* fuit, de Eucharistia ad Salutem necessaria Sententiam. Dicit insuper planè à *Fulgentianâ* discrepare *Thorndicij* Causam. Hic pugnat Eucharistiam Infantibus absque Necessitate datam à veteribus fuisse; *Fulgentius* verò hoc unum contendit, quem Mors subitò ingruens ita rapuit, ut Eucharistiam baptizatus suscipere non potuerit, ei nequa-

quaquam fraudi futurum, quòd Necessitate prohibitus est Mensæ Dominicæ participare; qui autem possit Eucharistiam baptizatus accipere, accipiendæ debito neminem solvit; plane ut in Quæstione de Baptismo ipso videmus, cujus summam Necessitatem ipsi agnoscebant veteres, nec tamen existimabant certò damnatum iri vel Adultos, qui credentes & cupientes tingi, improviso aliquo Casu ita rapti essent, ut, quod voluerint, id implere non potuerint; vel etiam Parvulos, quos acerba Mors sic oppressit, ut volentibus Aqua ministrari non potuerit. Ut enim mittam *Petrum Blessensem*, & *Hugonem* de *Sancto Victore*, unus ad hanc rem demonstrandam sufficit * *Bernardus*, qui Sententiam suam his Verbis proponit: "Credo solâ Fide Hominem posse salvari, cum desiderio percipiendi Sacramentum; si tamen pio adimplendo Desiderio Mors anticipans, seu alia quæcunque vis invincibilis obviaverit". Et rursus: "Sola Fides, & Mentis ad Deum Conversio, sine Effusione Sanguinis, & sine Perfusione Aquæ, sine dubio operatur volenti, sed non valenti, prohibente Mortis articulo, baptizari". In his Anonymo contrarium sentienti, "Opponimus tantùm, inquit, Patrum Sententias, & Verba proferimus"; hæc addens; "Miror admodum si novus iste novarum inventor Assertionum invenire in hoc Rationem potuerit, quæ Sanctos Patres latuerit *Ambrosium* & *Augustinum*; nam uterq; profectò idem sensit, quod fatemur sentire & nos. Librum certè *Ambrosij* de Morte *Valentini* legat, & advertet sine dubio Sanctum, homini non baptizato & mortuo, fidenter de solâ Fide Salutem præsumere, & tribuere indubitanter bonæ Voluntati, quod defuit Voluntati. Legat & *Augustini* contra *Donatistas* de unico Baptismo † Librum "quar-

* *Ep.* 77. *F.* 105.

† *C.* 22. *p.* 432.

" quartum,& se agnoscat vel imprudenter decep-
" tum, vel probet impudenter obstinatum".
" Baptismi, inquit, vicem aliquando implere
" Passionem, de Latrone, cui non baptizato di-
" ctum est, *hodie mecum eris in Paradiso*, B. *Cypri-*
" *anus* non leve documentum assumit; quod
" etiam atque etiam considerans, invenio non
" tantùm Passionem pro Nomine Christi id
" quod ex Baptismo deerat posse supplere, sed
" etiam Fidem, Conversionémque Cordis, si
" fortè ad celebrandum Mysterium Baptismi in
" angustiis Temporum succurri non potuit.
" Quantum utique valeat, etiam sine visibili Sa-
" cramento Baptismi, quod ait *Apostolus*, *Corde*
" *creditur ad Justitiam*, *Ore autem Confessio fit ad Sa-*
" *lutem*, in illo Latrone declaratum est. Sed
" tunc impletur invisibiliter, cùm Mysterium
" Baptismi non contemptus Religionis, sed Ar-
" ticulus Necessitatis excludit". Idem repetit
Augustinus, cap. 23, 24, 25. his Verbis: " Qui-
" bus rebus omnibus ostenditur, aliud esse Sa-
" cramentum Baptismi, aliud Conversionem
" Cordis; sed Salutem Hominis ex utroque
" compleri; nec si unum horum defuerit, ideò
" putare debemus consequens esse ut & alterum
" desit; quia & illud sine isto potest esse in In-
" fante, & hoc sine illo potuit esse in *Latrone*,
" complente Deo sive in illo, sive in isto, quod
" non ex Voluntate defuisset.

Tertiò, Ad duo Loca *Augustini* & *Innocentii*, in quibus *Thorndicius* hariolatur spiritualem Corporis & Sanguinis Christi Perceptionem, quæ Saluti sufficiat, Baptismo etiam sine Sacramentali Eucharistiæ Perceptione manifestò ascribi, re-spondet [n] *Dallæus*, in utrisque eum manifestò

[n] Cap. 4. p. 583, 584. C. 3. p. 578.

fal-

falli ; " De *Auguſtino* hoc , inquit, quiſquis ejus " dicta attenderit, non modò temere , & falsò, " ſed etiam impudenter affirmari argumentis " perſpicuis demonſtrat ". De *Innocentio* idem probat, idque *Innocentij* Verba à *Thorndicio* laudata indicant ; dicit enim, " Parvulos æternæ Vi- " tæ præmiis donari non poſſe ſine Baptiſmatis " Gratiâ, quia niſi ederint Carnem Chriſti, & " biberint Sanguinem ejus, non habebunt Vi- " tam in Seipſis ; hæc autem edere & bibere ſine " Regeneratione non poſſunt ", i. e. juxta e- undem [o], ſine *prævio Baptiſmo* ; " Non habituri " ſunt, inquit, Vitam in Seipſis, niſi manduca- " verint Carnem Filij Hominis , & biberint " Sanguinem ejus ; quod niſi *Baptizati* utique " non poſſunt.

Quod denique addit *Thorndicius*, juxta hanc Sententiam periclitari oportere Spem Salutis in Infantibus & Adultis ob Periculum ſubitæ Mortis, multis de Cauſis ingruentis ; Sententiam quam propugnamus, firmat ; eâ etenim de Cauſâ obtinuit Canon iſte per totum Occidentem, *Sacerdos ſemper habebit Euchariſtiam paratam, ne, ſi Infans infirmus eſſet, moreretur ſine iſto Sacramento.* Ita Capitulare Caroli Magni, l. 1. C. 161. Gualterius Aurelienſis, cap. 7. Regino l. 1. C. 69. Ivo Decret. Part. 2. C. 20. *Burchardus* l. 5. C. 10. Atque hæc fuſiùs ſunt dicta, ut Fundamentum iſtius Libri diruerem , quod adeò periculoſum exiſtimo, ut non tantùm de Fidei noſtræ Regulâ ex profeſſo detrahat, ſed Firmamentum omnibus Erroribus & Superſtitionibus, quæ in ſequioribus & obſcuris Eccleſiæ Temporibus irrepſerunt, addat, & Reformatæ Eccleſiæ ingens Præjudicium.

[o] Apud Auguſt. Ep. 93. p. 424. & Ep. 106. p. 487.

Cap.

Cap. VII. 6. *Doctrina mea, non est mea.*] "Contraria dicere videtur, inquit in Locum *Augustinus*, sed expectate Solutionem: Deus erat "Verbum, inde pendet hujus Solutio Quæstionis. Quæ est Doctrina Patris, nisi Verbum "Patris? Ipse ergo Christus Doctrina Patris, "si Verbum Patris. Sed quia Verbum non potest esse nullius, sed alicujus, & suam Doctrinam dixit Seipsum, & non suam; quia Patris "est. Quid enim tam tuum, quàm Tu? Et "quid non tam tuum, quàm Tu, si alicujus est "quod es"? O Acumen nullo Exemplo æquiparandum! ni fortè ejusdem Subtilitate apud *Maldonatum* in hæc Verba Commatis octavi, "*Ego non ascendo ad Diem festum istum*, scilicet, "*Scenopegiam*, quia in eo Festo ego sum, per illud ego significor, tanquam per Figuram Veritas: Quare non opus est ut ego ad illum ascendam, sed ut ille ad me descendat". Valde importunus esset *Porphyrius*, si post hæc hiscere sit ausus. Nondum Finis; nam in hæc Verba Capitis octavi v. 25. *Principium qui & loquor vobis, quod etiam vobis dixi ab Initio*: "Principium, "inquit, hoc est, Principium omnium rerum "me credite; qui & loquor Vobis, id est, qui "humilis propter Vos factus, ad ista verba descendi".] Ita pariter *Ambrosius*, *Prosper*, *Fulgentius* apud Maldonatum.

Cap. VIII. 44. *Diabolus est Mendax & Pater ejus.*] * *Hieronymus* Capite decimo quarto in Isaiam hæc habet; "Legimus in Evangelio "quod Diabolus est Mendax, & Pater ejus, hoc "est, Mendacii; quod multi non intelligentes, "Patrem Diaboli volunt esse Draconem qui "regnat in Mari, quem Hebræi Leviathan appellant". *Cyrillus* aliter dicit, nonnullos existimare "Diabolum, postquam è Cœlo deturbatus "est, in Infernum fuisse detrusum & alligatum; "alium

* F. 36. E.

" alium verò *Evam* & *Adamum* illexisse, eúmque
" superioris illius Filium à Christo appellari ".
† *Origenes* fatetur Textum ambiguum esse, duás- † *In Joh.*
que admittere Interpretationes, unam quidem *p.* 138.
quod ἔχει ὁ Διάβολος τὸν πατέρα, *Diabolus Patrem habet*. Alij Verba hæc, *Vos ex Patre vestro Diabolo estis*, de *Cain* intelligunt. Ita *Ammonius* in Catenâ; πατέρα τῶν Ἰουδαίων καλεῖ τὸν Καϊν, *Patrem Judæorum vocat Cainum*, post Satanam, cujus merito Filius appellatur, primus Hominum Homicidij, Invidiæ, Mendacij, & Fraudis Artifex extitit. P *Augustinus* (qui bis legit, Mendax est, sicut & Pater ejus) " Hoc in loco, inquit, Patrem
" *Judæorum Cain* significat, cujus Imitatores vo-
" lentes esse *Judæi*, Salvatorem peremerunt ".
Et rursus: " Hoc in loco Diabolum *Cain* esse
" dixit, Patrem autem ejus Diabolum, cujus o-
" pera secutus est; Diaboli enim Filius Diabo-
" lus est ". Denique, ‖ Quæstionibus ex utroque ‖ *P.* 776.
Testamento mixtim; " Salvator hoc loco *Cain*
" Diabolum appellavit, quia operum ejus æmu-
" lus, dum invidit Fratri, Homicidium perpe-
" travit ". * *Epiphanius*, qui legit cum Archon- * *Hær.* 49.
ticis, ὅτι Πατρὸς αὐτῶν ψεύστης ἐστὶν, de *Juda* & *Caino* *p.* 206.
hæc dicta esse existimat. " Salvator in eo quem
" cum Judæis habuit Sermone nequaquam de
" Diabolo locutus est, sed ob Judam hoc dixit;
" non enim Abrahæ Filij erant, sed perfidiæ
" *Judæ* Filios se suâ Sententiâ declarárunt, quem
" Christus Diabolum appellavit his Verbis, *Non-*
" *ne duodecim vos elegi? & unus ex vobis Diabolus*
" *est*. Is ergo Diaboli Nomine insignitus Pa-
" trem habuit *Cainum*, qui Abelum Fratrem
" mendacio suo fefellit ". Eadem habet Hær.
~~48. quæ est Cajanorum, §. 45.~~

P Qu. ex Vet. & Nov. Test. Qu. 9. 759.

V. 57. *Quinquaginta Annos nondum habes.*] * *L. 2. c. 39.* " Homo, juxta * *Irenæum*, quadrageſimo aut " quinquageſimo Anno declinat in Ætatem ſe- " niorem, quam habens Dominus noſter doce- " bat, ſicut *Evangelium, & omnes Seniores qui in* " *Aſiâ cum Johanne Diſcipulo Domini convenientes* " *teſtantur*, id ipſum tradidiſſe eis *Johannem*. " Quidam autem eorum non ſolum *Johannem*, ſed " & alios Apoſtolos viderunt, & hæc eadem ab " ipſis audierunt, & teſtantur de hujuſmodi re- " latione ". En omnes Aſiæ Seniores ab ore *Johannis*, & aliorum *Apoſtolorum*, unâ Voce teſtantes ſe Traditionem de re manifeſtò falsâ accepiſſe, atque adeò *Apoſtolos* iſtos de Chriſto falſos Teſtes extitiſſe. En Virum Apoſtolicum ea ex *Johannis* Evangelio probantem, quæ tam Evangelio, quàm Symbolo Fidei noſtræ planè repugnant; ſi enim Chriſtus Anno Ætatis ſuæ quinquageſimo aut quadrageſimo docebat, non potuit pati ſub Pontio Pilato. Certum eſt igitur Virum *Apoſtolicum* tam in Scripturis interpretandis, quàm in Traditione ab ore Apoſtolorum receptâ, & Teſtimonio, ut dicit, omnium Aſiæ Seniorum confirmatâ, à Veritate prorſus deviâſſe.

Cap. IX. 3, 5. *Interrogârunt eum Diſcipuli ejus; Rabbi, Quis peccavit, Hic, an Parentes ejus, ut cæcus naſceretur?*] Notatu digniſſima ſunt ea quæ hìc *Cyrillus Alex. Chryſoſtomus*, & *Theophylactus* ſummâ cum Ratione diſceptârunt, præſertim ſi comparentur cum Frigidis, Inſulſis, & ſibi repugnantibus *Auguſtini* in hunc locum Scholiis. Et,

Primò, Breviarium Capitis [q] *Cyrilli* in hunc locum ſic ſe habet, quòd nec Peccata Parentum

---

q Ὅτι οὐκ ἁμαρτίας τῶν πατέρων ὅτι τέκνα, ἢ πάντων ἐπάγει πόνον ὁ Θεὸς, Com. in Joh. l. 6. p. 588.

in

in Filios, nec quorundam Deus ullis infert, puniens eos qui nihil deliquerint. Initio verò Capitis agnoscit se contra duo nefaria Dogmata scribere, illud nempe Judæorum, qui non parum murmurabant, & Deum sugillabant, tanquam iniquissimum Judicem, & [r] præter omnem Rationem Peccata Patrum eis impingentem; & illud quorundam *Christianorum*, qui, Græcorum Errorem Ecclesiæ placitis adjungentes, docuissent Animas Hominum antea in Peccatum lapsas ob Pœnam in Corpora includi; dicítque *Christum* hâc unicâ Oratione utrorumque Absurditates sustuliſſe: *Judæorum*, dicendo Cæcum natum esse hunc Hominem, οὐκ ἀπὸ τινος πλημμελίας, ὅτι ἐξ οἰκείας, ὅτε προγονικῆς, nec ob ullum Peccatum proprium, nec ob Peccatum Progenitorum, Patris aut Matris: *Origenistarum* verò, dicendo, non is peccavit quòd Cæcus natus sit, manifestò designans tempus quod Nativitatem præcessit, quo tempore cùm omnino non essent, non peccârunt. *Quomodo enim peccaret id quod nondum ad ortum vocatum est?* * *Isidorus Peluſiota* eadem fere habet de Sententiâ *Judæorum* & *Græcorum*, his Verbis; "Eversa est *Judæorum* Sententia, di- " cendo, Patres ejus non ita peccâsse ut Cæcus " natus esset; Græcorum hoc dicto, neque is " peccavit, πῶς γὰρ πρὸ τοῦ γενέσθαι, quomodo enim " peccare potuisset, antequam natus sit"? Porrò statuunt hìc Patres ἐσφαλμένην εἶναι τὴν ζήτησιν Quæstionem hanc Discipulorum ex Errore natam esse, *quoniam non potuit quispiam peccare antequam nasceretur*, nec potuit Filius Patris peccantis Pœnas luere; *quomodo enim peccaret antequam natus sit, aut quomodo Patrum peccantium Pœnas lueret?*

* *Ep. l. 2. Ep. 272.*

---

r Καὶ ἀλογώτατα τὰς τῶν Πατέρων ἁμαρτίας ὀφειλῶν Θεὸς τοῖς. Ibid.

Se-

Secundò, Dicunt, Discipulos Christi hæc quæsiviſſe Occaſione *Paralytici* ſanati, cui Chriſtus dixerat, *Abi, & ampliùs non pecca*, Paralyſin hanc ei ob Peccatum contigiſſe inſinuans, quod in hoc Exemplo obtinere non potuiſſe exiſtimabant; eos igitur inducunt ad hunc modum quærentes, ἕτος ἥμαρτεν, Hiccine peccavit? hoc utique dici non poteſt, cùm Cæcus naſceretur. Num Parentes ejus? nec illud dici fas eſt, υἱὸς γὰρ οὐκ ἀποθνήσκει ὑπὲρ πατρὸς ἀδίκου δίκην, Filius enim ob Patris Delictum Pœnas non luit. Ita *Chryſoſtomus*, *Cyrillus*, *Theophylactus*.

Tertiò, Hoc planè Iniquum pronuntiant, & à Judicio Dei alienum; quomodo enim fas eſt uno peccante puniri alterum? ἐκ δίκαιον ὅτι, nec juſtum eſt ἁμαρτίας τῶν πατέρων πρὸς μηδὲν ἀδικοῦντα ἐπιδικάζειν, Peccata Patrum in Filios nihil injuſtè facientes, vindicare? Eſt potiùs judicandum Juſtitiæ Fontem nihil injuſtè facturum eſſe: Quomodo enim ſit patiens & longanimus, qui non in peccantis Caput Pœnæ modum terminet, ſed in tertiam & quartam Generationem? Hìc autem, quoniam Secundi Præcepti Comminatio objici potuit, ut ab hoc ſe nodo expedirent, diligenter operam impendunt; dicunt enim *Chryſoſtomus* & *Theophylactus*, Præcepto hoc non indicare Deum, quòd Filij puniuntur ob Patrum Crimina, ſed quod *Pœnæ Parentum reddentur Filiis*, τὰ ὅμοια πεπληρωμελημένοις, *pari modo peccantibus*. *Cyrillus* verò reſpondet, *Judæos* haud ita delirare, ut carpant divina oracula quaſi non optimè prolata, ſed multùm à Juſtitiæ Normâ aberrantia; ſed tamen adeò Ignorantiæ ſuæ indulgere, ut putent Patrum Delicta trajici in Filios, Iramque divinam ad tertiam quartámque Generationem pertingere, ἐκ ἂν ἡμαρτηκότας ἀδίκως κολάζεσθαι injuſtè punientem nullius Criminis reos, ob ea quæ aliis imputantur. Quomodo enim non magis

gis deceret eos existimare, quòd is, qui omnis Justitiæ Fons est, non faciet ea quæ humanâ Consuetudine deteriora sunt? Homines enim Legum Transgressoribus Pœnas infligunt; eorum Liberis, nisi Criminis Consortes fuerint, nullas Pœnas inferentes; Pœna enim est Peccantium tantùm. Denique quòd Deus nec soleat, nec voluerit Parentum Peccata in Filios vindicare, probant ex decantato Ezechielis loco, *Filius non feret Iniquitates Patris*; & ex Verbis Deut. 24. 16. ubi prohibet Deus ne alij id faciant. Cùm ergo absurdum existiment, ἐκ γονέτης ἁμαρτεῖν καὶ κολάζεσθαι, *ex ortu peccare quempiam & puniri*, cùm id à Scripturis & ab ipsâ Æquitate alienum putent, ut alius pro alio, Filius pro Patre peccante puniatur, absurdum existiment necesse est ex ortu Infantem Peccati Originalis reum esse, atque adeò Pœnæ gravissimæ obnoxium, à Scripturis & Justitiâ alienum pro *Adami* Peccato integram ejus Sobolem Pœnis gravissimis afficere. Cùm denique tantâ Contentione laborârunt secundum Decalogi Præceptum in alium quàm postulat Sensum exponere, ut Deum ab Injustitiâ liberarent, fieri ne potuisset ut ipsi censerent Deum ob unius Primi Parentis Lapsum Filios ejus universos non tantùm Pœnis in millesimam Generationem subjecisse, sed etiam Peccati propriè sic dicti reos fecisse, &, cum Augustino in hunc locum, *Iræ, Vindictæ, immo Gehennæ Filios, quia peccante uno Homine Vitium pro Naturâ inolevit.* Aliud certè sapuerunt Christiani etiam Bernardi ætate, quo Teste, * Parvulis, & nedum Ratione utentibus, sola credebatur nocere Peccati Contagio, non autem mandati Prævaricatio. Denique notatu dignissima sunt hæc *Cyrilli* in Comma 34tum hujus Capitis Verba; "Cæcum in Peccatis "natum esse aiunt, *Judaicâ* amentiâ in eo delirantes, καὶ ἀγνοοῦντες ὅτι συναγορεύοντες ἁμαρτὸς, "& in-

* *Ep.* 77. *F.* 105. *G.*

" & ineptè ſuffragantes Sententiæ quæ conſiſtere
" non poteſt ; quòd enim omnium qui ſunt,
" nemo neque propter ſe propriè, neque propter
" Parentes ſuos, vel Cæcus, aut alio quodam
" Corporis incommodo affectus naſcitur, ſed
" etiam quòd neque Patrum Peccata in Filios
" transfert Deus, non incomptè, ut opinor,
" jam probatum eſt, propoſito nobis ad expli-
" candum illo dicto, *Rabbi, Quis peccavit*, &c.

Cap. X. 2, 3. *Qui intrat per Oſtium, Paſtor Ovium eſt. Huic Oſtiarius aperit.*] *Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Leontius*, & *Theodorus Heracleotes* per Oſtium hìc intelligunt Sacras Scripturas, Chriſto in contrarium dicente, *Ego ſum Oſtium.* Sed malæ Interpretationis optimam & veriſſimam Rationem aſſignant, nempe quòd quiſquis bonus Paſtor eſt, Scripturis probare debet quæ dicit, & per eas quodammodo in aures audientium ingredi. *Oſtiarium Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Leontius*, & *Theodorus Mopſueſtienſis Moyſem* eſſe exiſtimant ; malè iterum. Sed peſſimè, ut ſolet, *Auguſtinus*, qui Chriſtum Oſtiarium hic dici exiſtimat, atque adeò Chriſtum Sibiipſi Oſtium aperire facit.

V. 26. *Ego & Pater unum ſumus.*] Poſt Controverſiam de *Arianiſmo* ortam, omnes, qui contra *Arium* pugnabant, hunc locum de Eſſentiæ Unitate & Identitate interpretabantur : & Senſum *Arianorum*, qui de Unitate & Concordiâ Affectûs & Voluntatis hæc Verba intelligebant, totis Viribus impugnabant ; quem tamen Patribus quibuſdam Antenicænis placuiſſe video ; eóſque hunc Textum Collatione cum Verbis Act. 4. 32. *Credentium Cor unum fuit, una Anima*, & D. Pauli, 1 Cor. 3. 8. *Paulus qui plantat*, & *Apollo qui rigat*, ἓν εἰσιν, *unum ſunt*, vel elucidâſſe, vel à vero Senſu pervertiſſe. Id fecit † *Novatianus*, ut hæc ipſius Verba teſtantur ; " Unum autem quòd " ait

* *De Trin.* c. 22.

" ait, ad Concordiam & eandem Sententiam, &
" ad ipsam Charitatis Societatem pertinet ; ut
" meritò unum sit Pater & Filius per Concordi-
" am, & per Amorem, & per Dilectionem.
" Novit hanc Concordiæ Unitatem & *Apostolus*
" *Paulus*, cùm ad Corinthios scriberet, *Qui au-*
" *tem plantat, & qui rigat, unum sunt*; quis autem
" non intelligat alterum esse *Apollo*, alterum
" *Paulum*, non eundem, atque ipsum *Apollo* pa-
" ritèr & *Paulum*? hos tamen duos, non quòd
" unus sit, sed quòd unum sint, proposuit *Apo-*
" *stolus Paulus*". *Celso* objicienti Christianis, eos non unum tantùm Deum colere, quoniam Christum nuper natum ὑφ' ἑρπετεύων immensis extol-
" lunt honoribus, respondet * *Origenes* his ver- * *L.* 8. *p.*
" bis : " Si Celsus intellexit illud, *Ego & Pater* 385, 386.
" *unum sumus*, & illud in Precatione dictum à Fi-
" lio Dei, *sicut Ego & Tu unum sumus*, non existi-
" mâsse nos alium colere præter eum qui est Deus
" super omnia ; ait enim, *Pater est in me, & Ego in*
" *Patre*. Quòd si quis, inquit, his motus vere-
" bitur ne fortè in eorum Sententiam accedamus, qui negant δύο τὰς ὑποστάσεις, *duas esse Sub-*
" *sistentias* Patrem & Filium, audiat illud, *erat*
" *autem omnium Credentium Cor unum, & Anima*
" *una*, ut percipiat quo Sensu dictum sit, *Ego &*
" *Pater unum sumus*". Et paulò pòst : [s] " Itaque
" religiosè colimus Patrem Veritatis, & Verita-
" tem Filium, *quæ subsistentiâ duo sunt, unum ve-*
" *rò Concordiâ, Consensu, & Consilij Unitate*". Et Commentario in Johannem asserit, " Voluntatem Dei esse in Filij Voluntate immutabili à
" Voluntate Patris ; [t] quæ quidem una Voluntas

---

[s] Ὅντα δύο ὑποστάσει πράγματα, ἓν δὲ τῇ ὁμονοίᾳ καὶ τῇ συμφωνίᾳ, καὶ τῇ ταυτότητι τοῦ βουλήματος. Ibid.

[t] Ὅπερ, ἓν θέλημα εἶπον εἶναι τὰ λέγειν τὸν υἱὸν, ἐγὼ καὶ πατὴρ ἓν ἐσμέν. Ed. Huet. To. 2. p. 227.

" causa fuit cur dixerit Filius, *Ego & Pater unum* " *sumus*, & ob hanc Voluntatem videns Filium, " vidit & Patrem qui misit eum ". Denique [v] *Clemens Alex.* in hæc Jeremiæ verba, *Deus appropinquans ego*, hæc habet; " Longè quidem jux- " ta Essentiam, quomodo enim quod est geni- " tum appropinquaret ingenito ? Proximè au- " tem Potestate, quâ in Sinu omnia complecti- " tur ". Et rursus ; [x] *Filij Natura est soli omnipotenti propinquissima.*

Cap. XIV. 28. *Pater Me major est.*] Notandus est hic locus propter Controversiam inter *Arianos* & Orthodoxos, " Qui omnes in eo con- " veniunt, inquit *Maldonatus*, Christum tan- " quam Hominem loqui, adeóque mirandum " non esse si se Patre minorem dicat ". Et tamen paulò inferiùs undecim Patres adducit agnoscentes, Patrem Filio majorem dici, eò quòd esset Principium, & Causa Filij. Veriùs dixisset Patres *Antenicænos* fere omnes hæc Verba ad superiorem Filij Naturam retulisse. Id facit || *Irenæus* dicendo, " Si quis exquirat Causam propter " quam in omnibus Pater communicans Filio, " solus scire Horam & Diem à Domino mani- " festatus est, neque aptabilem magis, neque de- " centiorem, nec sine periculo, alteram quàm " hanc inveniet in præsenti, ut discamus per ip- " sum super omnia esse Patrem : Etenim *Pater*, " ait, *major Me est.* [y] Sic & Pater alius à Filio, " dum Filio major, dum alius qui generat, ali-

|| *L. 2. c. 49.*

---

[v] Πόῤῥω μὲν κατ' οὐσίαν· πῶς γὰρ συνεγγίσαι τὸν γεννητὸν τῷ ἀγεννήτῳ; Strom. l. 2. p. 360, 361.

[x] Ἡ υἱοῦ φύσις ἡ τῷ μόνῳ παντοκράτορι προσεχεστάτη, l. 7. p. 702.

[y] Pater, juxta Tertullianum, est tota Substantia, Filius verò Derivatio totius & Portio, sicut ipse profitetur, *Quia Pater major Me est.* L. adv. Prax. Cap. 9.

" us

" us qui generatur, dum alius qui mittit, alius " qui mittitur, alius qui facit, alius per quem " fit ". * *Novatianus* : " Qui accipit Sanctifi- " cationem à Patre, minor Patre est : Minor " autem Patre consequenter est Filius. Si " enim Pater esset, Sanctificationem dedisset, " non accepisset ; nunc autem profitendo San- " ctificationem se accepisse à Patre, hoc ipso " quo (probat) se Patre minorem, probat & Fi- " lium esse ". [z] *Origenes* quidem Verbis *Arianis-* *mi* suspicionem inducentibus utitur : " Esto, in- " quit, quosdam in hac numerosâ Credentium " Multitudine esse, qui discrepantes ab aliis " temerè affirment Salvatorem esse Deum super " omnia ; nos certè hoc non dicimus, qui cre- " dimus ipsi dicenti, *Pater qui misit Me major Me* " *est* ; nos enim prædicamus eum Creatoris, qui " hunc Mundum sensibilem condidit, Filium " non fortiorem Patre, sed inferiorem ; quod " quidem dicimus ipsi credentes dicenti, *qui Me* " *misit major Me est*". [b] *Methodius* pariter : " Decuit ipsi, qui post Patrem omnibus aliis ma- " jor est, soli, Patris ipso majoris uti Testimo- " nio ". Denique [c] *Eusebius*, loquens de Naturâ Christi quâ Deus censetur, fatetur se scribere de diviniore quàm plerisque videtur, Dispensatione. Hæc autem qui cum Symbolo quod dicunt *Athanasij* componere potest, erit mihi magnus Apollo.

* *De Trin.* c. 22.

---

z Σωτῆρα εἶναι τὸν ὑπὲρ πάντα Θεὸν, ὅτε γε ἡμεῖς τοιοῦτοι οἱ πειθόμενοι αὐτῷ λέγομεν, ὁ Πατὴρ ὁ πέμψας με μείζων μού ἐστι. adv. Celsum l. 8. p. 387.

Οὐκ ἰσχυρότερον τοῦ Πατρὸς, ἀλλ' ὑποδεέστερον.

a Apud Combefis. Conviv. Orat. p. 101.

b Περὶ δευτέρας ἢ κατ' ἐξοχὴν τοῖς πολλοῖς οἰκονομίας. Hist. Eccl. l. 1. p. 4.

Cap. XVII. 5. *Et nunc clarifica me claritate quam apud te habui priusquam mundus esset.*] "Omnes fere, inquit *Maldonatus*, quos legi Auctores, Christum de Gloriâ humanæ Naturæ, non Divinæ loqui putant, eò quòd divina Natura infinitam Gloriam semper habuit". Ita *Hilarius, Chrysostomus, Theodorus Heracleotes,* & *Mopsuestienſis, Leontius, Augustinus, Beda, Theophylactus, Euthymius.* Hæc tamen Sententia ex eo refutatur, quòd humana Christi Natura nullam habuit Existentiam, Gloriam certè nullam, priusquam Mundus esset. Patres verò *Antenicæni* hoc de Verbo, id est, de Christi divinâ Naturâ intelligebant. Ita † *Irenæus*: "Ante omnem Conditionem glorificabat Verbum Patrem suum manens in eo, & ipse à Patre glorificabatur, quemadmodum ipse ait, *Pater clarifica me Claritate quam apud te habui priusquam mundus fieret*". † *L.* 4. *c.* 38.

‖ *Cap.* 24. ‖ *Novatianus* etiam: "Si Homo tantummodo Christus, quomodo dixit, *Et nunc clarifica me Gloriâ quam apud te habebam priusquam mundus esset?* Si, antequam mundus esset, Gloriam habuit apud Deum, & Claritatem tenuit apud Patrem ante mundum fuit; nec enim habuisset Gloriam, nisi ipse priùs fuisset qui Gloriam posset tenere". [c] *Origenes* dicit, his Verbis Patrem eum orare, ut sit qualis in Principio erat apud Deum, Deus & Verbum existens in propriâ Gloriâ. Denique, hinc Christi Deitatem probat *Cyprianus*, l. 2. adv. *Judæos*, N. 1.

Joh. XX. 19. *Venit Jesus cùm Fores essent clausæ.*] Ex hoc loco Patres multi, quartâ quintâque Centuriâ, colligebant Christi Corpus per

---

[c] Ἵνα γένηται ἐποῦ ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς Θεὸν Θεὸς ᾧ Λόγος ὢν ἐν τῇ ἰδίᾳ δόξῃ, in Matth. Ed. Huet. p. 392.

clausas

clausas januas penetrâsse, vel saltem in aeream Tenuitatem conversum, per Januæ rimas, ad locum ubi *Apostoli* congregati essent, perveniisse. Ita * *Pseudo-Justinus* asserit, Christum divinâ Potentiâ ad Discipulos intrâsse, θυρῶν κεκλεισμένων, *Foribus clausis.* † *Hilarius*: "Quæro per quas "clausæ Domûs Partes Sese corporeus intulerit? "diligenter enim *Evangelista* expressit, dicens, "*Venit Jesus Januis clausis*: Integra sunt omnia, "& obserata, sed ecce assistit medius, cui per "Virtutem suam universa sunt obvia". ‖ *Ambrosius*: "Habuit admirandi causam *Thomas*, "cùm videret clausis, omnibus per invia septa "Corporibus, in ostensà Compage Corpus insertum. Et ideo mirum, quomodo Se Natura "corporea per impenetrabile Corpus infuderit". d *Amphilochius*: "Januis clausis stetit Dominus "in medio Discipulorum, ut scias quòd Corpus "tuum animale seminatum resurget Corpus spirituale". e *Epiphanius* dicit, Christum post Resurrectionem Corpus habuisse conversum εἰς λεπτότητα πνευματικὴν, in Tenuitatem spiritualem, & propterea clausis Januis ingressum esse, quod à Corporibus nostris fieri non potest. * *Theodoretus* Eranistæ, ex hoc probanti Naturam Corporis Christi mutatam fuisse, respondet, quod Christus Januis clausis ingressus est, ὡς ἐξῆλθεν ἐκ μήτρας, *sicut ex Utero exivit* Claustris Virginis manentibus. f *Hieronymus* contra Errores *Johannis Hieros.* "Comedit post Resurrectionem & bibit, "sed non dissimulat Naturam aërei Corporis & "spiritualis, *Clausis enim ingreditur Ostiis*". Si-

* *Resp. ad qu.* 117.
† *De Trin.* p. 48.
‖ *L.* 10. *in Luc. c.* 28. p. 165.
* *Dial.* 2. p. 79.

---

e "Ὅτι καὶ σὺ τὸ ψυχικὸν σῶμα σπαρὲν, ἐγείρεται σῶμα πνευματικόν. Apud Theodoret. Dial. 2. p. 101.

f Hær. 64. §. 64. p. 593.

g Epist. ad Pammach. F. 62. H.

milia dicunt *Chryſoſtomus*, *Cyrillus Alexand. Auguſtinus*, *Euthymius*, & *Theophylactus* in Locum. Hanc tamen Sententiam non eſſe neceſſariam docet † *Durandus*: "Nam ſi per Januas, inquit, "intravit, potuerunt Januæ ſubitò aperiri, & ſubitò claudi, ita ut apertio & clauſio lateret Diſcipulos". Imo hinc *Marcionis* & *Origenis* Sententia corroboratur; non enim Caro manet id quod εἰς λεπτότητα πνευματικὴν converſum eſt, nec Carnis Natura id patitur.

† *Diſſ.* 44. *q.* 6.

Cap. XXI. v. 32. *Exiit ergo Sermo iſte inter Fratres, quia Diſcipulus iſte non moritur.*] Hinc obtinuit multorum Sententia *Johannem Evangeliſtam* non mortuum fuiſſe, ſed in Cælos tranſlatum, ut Chriſto, in ſecundo ejus Adventu, Præcurſor eſſet. Ita § *Hippolytus*: "Prior ipſius Adventus "Præcurſorem habuit *Johannem Baptiſtam*; poſterior autem, quo venturus eſt in Gloriâ, *Enoch* & *Eliam*, & *Johannem Theologum* exhibebit". *Ephrahemus Patriarcha Theopolitanus* apud || *Photium*, non modò ab Eccleſiæ Traditione, ſed ex his Verbis hoc colligit: "Quòd, inquit, *Superſtes* "*eſt ergo Johannes, ſicut Enoch & Elias, Traditio* "*teſtatur*, & quòd in Evangeliis traditum eſt, "εἰς τὸν αὐτὸν ἡμᾶς νῦν ἕλκει, in eandem nos Mentem trahit". Et, recitato Chriſti cum *Petro* colloquio, "Veritas, inquit, prædicit μέχει τῆς "παρουσίας αὐτῦ διαμονὴν, *Manſionem ejus uſque ad Adventum Chriſti*". * *Ambroſius*, citans hæc Verba, addit: "De Morte Johannis aliqui dubitaverunt, de tranſitu ejus per Ignem dubitare "non poſſumus, quia in Paradiſo eſt, nec ſeparatur à Chriſto". Hinc ortum eſt aliud Figmentum, *Johannem* non tam mortuum eſſe, quàm dormire ſub Terrâ. Ita † *Auguſtinus*: "Aſſerat

|| *Cod.* 229. *p.* 797, 799.

* *Ho.* 20. *in Pſalm.* 118. *p.* 573.

† *Tract.* 124. *in Johan. To.* 9. *p.* 569.

§ Ed. Lat. Pariſ. 1556. p. 27, 28.

aliquis

" aliquis *Apostolum Johannem* vivere, atque in il-
" lo Sepulchro ejus quod est apud Ephesum dor-
" mire eum, potiùs quàm mortuum esse conten-
" dat; assumat in Argumentum quòd illic sen-
" sim scatere, & quasi ebullire perhibetur, at-
" que hoc ejus Anhelitu fieri, sive constanter, si-
" ve pertinaciter asseveret, hoc, inquit, revera
" non à levibus Hominibus audivimus". Huic Sententiæ Robur aliquod accessisse videatur ex malâ vulgati Versione, quæ sic se habet, *Sic volo eum manere donec venio*; ita enim legunt *Ambrosius* & *Augustinus*, & multi alij apud *Maldonatum* in Locum.

Sectio Quinta

Continens Patrum Glossemata in Acta Apostolorum.

Cap. II. 38. *Baptizetur unusquisq; vestrûm in Nomine Jesu Christi.*] Ita Cap. VIII. 12. *In Nomine Jesu* baptizabantur *Samaritani Viri & Mulieres.* In Nomine Jesu Christi *Cornelium* cum Amicis & Cognatis suis jussit *Petrus* baptizari, Act. X. 48. Denique duodecim Discipuli *Johannis B.* baptizati sunt in Nomine *Domini Jesu*, Act. XIX. 5. Hæc ut concilient Patres quidam cum Mandato Christi jubentis Apostolos *baptizare in Nomine Patris, Filij, & Spiritûs Sancti*, ad ἐνεγμα illud * *Irenæi* confugiunt, quòd in Christi Nomine subauditur, *& ipse qui unxit*, & *ipse qui unctus est*, & *ipsa Unctio in qua unctus est*: Et unxit quidem Pater, unctus est verò Filius, in Spiritu

* *L. 3. c. 20. p. 246.*

qui est Unctio. [a] *Basilius* huic Objectioni iisdem fere Verbis respondet, nempe, "Christi Appellationem totius Deitatis esse Confessionem; "indicat enim & Deum qui unxit, & Filium "qui unctus est, & Spiritum qui est Unctio; "quemadmodum à Petro in Actis didicimus, "*Jesum Nazarenum quem unxit Deus Spiritu Sancto*". † *Ambrosius* similiter: "Rationem sequamur; "qui unum dixerit, Trinitatem signavit; si "Christum dicas, & Deum Patrem à quo unctus "est Filius, & ipsum qui unctus est Filium, & "Spiritum, quo unctus est, designasti: Scriptum est enim, *Hunc Jesum Nazarenum quem "unxit Deus Spiritu Sancto*". Solutionem tamen hanc admittere non possunt ij, qui essentialem Baptismi Christi Formam constituunt in expressâ distinctâq; trium Personarum, Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, Recitatione; & cum *Nicæno* primo, & aliis Conciliis statuunt Baptismum, qui non fit in Nomine Patris, Filij, & Spiritûs Sancti, esse iterandum.

† *De Sp. Sancto. l.* 1. *c.* 3.

Cap. X. 34. *Non est Personarum Acceptor Deus.* V. 35. *Sed in omni Gente qui timet eum, & operatur Justitiam, est acceptus illi.*] Hinc Patres antiquissimi non tantùm agnoscunt *Gentiles*, secundùm Rationis principia viventes, Salutis capaces esse, sed eos *Christianos* pronuntiant. [b] *Justinus* M. Objectioni huic *Ethnicorum*, quòd, juxta Doctrinam Christianorum, omnes qui ante Christum vixerunt Insontes fuissent, respondet ad hunc modum; "Christum esse Dei primogenitum "Λόγον, sive Rationem, priùs indicavimus, cujus

---

[a] Ἁπλοῖ γὰρ κεχείσανται Θεὸν, καὶ τὸν χριόντα Υἱὸν, καὶ χρῖσμα τὸ Πνεῦμα. De Sp. Sancto. l. 1. c. 12. p. 35.

[b] Καὶ οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες χριστιανοί εἰσι. Apol. 2. p. 83.

uni-

" universum Hominum Genus est Particeps; & " quicunque secundùm Rationem vixerunt Chri- " stiani sunt, quamvis Athei dicebantur, quales " inter Græcos fuere *Socrates* & *Heraclitus*". [c] *Clemens Alex.* dicit, Philosophiam eam ipsam Sapientiam fuisse, quam Deus per *Solomonem* promittit eam diligenter scrutantibus; iis enim, qui per Philosophiam justificati fuere, Auxilium & Intelligentia ad Pietatem in Deum reconditur. Ante enim Christi Adventum, Philosophia fuit Græcis ad Justitiam necessaria: Nam ipsa Græcos manuduxit, sicut Lex Hebræos, ad Christum. Alibi dicit, Deum Græcis concessisse Philosophiam, per quam omnipotens ab iis glorificatur. Et rursus; Apostolos ad Inferos missos fuisse existimat, ut Hebræos & Gentes, id est, ut eos, qui ex Justitiâ quæ est ex Lege, & ex Philosophiâ, vixerant quidem, sed non perfectè, ad Conversionem deducerent. ‖Immo hanc Oeconomiam necessariam esse pronunciat, ut Deus non injustus, aut Personarum Acceptor haberetur. A Ratione minùs absonum est illud [d] *Origenis*; " Si videatur *Apostolus* condemnare *Gentes*, ex eo " quòd, naturali Intelligentiâ cùm cognovissent " Deum, non sicut Deum glorificaverunt, quo- " modo non putamus quòd etiam collaudare eos " possit, & debeat, si, qui in his cognoscentes " Deum, sicut Deum magnificent? Dubitari " igitur non puto quin is, qui pro malo Opere " condemnari meruisset, idem, si operatur bo- " num, Remuneratione boni Operis dignus ha- " beretur". Juxta *Hieronymum*, " *Erat Lux ve-*

‖ *L.* 16. *p.* 638.

---

[c] Ἦν μὲν ἓν, περὶ τῆς τῶ Χριςῶ παρεσίας, εἰς δικαιοσύνην Ἕλλησιν ἀναγκαία φιλοσοφία. Strom. 1. p. 282.

[d] Ἐπαιδαγώγει γὰρ αὐτὴ τὸ Ἑλληνικὸν, ὡς ὁ νόμος τὸν Ἑβραῖον εἰς Χριςόν. Strom. 6. p. 636.

[f] De Exhort. Castitatis, cap. 7.

" ra

" *ra quæ illuminat omnem Hominem venientem in*
" *Mundum*, ex quo perspicuum fit Naturâ inesse
" omnibus Dei Notitiam, nec quenquam sine
" Christo nasci, & non habere in se Semina
" Virtutum, unde multi, absque Fide & Evan-
" gelio Christi, vel sapienter faciunt aliquid,
" vel sanctè, ut cùm Parentibus obsequantur,
" inopi Manum porrigant". Per hanc Sen-
tentiam, juxta *Chrysostomum*, respondemus Scepti-
cis interrogantibus, ubi *prioribus temporibus erant*
talis Providentiæ Indicia? Hom. 5. in Rom. p. 33.
Gratia Dei, juxta Authorem *Vocationis Gentium*,
* *L. 2. c. 5.* " * Nullis seculis se negavit, Virtute una, Quan-
" titate diversa, Consilio incommutabili, Ope-
† *C. 15.* " re multiformi". Et rursus: "†Adhibita est
" semper universis Hominibus quædam supernæ
" Mensura Doctrinæ, quæ, etsi occultioris
" paucioriſque Gratiæ fuit, suffecit tamen qui-
" busdam ad Remedium, omnibus ad Testimo-
" nium". ‖ *Augustinus* denique quærit an ante
‖ *De Civ. Dei l. 18. f. 47.* Christi Tempora aliqui fuerint, extra Israeliti-
cum Genus, qui ad cælestis Civitatis Consorti-
um pertinerent? Respondet autem, " Non in-
" congruè credi fuisse & in aliis Gentibus Ho-
" mines quibus hoc Mysterium revelatum est;
" nec ipsos *Judæos* existimo audere contendere
" Neminem pertinuisse ad Deum præter *Israeli-*
" *tas*; Homines autem quosdam, non terrenâ sed
" cælesti Societate, ad veros Israelitas supernæ
" cives Patriæ pertinentes, etiam in aliis Gen-
" tibus fuisse probat exemplo Sancti Job; im-
" mo, inquit, divinitùs provisum fuisse non du-
" bito, ut ex uno sciremus etiam per alias Gen-
" tes esse potuisse qui secundùm Deum vixerunt,
" eique placuerunt, pertinentes ad spiritualem
" Jerusalem". Quòd autem contendit hic *Au-*
gustinus, hoc Nemini concedendum esse, nisi
cui divinitùs revelatus est unus Mediator Dei &
Ho-

Hominum, homo Christus Jesus, illud à vero alienum esse puto. *Quomodo enim crederent in eum de quo non audiverunt? Aut quomodo audirent sine prædicante?* Rom. 10. 14.

v. 48. *Jussit eos baptizari in nomine Domini J. Christi.*] * *Hilarius Diaconus* dicit, primùm om- * *C. 4. ad*
"nes docuisse, & omnes baptizâsse; neque Pe- *Ephes. p.*
"trus habuit Diaconos, aut diem quæsivit, 347.
"quando *Cornelium*, cum omni domo ejus, bap-
"tizavit, nec ipse, sed jussit fratribus qui cum
"ipso ierunt ad *Cornelium* ab *Joppe*; adhuc enim
"præter septem Diaconos nullus fuerat ordinatus;
"ut ergo crescceret plebs & multiplicaretur,
"omnibus, inter initia, concessum est & Evan-
"gelizare, & baptizare, & Scripturas in Eccle-
"sia explanare". Hinc, juxta † *Cotelerium*, bap- † *In Constit.*
tizabant initio omnes Christiani, si fides falso *Apost. p.*
Ambrosio; in necessitate, & extrà ordinem, licitè 207.
hoc fieri à Laicis, opinio communis est veterum, & recentiorum. De Laicorum jure evidens est
Tertulliani, in libro de * Baptismo, sententia; * *Cap. 17.*
nec minus de ejusdem in Casu necessitatis officio.
"Sufficiat, inquit, in necessitatibus ut utaris,
"sicubi aut loci, aut temporis, aut Personæ con-
"ditio compellit; tunc enim constantia succur-
"rentis excipitur, cùm viget circumstantia pe-
"riclitantis; quoniam reus erit perditi hominis,
"si supersedit præstare quod liberè potuit". Nec minùs de praxi perspicuus est, "ubi, inquit, Ec-
"clesiastici ordinis non est confessus, & offers,
& tingis, & es sacerdos tibi solus". Doctissimus *Grabius* Annotatis ad hæc verba *Irenæi*, *Omnes justi sacerdotalem habent ordinem*, dicit, "hæc verba
"non modò de sensu *Tertulliani*, sed & de praxi
"Catholicorum, contra quos ibi disputat, testa-

---

f De exhort Castitatis, Cap. 7.

"ri videntur". *Feuardentius* hanc *Irenæi* sententiam de Eleemosynis, & labiorum vitulis, quos justi Deo offerunt, interpretatur; at verò phrasis ἱεραστικῆς τάξεως aliquid amplius importat, atque idcirco *Irenæus* in eâdem fere cum *Tertulliano* sententiâ fuisse videtur, quòd omnes fideles sint Sacerdotali ordine & potestate prædíti, ejúsque excercitium, ubi necessitas requirit, obire queant. † Concilium Illiberitanum statuit, *posse fidelem (qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus) baptizare in necessitate.* Hanc autem quam Concilium illud concessit libertatem, *Hispanos* ad praxin duxisse, haud dubium est. Idem, necessitate ingruente, statuit *Gelasius* * Epistolâ ad universos Episcopos per *Lucaniam*, *Brutios*, & *Siciliam* constitutos, his verbis; "Absque Episcopo vel Presbytero bap"tizare non præsumat Diaconus, nisi, prædictis "fortasse officiis longiùs constitutis, necessitas "extrema compellat, quod & Laicis facere ple"rumque conceditur". Est autem vero consentaneum existimare id, quod plerumque conceditur, usu plerumque obtinuisse.

† *Can.* 38.

* *Apud Justell. c.* 7. *p.* 241.

‖ *Hieronymus* hanc in Ecclesiâ praxin suo tempore obtinuisse agnoscit: "Ex summi, inquit, "Sacerdotis dignitate venit, ut sine Episcopi "jussione, neque Presbyter, neque Diaconus jus "habeat baptizandi; quod frequenter, si tamen "necessitas cogit, scimus etiam licere Laicis; "ut enim accipit quis, ita dare potest". *Augustinus* Baptismum à Laico datum non esse repetendum, nec, si necessitas urgeat, culpandum existimat. ‖ "Si Laicus, inquit, aliquando, pere"unti dederit, necessitate compulsus, quod cùm "ipse acceperit dandum esse addidicit, nescio "an piè quisquam dixerit esse repetendum; nul"là enim necessitate cogente, si fiat, alieni mu"neris est usurpatio; si autem necessitas urgeat,

"aut

‖ *Adv. Lucifer. F.* 50. *L.*

* *Lib.* 2. *cont. Parmen. c.* 13.

"aut nullum, aut veniale delictum: sed etsi nul-
"lâ necessitate usurpetur, & à quolibet cuilibet
"detur; quod datum fuerit, non potest dici non
"datum". Idem † libro septimo de Baptismo contra Donatistas: "Non dubitarem, inquit, "habere eos Baptismum, qui ubicunque & à "quibuscunque illud verbis Evangelicis conse-"cratum, sine suâ simulatione, & cum aliquâ "fide accepissent". Et rursus; "Non dubito "etiam illos habere baptismum, qui, quamvis "fallaciter accipiant, in Ecclesiâ tamen accipi-"unt, vel, ubi putatur esse Ecclesia, ab eis in "quorum Societate id accipitur, de quibus di-"ctum est, *ex nobis exierunt*". † *C.* 53. *p.* 403.

Porro, *Isidoro Hispalensi* teste; "ubi ultima lan-"guoris necessitas cogit, Baptisma etiam Laicis "fidelibus plerumque permittitur, ne quisquam "sine remedio salutari de seculo evocetur". Canon *Nicephori* C. P. sic se habet: "* Infantes "nondum baptizatos, si sacerdos nullus adsit, & "pater baptizare potest, & quivis alius, modò "sit *Orthodoxus*". Ubi † *Cotelerius*: "Baptisma "per Laicos ordinariè datum illicitum autumant "omnes, invalidum nonnulli, manifesto errore". Ecclesiæ Anglicanæ placuisse hanc sententiam de validitate Baptismi Laicorum testatur *Casaubonus* his verbis: "Laicorum Baptismum, & Fæ-"minarum, ut fieri legibus suis vetat, sic fa-"ctum ex legitimâ formulâ quodammodo non "improbat, Baptismum esse pronuntians, etsi "non legitimè administratum". Huic sententiæ, inquit ‖ *Georgius Abbas, calculum suum nostræ adjicit Ecclesia.* In Ecclesiâ nostrâ hanc per aliquot secula obtinuisse, constat ex constitutione Joh. Peccham in hæc Verba: "Si fortè contin-

‖ *L.* 2. *de Divin. Off. c.* 24.

* *Can.* 16.

† *Ibid p.* 207.

Apud Lynw. l. Tit. 7. *p.* 41.

‖ Vide Vossium de Baptismo, p. 154.

"gat

" gat pueros, propter mortis periculum, à Lai-
" cis baptizari, caveant Sacerdotes, ne Baptismum
" legitimè factum (i. e. Elemento aquæ, & de-
" bitâ formâ verborum) audeant iterare". In concilio *Pan-Anglico* Londini habito, Anno Dom. 1236. hæc occurrunt: " Statuimus ut Provincia-
" les Presbyteri, formam Baptismi diligenter ad-
" discentes, eam Parochianis suis frequenter die-
" bus Dominicis exponant in vulgari, ut si arti-
" culus necessitatis emergat, quo ipsos aliquem
" baptizare oporteat, eam sciant, & valeant ob-
" servare; quæ utrùm servata fuerit diligenter,
" postea inquirant". Quam Constitutionem re-novat Concilium *Anglicanum Londini* habitum sub Othobone, A. D. 1268. Atque ad hanc di-ligentem inquisitionem planè spectare videantur Quæstiones quæ in Baptismo privato adhuc exi-guntur, de Personâ baptizante, de materiâ quâ, & de verbis quibus baptizabatur. Denique in *Ec-clesiâ Romanâ* hanc praxin per aliquot secula ob-tinuisse extra dubium est. vide *Corvinum* de jure Canonico, l. 2. Tit. 3. p. 63.

Cùm ergo certum sit, sine Baptismo nemi-nem fieri posse Christianum, nec sine Christi-anismo Diaconum, Presbyterum, aut Episco-pum; & denique Baptismum invalidum esse nullum; hinc tria hæc Porismata, ex eorum sen-tentiâ, qui Baptismum Laicorum invalidum esse pronuntiant, necessariò sequi videantur.

Primò, Incertum plane esse utrùm jam aliqui fuerint veri nominis Episcopi, Presbyteri, aut Diaconi; cùm enim à tertiâ Centuriâ, ad tem-pus Reformationis Anglicanæ, usu continuo ob-tinuit, saltem necessitate suboriente, Baptismus Laicorum; si invalidus, & plenè nullus censeri debeat, fierit possit ut ab eo tempore continuo in sacros ordines admitterentur qui nondum Christiani essent, adeóque Sacrorum Ordinum

capaces

capaces non essent. Notum quippe est ab Antiquis in dubio positum fuisse, utrùm Clinici, ob imperfectum Baptismum, in Sacros Ordines admitterentur. Iis igitur indubium censendum esset, eos, qui nondum baptizati fuerint, ab his muneribus excludendos fuisse. Porro *Basilius* Hæreticos quosdam eo nomine baptizandos esse censebat, quòd inter eorum Baptismum & Baptismum Laicorum nihil interesset. Qui idem cum eo constituunt, idem de non-baptizatorum Sacerdotio sentiant necesse est. Hinc etiam sequitur

Secundò, Reformatorum penè omnium Ecclesias non esse Ecclesias Christianas, utpote qui omnes Baptismum ab iis acceperunt, qui, cùm ab Episcopis ordinati non fuerint, pro Laicis censendi sunt, atque adeò eorum Baptismus pro Baptismo Laicorum.

Tertiò, Hinc sequitur, non tantùm Sectarios nostros, & Scotos sub Presbyterorum regimine degentes, pro Christianis non esse agnoscendos, sed idem judicium de Gallicarum Ecclesiarum membris quibuscunque Reformatis ferendum esse, nec Laicos eorum in communionem nostram, nec sacris ordinibus initiatos sine prævio Baptismo suscipiendos fuisse. Immo sequitur, graviter Ecclesiam Anglicanam in eo cespitâsse, quòd hos omnes, ad Ecclesiam nostram convolantes, ad sacra nostra Eucharistica, aut ad sacros ordines, sine prævio Baptismo susceperit. Constat enim apud Primitivam Ecclesiam, Hæreticorum eos solos per pœnitentiam & impositionem manuum Episcopalium in Ecclesiam admissos esse, quorum Baptisma validum reputabant; alios omnes non nisi sacro Baptismate præmisso.

Cap.

Cap. 15. 28. *Ab his necessariis abstinentes*, nempe *ab Idolothytis, sanguine, & suffocatis, bene facietis.*] Ex ipsis initiis Christianæ fidei ad seculum duodecimum, Christiani fere omnes religiosè à sanguine abstinebant, & de rebus Idolis consecratis comedere impium planè judicabant, & Hæreticis proprium. Valentianis hoc imputat † *Irenæus*, quòd *de Idolothytis indifferenter comedunt, nec inquinari se ab iis existimant.* * *Basilidis Discipulis* hoc exprobrat, "quòd solent contemnere Idolothyta, "& nihil arbitrari, sed sine aliquâ trepidatione "eis uti. † Nicolaitæ, inquit, pleniſſimè per "Johannis Evangelium manifestantur qui sint, "nullam indifferentiam esse in Mœchando, & "Idolothyton edere". Iisdem opprobrii loco ponit * *Justinus*, quòd *idolothyta comedant, nec se ab iis lædi dicant.* "De iis quæ Idolis immolan-"tur, mentio facienda est, inquit [h] *Clemens* "*Alex.* quomodo ab iis jubemur abstinere; A-"postolo dicente, *nolo vos fieri participes Dæmoniorum.* Abstinendum est igitur tam ob nostram "conscientiam quæ sancta est, quàm ob Dæmonum odium.

† *L.* 1. *p.* 30.

* *P.* 48.

† *L.* 1. *c.* 27.

* *Dial. cum Tryph. p.* 253.

Cent. 3. *Non sacrificamus, non parentamus*, inquit [i] *Tertullianus*, *sed neq; de sacrificiis & parentato edimus, quia non possumus cœnam Dei edere, & cœnam Dæmoniorum.* * *Minucius* pariter: "Quod "verò sacrificiorum reliquias, & pocula delibata "contemnimus, non est confessio timoris, sed "veræ libertatis assertio; nam etsi omne quod "nascitur, ut inviolabile Dei munus, nullo ope-"re corrumpitur, abstinemus tamen, ne quis "existimet nos aut Dæmoniis, quibus libatum "est, cedere, aut nostræ Religionis pudere".

* *P.* 42.

[h] Ἀφεκτέον ἔν τέ·των, διά τε τὴν συνείδησιν ἡμετέραν ἀλύ-πητον, καὶ διὰ τὴν Δαιμονίων βδελυρίαν. Pædag. l. 3. c. 1. p. 143.

[i] De Spectaculis, c. 13.

" Quæ verò Animum & Corpus simul polluant, " inquit * *Clemens*, ista sunt, Participare Dæmo- " nium Mensæ, hoc est, immolata degustare, " vel Sanguinem, vel Morticinum, quod est " suffocatum ; & si quid aliud est quod Dæmo- " nibus oblatum est ". Jubent † *Constitutiones Apostolicæ* ab Idolothytis fugere, ἐπὶ πιμῇ γὰρ Δαιμονίων θύεσι αὐτὰ, *in Honorem enim Dæmoniorum immolant ea.* *Paulus* Epist. prima ad *Corinthios*, juxta ‖ *Origenem*, ostendit noxam quæ à vescendis Idolothytis oritur, ὅτι πάντως καὶ φόνεως χεῖρον πεάτ- ῃ ὁ ὑπὲρ εἰδωλοθύτων μεταλαμβάνων, *id nempe gravius esse Homicidio*, eò quòd perdit Fratrem. Dicit insuper, quòd, qui participat de Idolothytis, cum Dæmonibus communicat, nec posse eundem de Mensâ Domini, & Mensâ Dæmoniorum participare. Vide etiam quæ habet p. 396, 397.

* *Recogm. l.* 4. §. 36.

† *L.* 7. *c.* 21.

‖ *Contr. Cels. l.* 8. *p.* 393 394.

Cent. quarta. Porrò, inter Canones Ecclesiæ Catholicæ, à Conciliis *Chalcedonensi*, Can. primo, & *Trullensi*, Can. secundo confirmatos, occurrit Canon secundus *Concilij Gangrensis*, statuens, quòd *si quis Carnem edentem* cum pietate & fide *condemnet*, *ut spem ob hujusmodi perceptionem non habentem*, *Anathema sit* ; ubi [k] Exceptio Carnis cum Sanguine commixtæ, suffocati, & Idolis oblati, perspicuè ostendit hæc omnia eâ Ætate inter prohibita fuisse. " Obfirma Ani- " mum tuum, inquit * *Cyrillus Hieros.* ne quid " unquam edas eorum quæ sunt Idolis immola- " ta ; nam de his non mihi solùm, sed etiam " Apostolis, & Jacobo curæ fuit ; scripserunt " enim omnibus Gentibus Catholicam Epistolam, ut Idolothytis abstinerent.

* *Catech. p.* 24.

Cent. quinta, † *Chrysostomo* Judice, Hæ Constitutiones, εἰ καὶ σωμαπικὰ, ἀλλ' ἀναγκαῖα φυλάτ̃εσθαι,

† *In locum.*

[k] Χωεὶς αἵμα]ος, καὶ εἰδωλοθύτε, καὶ πνι. τῦ.

licèt Corpus respiciant, sunt tamen observatu necessariæ.

‖ F. 21. ‖ *Hieronymus* in *Matthæum* hunc scrupulum sibi injicit; " Si quod intrat in Os non coninquinat Hominem, quare Idolothytis non vescimur? Sciendum, inquit, igitur, quòd ipsi quidem cibi, & Dei Creatura per se omnis munda est, sed Idolorum & Dæmonum Invocatio ea facit immunda". Et * Commentario in Titum: " Considerandum, ne, ista tractantes, Occasionem illi *Hæresi* demus, quæ juxta *Apocalypsin*, & ipsum quoque *Apostolum Paulum* scribentem ad *Corinthios*, putat de Idolothytis vescendum esse, quia omnia munda sunt mundis". Denique Commentario in † Ezekielem, agnoscit hæc *Apostolorum* Præcepta omni Christiano convenire.

*F. 110. F.

† 245.

‖ *Can.* 20. Cent. sexta, Statuit ‖ *Concilium Aurelienſe*, " Quòd Catholici qui ad Idolorum Cultum revertuntur, vel qui Cibis Idolorum cultibus immolatis, Gustu illicitæ Præsumptionis, utuntur, ab Ecclesiæ cætibus arceantur: Similiter & hi qui Bestiarum morsibus extincto, vel quolibet Morbo, vel Casu suffocato, vescuntur. Et Can. 22. Qui hæc non observaverint, reos se Dignitatis pariter & Fraternitatis Judicio futuros esse cognoscant.

Cent. septima, Concilium sextum in *Trullo* habitum sic se habet: " Divina nobis Scriptura mandavit à Sanguine, & Suffocato, & Fornicatione abstinere; eos ergo, qui, propter Lautum & delicatum Ventrem, cujusque Animalis Sanguinem Arte aliquâ esculentum condiunt, & sic illo vescuntur, ut par est, incusamus & punimus; si quis ergo deinceps alicujus Animalis Sanguinem quovismodo comedere aggrediatur, si sit quidem Clericus, deponatur; sin autem Laicus, segregetur". Plura addere supersedeo; ab hoc enim Tempore, Canones

pœni-

pœnitentiales *Theodori Cantuariensis, Gregorij tertij, Bedæ, Reginonis, Ivonis* & *Burchardi*, à septimâ ad duodecimam Centuriam, injungunt Pœnitentiam iis qui de Sanguine, Suffocato, aut de Morticino comedissent.

Denique * *Humbertus*, undecimâ Centuriâ, clarissimis Verbis demonstrat, Occidentalem cum Græcâ Ecclesiâ in ProhibitioneSanguinis & Suffocati convenisse. "Nos enim Occidentis, inquit, non defendimus, contra vos Græcos, "Esum Sanguinis & Suffocati; antiquam enim "Consuetudinem, seu Traditionem majorum, "tenentes, nos quoque hæc abominamur, quia "antiquas Consuetudines & Traditiones majorum, quæ non sunt contra Fidem, Leges Apostolicas arbitramur.

* *Apud Baron. To. XI. p.* 986.

LIBRI TERTII PARS SECUNDA

Continet Scholia quædam Sanctorum Patrum in Epistolas Paulinas, & septem Catholicas.

Et primò in Epistolam ad ROMANOS.

ROM. II. 10, 11. *Honor & Pax omni operanti bonum, Judæo primùm & Græco.* V. 11. *Non enim est Acceptio Personarum apud Deum.*] Hæc de Græcis, ante Adventum Christi Vitam agentibus, intelligenda esse monent *Chrysostomus*, *Theodoretus*, & *Theophylactus* in locum. De Græcis, inquam, non Idolis servientibus, sed Pietatem erga Deum colentibus, & Legi naturali obsequentibus, quales erant *Melchisedek*, *Job*, *Ninevitæ*, & *Cornelius*. " Ut enim, inquiunt, Apostolus Græcos contra hanc Legem peccantes Pœnis obnoxios pronuntiat, ita asserit eos, qui juxta hanc Legem Vitam egerunt, remunerandos esse, eâque de Causâ adjeciisse, *quòd non est Acceptio Personarum apud Deum.* Quoniam enim ægrè crederetur, Deum velle Græcos, quibus nec Legem, nec Prophetas concesserat, tanto Honore afficere, confirmat hoc, dicendo, *Deum non esse Personarum Acceptorem, nec Personas explorare, sed Opera.*

" *ra.* Quoniam ergo in Operibus nihil Græcus
" differt à Judæo, nihil impedit quò minùs per-
" æquè honoretur. *Græcos* hìc appellat, inquit
" *Theodoretus*, non eos qui Fidem amplexi sunt,
" sed qui ante Divinam Incarnationem nasce-
" rentur ; nec tamen inter eos Idola colentibus
" Vitam æternam promittit, sed iis qui Dei
" Cultum amplexi sunt, & Justitiæ Operam de-
" derunt. *Hæc dicta sunt*, juxta * *Clementem A-* * *Stro.* I.
" *lex.* ex Sententiâ Apostoli, de *Græcis* ante Le- *p.* 317. *A.*
" gem & Adventum Christi ". Et iterum ;
" *Paulus* justos quosdam novit inter Gentes non
" tantùm ante Adventum Domini, sed ante Le-
" gem ". *Origenes* hæc dicta esse contendit de
Gentibus, " qui, *cùm Legem non habeant, ipsi sibiip-*
" *sis sunt Lex*, utpote qui vel Justitiam teneant,
" vel Castitatem servent, vel Prudentiam, Tem-
" perantiam , Modestiámque custodiant , qui-
" bus, inquit, boni Operis Remuneratio non
" peribit ". Vide quæ in hanc rem ex Patrum
Scholiis produximus : Annotatis in Act. 10.
Com. 34, 35.

Cap. V. v. 12. *In quo omnes peccaverunt.*] Quæ-
rit hìc *Chrysostomus* quem Sensum exigunt hæc
Verba ? Respondet, hunc ; " Quòd,illo cadente,
" ij etiam qui ex Ligno non comedissent, omnes
" ex ipso Mortales nascerentur ". *Theophylactus*
pariter : " In Adamo omnes peccaverunt ; cùm
" enim ille cecidisset, etiam ij, qui non ederunt
" de Ligno, facti sunt ex illo mortales, ac si ipsi
" cecidissent, quoniam ipse cecidit ". *Theodo-*
retus etiam : " Is ergo,cùm sub Mortis Sententiâ
" positus esset, sic genuit *Cain* & *Seth*, aliósque :
" omnes igitur, ut à tali Geniti, mortalem Na-
" turam habuerunt ; hujusmodi autem Natura
" ad Mediocritatis excessum affectus incitat ;
" Mediocritatis autem excessus Peccatum gene-
" rat. Dicit itaque divinus *Apostolus*, quòd, cùm

" Adam peccâſſet, mortaliſque per Peccatum
" factus eſſet, utrumque ad Genus permanavit;
" ad omnes enim Homines Mors pertranſiit ab
" eo in quo omnes *peccaverunt*; non enim
" propter primi Parentis Peccatum (tantùm,)
" ſed propter proprium, unuſquiſque Mortis
" terminum ſuſcipit". Quo nihil diſertius dici potuit contra Peccati Originalis Reatum nobis imputatum. * *Origenes* dicit, non multùm differre hæc Verba ab eo quod alibi dicitur, *Sicut in Adam omnes moriuntur.* Et rurſus: † " Omnes
" Homines qui in hoc Mundo naſcuntur, & na-
" ti ſunt, in Lumbis erant *Adæ*, cùm adhuc eſ-
" ſet in Paradiſo, & omnes Homines cum ipſo,
" vel in ipſo, expulſi ſunt de Paradiſo, & per
" ipſum Mors, quæ ei ex Prævaricatione vene-
" rat, conſequenter & in eos pertranſiit qui in
" Lumbis ejus habebantur". Et denique: " || Sufficere forſan poteſt ad ſimplicem Expoſi-
" tionem, ut dicamus Condemnationem eſſe
" Delicti, communem hanc Mortem quæ omni-
" bus venit; & veniet, etiamſi juſti videantur".
* *Irenæus* demum hæc Iſaiæ Verba, *Et Dolorem Plagæ ſuæ ſanabit*, ſic interpretatur: " Do-
" lor autem Plagæ eſt, per quam percuſſus eſt
" Homo initio in Adam inobediens, *hoc eſt*
" *Mors*, quam ſanabit Deus reſuſcitans nos à
" Mortuis, & reſtituens in Patrum Hæredita-
" tem.

* *In Iccum P.* 168. *G.*
† 169.
‖ 174. *F.*
* *L.* 5. *c.* 14. *p.* 456.

V. 14. *Regnavit Mors etiam in eos qui non peccaverunt in Similitudine Prævaricationis Adami.*] Cujus Sententiæ Rationem hanc aſſignat *Theodoretus*: " Etſi enim mandatum illud non trangreſſi
" ſunt, N. B. alia tamen Delicta commiſerunt.
" Vide, inquit *Oecumenius*, Cautionem *Apoſtoli*,
" ut non exiſtimemus iniquè nobiſcum agi, quòd
" propter alium morimur; *Non*, inquit, *propter*
" *Adamum ſolum*, ſed *ob Peccatum morimur*. Ali-
" ud

" ud ergo est propter *Adamum*, aliud propter " Peccatum mori ". Et rursus: " Major fuit " Efficacia Christi Obedientiæ, quàm *Adami* " Inobedientiæ; ea enim, ut contra omnes in- " valeret, operâ nostrorum omnium Peccanti- " um factum est; nec omnino invaluisset, si " Homines omni sorde immunes mansissent. " Gratia autem Christi ad omnes pervenit sine " Cooperatione nostrâ ". *Theophylactus* itidem: " Ut vetus *Adam* omnes obnoxios fecit " Condemnationi (Mortis) proprio ipsius Lap- " su, etiamsi Lapsi non fuerint, sic etiam Chri- " stus justificavit omnes, etiamsi Justificatione " digna non peregissent "; non ergo Lapsi su- mus, nec Condemnatione digna fecimus in *Ada- mo*. *Origenes* hic agnoscit duplicem Textûs Le- ctionem; Prima est sine particulâ negativâ, se- cundum quam asserit " Mortem regnâsse non " super omnes, sed *super eos qui peccaverunt in Si- " militudinem Prævaricationis Adæ*. Sin verò, " ut in nonnullis exemplaribus legimus, *etiam in " eos qui non peccaverunt*, Mors ista, id est, quæ in " Inferno Animas detinebat, regnâsse dicitur, " intelligimus & Sanctos quosque sub istâ Morte, " etiamsi non peccandi, at certè moriendi Lege, " decidisse, ut eos, qui inibi non tam *Prævarica- " tionis*, ut diximus, crimine, quàm moriendi " conditione habebantur, absolveret". En Sanctos non peccandi, sed moriendi Lege, non Prævaricationis crimine, sed moriendi condi- tione, apud Inferos detentos esse.

V. 19. *Ut enim propter unius Hominis Inobedienti- am Peccatores facti sunt multi.*] Peccatores, id est, juxta *Chrysostomum* & *Theophylactum*, Pœnæ ob- noxij, & Morti condemnati. Cujus Interpreta- tionis Rationem hanc ἀποδειχτικὴν assignat *Chry- sostomus*, nempe, " Non esse ullatenus absurdum " dicere, quòd illo peccante, & mortali facto,

" omnes ex eo ortum ducentes morti pariter
" subjicerentur ; est autem à Ratione alienum,
" ex unius Delicto, alium fieri Peccatorem ; nec
" enim talis invenietur, cui Pœna sit debita;
" siquidem non sit ex propria Actione Peccator".
Oecumenius dicit, Ex unius Delicto multos constitui Peccatores, " Eò quòd ordine & serie de-
" scendissent primi Parentis Peccatum in omnes
" ejusdem Generis ; omnes enim idem, vel Imi-
* *In Rom.* F. 174. 3. " tatione vel Institutione, fecerunt". * *Origenes* similiter dicit, " Nos per ejus Inobedientiam
" Peccatores factos esse, quia *Adam* per ejus In-
" obedientiam Formam dedit Peccatoribus, &
" nos, hanc Inobedientiæ Formam sequentes,
" constituti sumus Peccatores ; quis enim est
" qui non aut in Facto, aut in Verbo, aut, qui
" cautissimus est, vel in Cogitatione, peccaverit?
† *P.* 170. *H.* " † Denique ea, inquit, quæ in aliis Peccata
" sunt, pueris nondum Rationis usum, aut Le-
" gis naturalis Notitiam habentibus, in Culpam
" non reputari". Hinc constat,

|| *De Doctr. Eccles. c.* 34. Primò, Falsissimum esse quod || *Gennadius* dicit, " Ecclesiam Catholicam semper intellexisse
" hæc Verba de Peccato Originali quod ex
" Adam trahimus.

* *Cap.* 34. Secundò, Ineptissimam esse * *Lyrinensis* Quæstionem, " Quis ante Cælestium Pelagij discipulum reatu Prævaricationis Adæ omne Genus
" Hominum negavit astrictum"? Respondeo: Patres fere omnes ante *Augustinum*, & Patres hic adducti *Augustini* partim συγχρονοι, partim post ejus tempora longo florentes intervallo. Immo Ecclesia Occidentalis, teste † *Bernardo*, his verbis ; " Sanè Parvulis, & necdum Ratione utenti-
" bus, sola nocere creditur Peccati contagio,
" non autem mandati Prævaricatio.

† *Epist.* 73. F. 205. G.

Rom

Rom. VII. 8. *Sine Lege Peccatum mortuum erat.*] " Diabolum hic, inquit * *Methodius*, Peccatum appellavit, eò quòd Peccati sit Artifex & Inventor". Juxta † *Origenem* potest hic Peccatum ipsum Authorem dixisse Peccati, de quo Scriptum est, *Serpens seduxit me.* Juxta *Hilarium Diaconum* hoc duplici Genere intelligendum est, ut & *Diabolum* in Peccato sciat significatum, & Peccatum ipsum. Mortuus autem dicitur fuisse *Diabolus*, quia cessabat ab Illusione Hominis ante Legem, & erat quasi quietus; securus enim erat de Possessione ejus.

* *Apud Epiph. Hær.* 64. §. 56.
† *In locum.*

Est porro insuper notandum, Patres omnes ante *Augustinum* existimâsse *Apostolum Paulum*, à Commate saltem decimo quarto, hæc scripsisse, non de Seipso jam renato, sed sub Personâ Hominis sub Lege positi, & à Passionibus victi, ante Gratiam. Ita *Irenæus* l. 3. c. 22. *Clemens Alex.* Stro. 3. p. 433. *Tertul.* de Pud. c. 17. *Origenes* in locum, F. 185. Commentatores Græci omnes. Ipse *Augustinus* l. 1. ad Simplicianum, Qu. 1. Et de expos. quatuor Quæst. ex Epist. ad Rom. post autem animum erga *Pelagianos* acerbatum, omnia in pejus, pro more, mutavit.

Cap. VIII. 20. *Creatura Vanitati subdita est.*] Inter Creaturas Vanitati subditas malè Angelos constituunt *Ambrosius*, Epist. 21. & *Cyrillus* Al. Thes. l. 5. c. 7. l. 14. c. 1. Angelos & Archangelos enumerant *Origenes* & *Theodoretus* in locum. Patres reliqui fere omnes hanc Renovationem, & à corruptelâ Vindicationem, ad Creaturas omnes extendunt, non tantùm Terrestres Maledictioni subditas, sed etiam Cælestes, *Solem, Lunam, Astra*; quam quidem Renovationem Millennij Patroni ante Judicium finale expectant, eo nimirum Tempore quo Sancti in Terrâ regnare, per mille Annos, incipiunt. Ita *Irenæus* l. 5. c. 32. 36. *Tertullianus* contr. Marcion. l. 3. c.

ult. *Lactantius* l. 7. c. 24. Alij verò, quibus hoc Millennium fabulosum videbatur, hanc Mundi Renovationem post Conflagrationem illam, de quâ *D. Petrus* loquitur Epist. 2. c. 3. v. 7. collocandam putant.

V. 29. *Quos enim præscivit & prædestinavit.*] Id est, interprete *Hilario D. Quos præscivit sibi devotos, ipsos elegit ad promissa præmia capessenda.* Idem sentiebant Patres omnes ante *Augustinum*; nec est quòd in iis citandis immoremur, cùm * *Prosperum*, ejusdem cum *Augustino* Sententiæ Propugnatorem, rem ipsam habemus confitentem. Epistolâ enim ad *Augustinum* missâ, " Illud, inquit, qualiter diluatur, quæsumus, patienter Insipientiam nostram ferendo, demonstres, quòd, retractatis priorum de hac re Opinionibus, omnium pene par invenitur & una Sententia, quâ Propositum & Prædestinationem Dei secundùm Præscientiam receperunt, ut ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia Finem cujusque prævidit, &, subipso Gratiæ adjutorio, in quâ futurus esset Voluntate & Actione præsciverit". Sunt porro quædam in hanc rem observatu digna.

* *Ed. Colon. Agrip. p.* 881, 886.

Primò, Quòd vix unum ex antiquis Patribus, aut in hunc locum Interpretibus, invenies, qui non ejusdem cum *Hilario* Sententiæ sit. *Clemens Alex.* ad hunc modum hæc verba exhibet,[a] " Eos, " quos juxta Propositum (ejus) vocavit, præ" scivit Deus conformes Imagini Filij ejus", (supp. futuros esse); ubi, ex ipsâ Verborum contexturâ, constat, cum *Hilario* concordâsse *Origenem*; " eos à Deo præscitos esse dicit, in quibus,

[a] Τὰς κ̣ὶ προῤῥήσεις κλητὰς προσάγων ὁ Θεὸς, &c. Pædag. l. 3. c. 3. p. 225.

" sciens

" ſciens quales eſſent, amorem ſuum Deus af-
" fectúmque poſuiſſet". Et rurſus: " Apoſto-
" lus conſtituit [b] Voluntatem noſtram Cauſam
" Propoſiti, & Præſcientiæ Dei". [c] *Theodoretus* in locum notat, " *Apoſtolum* valde appoſitè Voca-
" tioni Propoſitum adjunxiſſe; Deus enim non
" abſolutè vocat, ſed eos qui Propoſitum ha-
" bent; nec, inquit, ſimpliciter prædeſtinavit,
" ſed, cùm præſciiſſet, prædeſtinavit eos quorum
" Propoſitum præſcivit". [d] *Chryſoſtomus* in hæc verba, *vocati ſecundùm Propoſitum*; " Propoſiti,
" inquit, hìc mentionem facit, quia non Voca-
" tio tantùm, ſed Propoſitum eorum qui vocan-
" tur, ſalutem operatur". Et in hæc verba cap. 11. v. 1. *Non repulit Populum quem prænovit*; " Id
" eſt, inquit, quem probè idoneum eſſe, & fi-
" dem amplexurum, novit". *Vocatis ſecundùm Propoſitum*; id eſt, juxta *Oecumenium*, " Iis qui
" digni ſunt qui vocarentur ob Conſilium &
" Animi Propoſitum; præſcit enim Deus eos
" qui Vocatione digni ſunt, & ſic prædeſtinat;
" ita *Theophylactus*". Denique *Pſeud-Hieronymus*, " Quos præſcivit credituros, hos prædeſtinavit;
" quos prævidit Conformes futuros in Vitâ, vo-
" luit ut fierent Conformes in Glorià.

Secundò, Hunc Senſum neceſſarium eſſe pronunciant, ut Deum ἀπὸ τῆ προσωποληψίας, *à Perſonarum Acceptione*, eximerent. " Adjicit, inquit
" *Oecumenius*, illud, *ſecundùm Propoſitum*, *Apoſtò-*
" *lus*, ut reſpondeat, non abſurdum eſſe quòd
" Deus quibuſdam benefecit, aliis autem non,

---

[b] Τὴν τὸ ἐφ' ἡμῖν αἰτίαν ἀπείρηκε τῆς προθέσεως, &c. Ed. Huet. To. 2. p. 425.

[c] Οὐ γὰρ ἁπλῶς καλεῖ, ἀλλὰ τὴν προθεσιν ἔχοντας.

[d] Οὐχ ἡ κλῆσις μόνον, ἀλλὰ καὶ ἡ πρόθεσις τῶν καλουμένων σωτηρίαν ἐργάζεται,

" &

" & Deum â Personarum Acceptatione exime-
" ret ". † *Ambrosius* in hæc verba, *Non est meum*
† *De Fide l. 5. c. 3. p. 128.* *dare*, &c. Paraphrasten ita se exhibet; *Non est meum, qui Justitiam servo, non Gratiam.* Denique ad Patrem referens addidit, " *Quibus est para-*
" *tum*, ut ostenderet, Patrem quoque non peti-
" tionibus solere deferre, sed meritis, *quia De-*
" *us Personarum Acceptor non est*; unde & Apostо-
" lus ait, *quos præscivit & prædestinavit* ". [c] *Epi-*
phanius in eadem verba; " Hoc, inquit, vult sa-
" piens & divinus Sermo demonstrare, non juxta
" Personarum Acceptionem, sed juxta cujusque
" Meritum rem transigi; Domini enim est con-
" ferre; confert autem unicuique prout dignus
" fuerit; unusquisque enim qui operatur, id
" quod justum est recipit, secundùm proprium
" Laborem. Nec alteri tribuere licet præter-
" quam ei qui se dignum reddiderit. Nec Pater
" juxta Personarum Acceptionem aut vocat,
" dat, aut confert: sed quemadmodum se dig-
" num quisque comparat.

Tertiò, Asserunt eos qui *Apostoli* verba de simplici Dei Præscientiâ interpretantur, & non de Scientiâ cum Amore & Affectu, ex præviſis Actionibus, conjunctâ, Hominem Culpâ immunem, Salutisque Incapacem constituere. " Si enim
" ad communem referatur Intelligentiam id
" quod dicit, *quos vocavit, illos & justificavit*, in-
|| *In locum, F. 192. B.* " gentem, inquit || *Origenes*, feneſtram patefa-
" ciemus iis qui negant esse in Hominis Pote-
" state ut salvus fiat. Aiunt enim, si Deus, quos
" præscivit, illos & prædestinavit, & quos præ-
" destinavit, illos & vocavit, nihil Culpæ ha-
" bent qui non justificantur; quia nec vocati

---

[c] Οὐ κατὰ προσωπολημψίαν γίνεται τὸ πρᾶγμα, ἀλλὰ κατ' ἀξίαν, &c. Hær. 69. n. 58. p. 782.

" sunt,

" sunt, nec prædestinati, nec præcogniti; vide " in quam absurdam Sententiam decidunt hi, qui " Præscientiam Dei in hoc tantùm accipiunt, " quasi quòd & quæ postmodum futura sunt an- " tè prænoscat ". Immo ipse * *Augustinus*, antequam contra *Pelagium* scriberet, hæc habet, *Dilexi Jacob, Esau odio habui: cujus*, inquit, *vult misereatur, & quem vult, indurat.* " Verùm hæc " Voluntas Dei injusta esse non potest: venit " enim ex occultissimis Meritis; Precedit ergo " aliquid in Peccatoribus, quo, quamvis nondum " sint justificati, digni efficiantur Justificatione; " & item præcedit in aliis Peccatoribus quò dig- " ni sint Obtusione ". Hinc constat verè † *Melanchthonem* dixisse; " Veteres omnes, præter u- " num Augustinum, posuisse Causam aliquam E- " lectionis in nobis.

* *L. quæst. 83. q. 63.*

† *In locum.*

V. 30. *Quos autem justificavit, illos etiam glorificavit.*] *Origenes* in locum hæc habet; " Pos- " sumus intelligere de Glorificatione in præsenti " seculo; Apostolo dicente, *nos autem omnes, re-* " *velatâ facie, gloriam Domini speculantes, eâdem im-* " *agine transformamur à gloriâ in gloriam* ". Glorificavit, juxta *Chrysostomum* & *Oecumenium*, " per " Dona miraculosa Filiis Adoptionis concessa ". Juxta *Theodoretum* & *Theophylactum*, [f] glorificavit, *dans iis Spiritûs sancti gratiam.*

Cap. IX. 16. *Non est volentis, neque currentis, &c.*] i. e. Interprete Nazianzeno, oportet enim voluntatis nostræ arbitrium, & Dei beneficium conservari; " Eâque de Causâ dicit, non est vo- " lentis, id est, non est volentis tantùm, nec cur- " rentis tantùm, sed etiam miserantis Dei ".

---

[f] Πνεύματος ἁγίου δωρησάμενος χάριν. Ibid.

[g] Διὰ τοῦτο φησὶν, οὐ τοῦ θέλοντος, τυτέστιν, οὐ μόνον τοῦ θέλοντος, οὐδὲ τοῦ τρέχοντος μόνον. Orat. 31. p. 594.

Ean-

Eandem Interpretationem vide apud *Photium*, in *Oecumenio*, apud *Theophylactum* in locum, & apud *Chryſoſtomum* Hom. 12. in Hebr. p. 498. ſed præ omnibus nervosè, & ſummâ cum ratione hunc locum expendit *Origenes*, & contra vanas *Auguſtini* Strophas perſpicuè vindicat, tam hic, quàm lib. tertio de Principiis, cap. I. F. 141. Nam,

Primò, *Auguſtini* Sententiam expugnat his Argumentis apodicticis. || "In Vitæ noſtræ Curſu, à nobis quidem exhibendus eſt labor & ſtudium, & induſtria adhibenda: laboris verò noſtri Fructus (id eſt) Salus à Deo expectanda eſt; alioquin ſi nihil noſtri operis expoſcit (Deus,) ſuperflua utique videbuntur eſſe mandata; fruſtra etiam ipſe *Paulus* culpat quoſdam decidiſſe à Veritate; & collaudat alios ſtantes in Fide. Præcepta quædam & inſtituta ſuperfluè tradit Eccleſiis; fruſtra etiam nos ipſi vel volumus, vel currimus ad bona; ſed certum eſt quòd hæc fruſtra non fiunt, & certum eſt quòd nec *Apoſtolus* fruſtra dat Leges."

|| *De Principiis l.* 3. *cap.* 1. *F.* 141. *c.*

* *Auguſtinus* ſpeciosè objicit in hunc modum; "*Quomodo non volentis nec currentis, ſed miſerentis Dei eſt*, niſi quod ipſa Voluntas à Deo, ut ſcriptum eſt, præparatur? Alioquin ſi propterea dictum eſt, non volentis, nec currrentis, ſed miſerentis Dei; tanquam diceretur, non ſufficit ſola Voluntas hominis, ſi non ſit etiam Miſericordia Dei; non ergo ſufficit ſola Miſericordia Dei, ſi non ſit etiam Voluntas Hominis. Ac per hoc, ſi rectè dictum eſt, non Voluntas Hominis, ſed miſerentis Dei eſt, quia id Voluntas Hominis ſola non implet; cur non & è contrario rectè dicitur, non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt Hominis, quia id Miſericordia Dei ſola non implet. Porro, ſi nullus Chriſtianus dicere audebit, non

* *Enchirid. cap.* 32.

" non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt Hominis, ne *Apoſtolo* apertiſſimè contradicat, reſtat " ut propterea rectè dictum intelligatis, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt " Dei, ut totum Deo detur, qui Hominis Voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & " adjuvat præparatam.

Huic Argumento ſufficienter reſpondent *Chryſoſtomus* & *Theophylactus* locis citatis; pleniùs tamen *Origenes*; " Totum nimirum Deo adſcribendum eſſe, quia ſicut à Deo habemus hoc ipſum quòd Homines ſumus, quòd ſpiramus, " quòd movemur, ita & quòd volumus à Deo " habemus; noſtrum autem eſt motus iſtos Voluntatis, quos à Deo accepimus, ad bona, vel " mala convertere ". Atque in hâc Sententiâ Patres omnes ante *Auguſtinum*; *Hieronymum*, *Chryſoſtomum*, *Theodoretum*, *Cyrillum Alexandrinum*, *Auguſtino* συγχρόνους conſentientes habet, ut videre eſt apud Voſſium Hiſt. Pelag. lib. ſexto. Theſ. 8. à pag. 539, ad p. 548.

Reſpondet, Secundò, Quòd " quamvis Homo " laborem impendat, atque ſollicitudinem, " Deo tamen totum jure ab *Apoſtolo* adſcribitur; " non quòd nihil agant Homines, ſed quòd ad " Comparationem Dei, qui incrementum dat " operi, vel effectum, illi nihil eſſe ducantur ". Hócque reſponſum inſtantiis appoſitiſſimis, ex Scripturâ adductis, illuſtrat. † " Quod, inquit, " dixit, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, ita accipitur ": ſicut *David* dicit in Pſalmo, *Niſi Deus ædificaverit Domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam; niſi Dominus cuſtodierit Civitatem, fruſtra vigilant qui cuſtodiunt eam*, " non quòd is qui Domum ædificat, nihil " agat, & otioſus ſit, & ita eam ædificet Dominus; ſed ipſe quidem, quantum eſt in Homine, " vim ſollicitudinis & laboris impendat —

† *In locum.*

" cùm

" cùm ergo per hæc doceatur, quod Homo qui-
" dem laborem impendat & ſollicitudinem, De-
" us autem ſucceſſum operi tribuat & effectum,
" pium & religioſum eſt, ideo & bonum, quod
" in ſe eſt operis ſummo Deo magis quàm Ho-
" mini putare : Sic & cùm *Paulus plantabat*, *&*
" *Apollo rigabat*, Deus dare dicitur incrementum ;
" & additur, *itaque neque qui plantat, neque qui ri-*
" *gat eſt aliquid*, *ſed qui incrementum dat Deus.*
" Ita ergo in præſenti loco poſſumus dicere, ita-
" que neque qui currit eſt aliquid, neque qui
" vult, ſed qui effectum dat Deus. Qui enim
" vult, & qui currit, hoc videntur eſſe, quod
" ille qui plantat, & qui rigat, (quos) nihil di-
" cit eſſe *Apoſtolus*, non quod nihil agant, ſed
" quod ad Comparationem Dei, qui incremen-
" tum dat operi vel effectum, illi nihil eſſe
" ducantur ". Res adeo clara eſt, ut ipſe * *Hi-*
eronymus, ſcribens adversùs *Pelagianos*, non poſſit
ſemet continere à Veritate his verbis confitendâ :
" Oro te, non legiſti, *non enim volentis*, *nec cur-*
" *rentis*, *ſed miſerentis eſt Dei* ? Ex quibus intelli-
" gitur, noſtrum quidem eſſe velle, & currere,
" ſed ut Voluntas noſtra compleatur, & Curſus,
" ad Dei Miſericordiam pertinere ; atque ita fi-
" eri, ut, & Voluntate noſtrâ & Curſu, liberum
" ſervetur Arbitrium ; & in Conſummatione Vo-
" luntatis & Curſus, Dei cuncta Potentiæ relin-
" quantur ". Hæretici, inquit † *Philaſtrius*, ob-
jiciunt hæc Verba, " *Non eſt volentis*, *neque cur-*
" *rentis*, *ſed miſerentis Dei.* Sed non dicit, in-
" quit, *Apoſtolus*, ut non curramus, aut non ve-
" limus ſervire Deo ; ſed primùm debemus no-
" ſtrâ currere Voluntate, deinde ſperare quòd
" mereamur ſalvari, non noſtrâ Virtute & Ju-
" ſtitiâ, ſed Chriſti Clementiâ. Currere itaque
" & velle nos docet *Apoſtolus*, ínque noſtrâ Vo-
" luntate eſſe, ut in ipſo Curſu bonorum ope-

* *Dialog. l.* 1. *F.* 94. *B.*

† *F.* 69.

" rum Humilitate perſeveremus, & tunc demum " ſperemus ſalutem poſſe ab ipſo Domino adi- " piſci. Ergo ſunt in nobis quædam in quibus " currendum eſt, ſunt autem majora quæ à Deo " ſperanda & impetranda.

V. 28. *Verbum breviatum faciet Deus ſuper Terram.*] Fertile Patrum ingenium de verbo hoc abbreviato, de quo Textus Iſaiæ originalis nihil habet, has finxit Fabulas. Eſt, juxta plurimos, *Verbum Legis & Prophetarum*, à Chriſto in duo præcepta, Amoris erga Deum & Proximum, contractum. " Evidenter, inquit *Origenes*, Le- " gem & Prophetas duobus his Sermonibus bre- " viabit. Deciſum Sermonem faciet Deus in " Terrâ : Compendium enim eſt novum Teſta- " mentum, & Legis laciniosis oneribus expedi- " tum " : Ita * *Tertullianus*. Hæc dicit, juxta † *Euſebium*, Evangelicam Prædicationem perſpicuè ſignificans. Inſtitutum Legale & Prophetia, juxta || Baſilium, continetur in breviloquio Evangelij.

* *Contr. Marc. l. 4. c. 1.*
† *Dem. Evang. l. 2. p. 74.*
|| *In cap. 10. Eſa. To. 2. p. 228.*

Secundò, Poteſt, juxta *Origenem*, Verbum breviatum dici, " Fides Symboli quæ credentibus " traditur ; in quâ totius Myſterij ſumma, pau- " cis nexa ſermonibus, continetur.

Tertiò, De Chriſto per Incarnationem contracto, & veluti abbreviato intelligit *Cyprianus*, de Teſtim. adv. Judæos, l. 2. n. 3.

Quartò, Alij hoc Verbum abbreviatum dicunt *in Fidem & Baptiſmum*. Ita * *Theodoretus* : " Quæ Lex multis præceptis perficere non po- " tuit, hæc Evangelicus Sermo perficit, breve " adferens ſalutis Pharmacum, ſanctum Baptiſ- " ma ; per Fidem enim Salus Hominibus data " eſt ". Eadem dicunt in hunc locum *Chryſoſtomus*, *Photius* apud *Oecumenium*, *Theophylactus*. " Sola Fides ſufficit ad Salutem abbreviata ex

* *In Iſa. 10. p. 50.*

" Lege " : Ita *Hilarius D.* Certum est tamen τὸ λόγῳ sensu hìc convenire cum Hebræo *Dabar*, & non significare Sermonem, sed Rem, nempe consummatum illud Judicium quod Deus infligeret in incolas Terræ *Judaïcæ* ; unde constat, hæc Patrum commenta à vero tam *Prophetæ*, quàm *Apostoli* Sensu longissimè deviâsse.

Cap. XIII. 1. *Omnis Anima Potestatibus sublimioribus subdita sit ; non est enim Potestas nisi à Deo ; quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt.*] Est hìc è Patribus notanda 1. Horum Verborum Occasio, quâ scribitur, *Omnis Anima Potestatibus superioribus subdita sit ; non est enim Potestas nisi à Deo* ; " Quod quidem Præceptum & hìc, & ibi, " propterea puto editum, quia *Judæ Galilæi* per " illud tempus Dogma adhuc vigebat, & habe-
†*C.3.l.1.F* 112. *H.* " bat plurimos Sectatores : Ita † *Hieronymus* in Titum. 2. Verba hæc intelligunt, non de immediatâ Dei Institutione, aut ad hoc Munus exercendum Designatione, sed de providentiali ejus Designatione ; nec de Personâ ipsâ Regente, sed de Regiminis Officio ; nec denique de injustè sed justè Regentibus. Ita clarè [h] *Theodoretus* : " Sciendum equidem quòd & imperare, & " imperio subesse, à Divinâ Providentiâ pendere " docet divinus *Apostolus* ; non autem ut hic vel " ille principatum teneat ; neque enim Iniquo- " rum Potestas à Dei Ordinatione procedit, sed " ipsa principatûs Dispensatio ". *Theophylactus* in hæc Verba, *non est Potestas nisi à Deo.* " Quid " ais ? inquit, omnísne Princeps à Deo ordina-

---

h Τὸ ἄρχειν, καὶ ἄρχεσθαι, τῆς τοῦ Θεοῦ προμηθείας ἐξήρτησεν ὁ θεῖος Ἀπόστολος, ἢ τὸν δεῖνα, ἢ τὸν δεῖνα ἄρχειν, ἢ διὰ τῆς Θεοῦ χειροτονίας, οὐδὲ ἀδίκων ἐξουσίαν, ἀλλ' αὐτὴν τῆς ἡγεμονίας οἰκονομίαν· in locum.

" tus

" tus est? [i] Non hoc dico, inquit, nec enim de
" sigillatim Regentibus Sermo est mihi nunc,
" sed de re ipsâ; ut enim Principes essent, utque
" regerent alij, alij Regimini subessent, Dei Sa-
" pientiæ opus esse dico. Non enim dixit, *Non*
" *est Rex*, sed *non est Potestas nisi à Deo*; quare de
" re ipsâ, de ipso Magistratûs Officio disserit,
" quemadmodum cùm dictum, *à Domino Uxor*
" *aptatur Viro*, Pro. 19. 14. Non hoc dicit,
" quòd quemlibet cum Muliere convenientem
" Dominus copulat; verùm quòd ipse Nuptias
" instituit". Iisdémque verbis ex *Chrysostomo* desumptis hìc utitur *Oecumenius*. * *Origenes* pariter: " Quid ergo, & illa Potestas quæ servos
" Dei persequitur, fidem impugnat, Religio-
" nem subvertit, à Deo est? Ad hoc breviter,
" inquit, respondebimus, ita Potestatem illam
" à Deo datam esse, quò nobis Visus, & Auditus
" à Deo datus est, quibus abutimur ad impia &
" iniqua Ministeria; ad quæ certè dicet, hos
" Sensus non à Deo datos esse". Pergit igitur ad hunc modum; " Non hìc de illis Potestati-
" bus dicit, quæ Persecutiones inferunt Fidei;
" ibi enim dicendum est, *Deo oportet obtemperare*
" *magis quàm hominibus*; sed de illis communi-
" bus dicit, quæ non sunt timori boni Operis,
" sed mali.

* *In locum.*

---

[i] Οὐδὲ περὶ τῶν καθ' ἕκαστον ἀρχόντων ὁ λόγος μοι νῦν, ἀλλὰ περὶ τοιαύτης ἀρχῆς.

Sectio Secunda

Continens S. Patrum Scholia in Primam Epistolam ad Corinthios.

1 COR. III. 2. *Lac vobis potum dedi, non escam.*] Usitatum est Patribus dicere, Apostolos Christianis adhuc Scientiâ deficientibus, & quasi Infantibus in Christo, *Doctrinam de Christi humanâ naturâ tantùm proposuisse*; perfectis verò Christi divinam Naturam prædicâsse. Ita * *Irenæus* in hæc verba, *Lac vobis dedi, & non escam*; " Id est, inquit, eum quidem Adventum Domini, quem secundum hominem didicistis ". Commentatores Græci in Hebr. 5. 12. *Elementa & Lac* interpretantur *Doctrinam de humanâ Christi Naturâ*; Cibum verò solidum, *Doctrinam de ejusdem Deitate.* Ita *Chrysostomus*, *Photius*, *Oecumenius*, & *Theophylactus.* [a] *Theodoretus* copiosiùs his verbis; " Elementa exordij Sermonum Dei vocavit humiliores de Christo Sermones; Veritatis enim Præcones iis, qui nondum Fidem perfectam habuerunt, ea solùm, quæ ad Humanitatem Christi pertinebant, exposuerunt. Ita *B. Petrus*, concionem habens apud *Judæos*, Auditorum imbecillitati Doctrinam accommodavit; *Jesum enim*, inquit, *Nazarenum, Virum approbatum à Deo in vobis*, Act. 2. 22. Et reliqua deinceps huic dicto accommodata. Divinus quoque *Paulus*, *Athenienses* prædicans,

* *L.* 4. *c.* 75.

---

a Τοῖς γὰρ μηδέπω τὴν πίστιν ἐγκεχόσι τελείαν, τὰ περὶ τῆς ἀνθρωπότητος μόνα προσέφερον οἱ τῆς ἀληθείας κήρυκες.

" non Deum, ſed Virum Chriſtum Dominum " appellavit, Act. 17. 31. Ita etiam ſcribens ad " *Corinthios* dixit, *Lac vobis potum dedi, non eſcam,* " *nondum enim poteratis.* In iis autem quæ ante " ſcripta ſunt, declaravit quidnam Lac vocave- " rit, *non enim judicavi,* inquit, *aliquid ſcire inter* " *vos, niſi Jeſum Chriſtum, eúmque crucifixum.* " Hoc etiam hìc dicit, *& facti eſtis quibus Lacte* " *opus eſt, non ſolido Cibo,* quæ ſunt, inquit, humi- " liora, cogimur vobis de Chriſto Domino lo- " qui". — Quæ ab his Patribus breviùs ſunt dicta, multis proſequitur, verbíſque fortioribus, & vix ferendis ingeminat *Jobius.* Cùm enim Quæſtionem hanc propoſuiſſet, *Cur Pater primus prædicetur?* Reſpondet, " Dei Providen- " tiam pro eo ſtatu id feciſſe, dum hâc ſapien- " tiſſimâ ratione homines à Deorum Multitudi- " ne abducere ſtudet. Abſonum enim & inor- " dinatum eſſet, eum, qui à Deorum Multitudi- " ne Gentes avocare vellet, [b] *Divinitatis Trini-* " *tatem eorum animis credendam proponere*". Et rur- " ſus, p. 617. " Ideo Pater tantum prædica- " batur, quia ſi Filius, & Spiritus Sanctus tunc " prædicatus fuiſſet, iis qui multorum Deorum " Morbo laborabant, ab ipsâ ſalutari Theologiâ " immedicabilem Morbum accepiſſent. Ut e- " nim laborantibus ex oculis ſplendidum Solis " jubar, in ſe ſalutiferum, valde noxium eſt, ita " multorum Deorum Cultu occæcatis Trini- " tatis Theologia noxia eſſet & pernicioſa".

V. 15. *Salvabitur, ſic tamen quaſi per Ignem.*] Conſtat ex hoc loco, non tantùm *Origenem,*

---

[b] Τὸ Τελεσικὸν τῆς Τριάδος καλαπιςεύειν. Apud Photium Cod. 222. p. 613. — Ἀπὸ τῆς σωζούσης Θεολογίας ἐλαύνει τὸ αἴτιον. — Ἡ Τελεσικὴ Θεολογία βλαβὲς ἦν ἐπῆρχε τῇ ὀρθῇ δόξῃ.

sed Patres alios haud paucos æstimâsse, Sanctos omnes, non quidem extemplo post Mortem, sed post Resurrectionem è mortuis, flammis quibusdam purgandos esse, & Igne quodam Purgatorio à Scoriis peccati defæcandos; atque huc quidem respicere videntur hæc * *Irenæi* verba, dicentis, "*Ananiam, Azariam, & Misael*, in caminum ignis missos, per id quod eis evenit, prophetâsse "eam, quæ in finem futura est, Justorum succensionem". Innumera sunt *Origenis* in hanc rem Testimonia; recitatis enim his *Apostoli* verbis, continuò subdit, "Qui igitur salvus fit, per Ignem salvus fit; ut si quid fortè de specie Plumbi commixtum fuerit, id ignis decoquat, & resolvat, ut efficiantur omnes Aurum bonum. "Veniendum est ergo omnibus ad Ignem, veniendum est ad Conflatorium. Si quis multa opera bona, & parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum tanquam Plumbum Igni resolvitur ac purgatur, & totum remanet Aurum purum. Et si quis plus illic Plumbi detulerit, plus exuritur, & amplius decoquitur, ut, etsi parum aliquid sit Auri, purgatum tamen resideat". Vide similia, Hom. 16. in Jer. ed. Huet. To. 1. p. 154, 155. Et Hom. 19. p. 187, 196. Et Hom. in Matth. p. 207. "Congrua est, inquit [c] *Gregorius Nyss.* fornax Auro adulterino, ut, cùm eis mistum fuerit liquefactum, longis postea seculis, Deo pura conservetur "Natura. [d] *Basilius* per altare, ex quo carbo deferebatur ad *Isaiam*, intelligit altare, seu

* *L.* 5. *c.* 29.

---

[c] Καπάλληλον τῷ κιβδηλωμένῳ χρυσίῳ τὸ χωνευτήριον. Catech. Orat. c. 35. p. 533.

[d] Τί ἐστι χρεῖον καθαρισμοῦ ψυχῶν, ὅθεν ἐκπέμπεται ἀνθρακιὰς δυνάμεσι τὸ καθάρσιον πῦρ. in cap. 6. Isa. p. 472.

"lo-

" locum Purificationis Animarum, è quo mitti-
" tur Poteſtatibus ſanctificandis Ignis purgatori-
" us". Et rurſus: " Si, inquit, per Confeſſio-
" nem detexerimus Peccatum, jam ſuccreſcens
" Gramen arefacimus, dignum utique quod de-
" paſcatur purgatorius Ignis "; Quod ex hoc
" loco probat † *Gregorius Naz.* " *Novatiani*, in- † *Orat.* 39.
" quit, ſi ad noſtram Communionem accedunt, *p.* 636.
" noſtrâ, id eſt Chriſti viâ purgentur; ſin mi-
" nùs, in altero Ævo fortaſſe Igne baptizabun-
" tur, qui eſt poſtremus Baptiſmus acerbior &
" diuturnior, qui craſſam materiam depaſcit, &
" vitij omnis levitatem abſumit". * *Lactantius* * *L.* 7. *c.*
pariter; " Sed & juſtos cùm judicaverit (Deus,) 21.
" etiam Igni eos examinabit; tum quorum Pec-
" cata vel pondere, vel numero prævaluerint,
" perſtringentur Igni, atque amburentur; quos
" autem plena Juſtitia, & maturitas Virtutis in-
" coxerit, Ignem illum non ſentient. Diem
" judicij concupiſcimus, inquit || *Hilarius*, in || *In Pſal.*
" quo ſubeunda ſunt gravia illa, expiandæ à pec- 118. *p.* 866.
" catis Animæ, Supplicia. Eſt etiam *Baptiſmus*,
" juxta * *Ambroſium*, in Paradiſi veſtibulo---quo * *In Pſ.*
" purificentur qui in Paradiſum redire cupie- 118. *p.* 435.
" bant; ut regreſſi dicerent, *tranſivimus per Ig-*
" *nem & Aquam*: ſiquidem poſt Conſummatio-
" nem Seculi hoc futurum eſt Baptiſma, quando
" per Caminum Ignis Iniquitas exuretur, ut in
" Regno Dei fulgeant juſti, ſicut Sol in regno
" Patris ſui. Et ſi aliquis, ut Petrus ſit, ut Jo-
" hannes, baptizabitur hoc Igne". Eandem
" Sententiam ſequutos eſſe *Auguſtinum*, *Hieronym-*
" *mum*, *Paulinum*, *Cæſarium Arelatenſem*, *Euſebi-*
um Emiſſenum, *Eligium Noviomenſem*, vide apud *Dallæum* de Satisfactionibus humanis, lib. 4. Cap. 9.

Cap. VII. 15. *Si autem Infidelis diſcedit, diſce-*
dat; non enim ſervituti ſubditus eſt Frater, aut So-

ror in hujuſmodi.] Ex his verbis colligunt Interpretes tam *Græci*, quàm *Latini*, ex hoc Infidelis diſceſſu Conjugium diſſolvi, & liberum eſſe Fratri, aut Sorori, aliud Matrimonium contrahere. *Si Infidelis diſceſſerit, liberum habet arbitrium nubere Legis ſuæ Viro*, inquit *Hilarius* in locum; "Non enim ratum eſt Matrimonium quod ſine "Dei Devotione eſt, ac per hoc non eſt Peccatum ei qui dimittitur propter Deum, ſi alij ſe "junxerit. Si jubet te ſacrificare, & impietatis "ſuæ participem eſſe, ſis disjunctus; ſatius enim "eſt connubium ſolvere, quam pietatem". Ita *Chryſoſtomus* & *Theophylactus*. Libera eſt etiam ipſa diſcedere, inquit * *Photius*, ipſo nuptias ſolvente.

* *Apud Œcum.*

Cap. VIII. 6. *Nobis autem unus eſt Deus ex quo omnia, & unus Dominus Jeſus Chriſtus per quem omnia.*] Chriſtum Deum eſſe aſſerunt Patres fere omnes *Ante-Nicæni*, Τὸν ἐπὶ πᾶσι Θεὸν, *Deum ſummum, Deum ſuper quem non eſt alius, Deum ſuper omnia*: ſi fides [e] *Origeni*, *quidam tantùm in multitudine Credentium*. *Juſtinus* ſæpius in ſe ſuſcipit probandum, quòd Deus Verbum, Deus alius eſt ab Opifice Univerſi; [f] "Alius, inquit, "numero, non conſilio; quia nihil fecit aut "locutus eſt, niſi quod fecit & juſſit is qui Mundum fecit, ſuper quem non eſt alius Deus. "Eſt, inquit, miniſter Dei, qui eſt Univerſi Opifex, & is qui poteſtatem accepit in Sodomitas à Domino in Cælis, i. e. omnium Opifice; "qui Moſem allocutus eſt, dicens ſe Deum eſſe "Abraham, non fuit Deus Opifex omnium, nec "ita de eo concipimus; is enim qui eſt Deus, "& Pater omnium, loci incapax eſt. Sermo "autem ejus, per quem fecit omnia, qui eſt Po-

[e] Τινὲς ἐν πλήθει τῷ πιστευόντων, adv. Celſ. l. 8. p. 387.
[f] Ἕτερος ἀριθμῷ, ἀ τῇ γνώμῃ, Dial. cum Tryph. p. 27[illegible]

"tenti

" tentia & Sapientia ejus, ſuſcipiens Perſonam " Patris & Domini omnium, fuit in Paradiſo " [g] in Perſonâ Dei". Ita *Theophilus*. Qui autem in loco eſt, differt ab eo qui eſt loci incapax ; qui fecit omnia, ab eo per quem fecit omnia ; & qui Perſonam gerit alterius, ab eo cujus Perſonam gerit. † *Synodus Antiochena*, Epiſtolâ miſſâ ad *Paulum Samoſatenſem*, " Filius, inquit, " cum Patriarchis loquitur, aliquando quidem " tanquam Angelus, quandoque verò tanquam " Dominus, quandoque verò Deus eſſe affirma- " tur. Deum enim Univerſi impium eſt exiſti- " mare vocari Angelum ; Filius autem eſt An- " gelus Patris, qui eſt ipſe Dominus & Deus". Deum qui Abrahæ viſus eſt, non fuiſſe Deum Patrem, ſed Filium, ſive ſecundum poſt Patrem Dominum, hoc Argumento probat [h] *Euſebius*, " Quod nulla Ratio permittit ingenitam & im- " mutabilem Omnipotentis Dei eſſentiam in " Specie hominis mutari". Hæc omnia περὶ οἰκονομίας, ſive de Diſpenſatione Filij interpretari, nullo modo Rationi congruum videatur ; nec enim humanæ Naturæ à Chriſto ſuſceptio, aut divinæ Naturæ ſub Specie humanæ ἐπιφάνεια, Deum Verbum alium ab eo qui in Cælis ſemper manſit conſtituebat. Fuit enim divina Chriſti Natura in Cælis, cùm in Terris apparuit ; fuit ſemper Ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς, Rom. 9. 5. *Deus ſuper omnia* ; & Ὁ ποιητὴς τῶν ὅλων, Conditor omnium, Coloſſ. 1. 15. nec numero Deus alius, ſed Perſonâ tantùm. Porrò, qui dicit impium eſſe ea, quæ Deo Filio, nondum incarnato, competere agnoſcebant, Deo omnium omnia complenti, immenſo, immutabili Dei

† *Concil. To.* 1. *p.* 846.

---

[g] Ἐν προσώπῳ τοῦ Θεοῦ, p. 100.

[h] Μηδεὶς ὑπολάβῃ ὁ λόγος τὸν ἀόρατον καὶ ἄτρεπτον καὶ ἀεὶ τοῦ Θεοῦ τὸ παντοκράτορος εἰς αἰσθητὸς εἶδος μεταβάλλειν. Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 2.

omni-

omnipotentis Essentiæ, sive Naturæ adscribere, ij satis indicare videantur Deum Filium à Deo omnium, sive Deo summo, in hisce omnibus distare. *Sermo noster*, inquit [i] *Athenagoras*, *celebrat unum Deum factorem omnium, ipsúmque ingenitum, (quod enim est non est genitum, sed quod non est) & omnia facientem per Verbum ejus.* *Tertullianus* sæpius Verbum Dei Patris *Portionem*, Spiritum sanctum *Verbi Portionem* appellat, dicens, "Eos qui Patrem "non agnoverunt, nec Filium agnoscere po-"tuisse, per ejusdem Substantiæ Cognitionem, "cujus si Plenitudo intellecta non sit, multo ma-"gis *portio. Pater enim est tota Substantia, Filius "verò Derivatio totius, & Portio*". Et rursus: "Si Spiritus Dei Deus, tamen non directò De-"um nominans, Portionem totius intelligi vo-"luit; Sermo Dei hactenus Deus, quia ex Dei "Substantiâ est, & Portio aliqua totius, multo "magis Virtus Altissimi non erit ipse Altissimus, "*quia nec substantiva res est, quod est Spiritus*". Similia habet Apol. c. 21. & per integrum fere librum adversùs Praxeam. "*Christus*, inquit "* Lanctantius, *exhibuit Deo Fidem*; docuit "enim quòd unus Deus sit, eúmque solum coli "oportere; Nec unquam seipsum Deum dixit, "quia non servâsset Fidem, si missus ut Deos "tolleret, & unum assereret, induceret alium "præter unum. Hoc erat non de uno Deo di-"cere præconium, nec ejus qui miserat, sed "suum proprium negotium gerere". Et rursus; "† Primus gradus Veritatis est cognoscere "falsas Religiones. Secundus verò, perspicere "animo quòd *unus est Deus summus*. Tertius,

* L. 4. c. 14.

† *De Ira Dei.* §. 2. p. 766.

---

[i] Ἕνα θεὸν ἄγνω, τὸν τῶν δὲ παντὸς ποιητὴν, αὐτὸν μὲν ἀγένητον, (ὅτι τὸ ὂν οὐ γένεται, ἀλλὰ τὸ μὴ ὂν) πάντα δὲ διὰ τοῦ παρ' αὐτοῦ λόγου πεποιηκότα. Legat. p. 5.

"cog-

" cognoscere Ministrum ejus, & Nuntium quem " legavit in Terram ". [k] *Eusebius* dicit, " Fili- " um non esse eundem cum Deo & Patre ; *nec* " *enim pius esset qui diceret, Filium esse illum Deum,* " *qui est super omnia.* Sicut non erat Lux sensibi- " lis, [l] sic neque Deus ille qui est super omnia ". Pergit ad hunc modum; " Quòd si unum ita e- " rat, atque idem Deus cum Verbo, quod in ip- " so erat, ut *Marcello* videtur, *esset ipse Deus super* " *omnia* ; [m] quòd cùm *Sabellius* ausus est dicere, " illum inter Atheos & Blasphemos Ecclesia " Dei reposuit ". (Confer hæc cum verbis è *Synodo Antiochenâ* citatis.)

Cap. X. 11. *In quos Fines seculorum pervenerunt.*] Ex his verbis, & illis D. *Jacobi*, C. 5. 8. *Adventus Domini appropinquat*, Patres fere omnes colligebant novissima Tempora, & Mundi Finem, Diémque Judicij non procul abfuisse. *Consilia quæ dedimus, servate*, inquit [n] *Barnabas* ; *prope enim est Dies, in quo omnia cum malo peribunt ; prope est Dominus, & Merces ejus.* [o] *Hermæ* etiam sic ; *Quando ergo consummata fuerit Turris, & Ædificata, habet Finem ; sed & citò consummabitur.* * *Irenæus* pariter ; " Nunc autem, quoniam novis- " sima sunt Tempora, extenditur malum in Ho- " mines. Quale autem Spectaculum in proxi- " mo est, inquit † *Tertullianus*, Adventus Domi-

* *Præfat. ad librum quartum.*

† *De Spectat. c.* 30.

---

k Οὔτε γὰρ τὸν ἐπέκεινα τῆς ὅλων ὑιὸν εἰπὼν, εὐσεβὴς ἂν ἦν. de dogm. Eccles. l. 1. c. 7. p. 65.

l Οὕτως οὐδὲ τὸν ἐπέκεινα τῆς ὅλων αὐτὸς ὁ Θεὸς ἦν. Cap. 20. p. 84.

m Ὁ δὲ πλανήσασθαι φάναι τὸν Σαβέλλιον, ἡ ἐκκλησία τὸ Θεῦ ἐν ἀθέοις καὶ βλασφήμοις ἐγκατέλεξεν. L. 2. c. 4. p. 107.

n Ἐγὼς γὰρ ἡμέρα ἐν ᾗ συναπολεῖται πᾶσα τὸ πονηρῶ, §. 21.

o L. 1. Vis. 3. n. 8.

ni,

" ni, in Fine atque in Consummatione Mundi!
‖ *Exhort. ad Martyr. c. 3.* ‖ *Cyprianus*, " Anti-Christi Tempus appropin-
" quare nunc cœpit. Et rursus, * " Resipiscite
" itaque dum Tempus est, quia jam Mundi Fi-
* *Ad Demetr. p. 144.* " nis in proximo est". " † Scire, inquit, debe-
† *Epist. 58. p. 120.* " tis, & pro certo credere & tenere, pressuræ
" Diem super caput esse cœpisse, & occasum
" Seculi, atque Antichristi Tempus appropin-
" quâsse". Vide insuper *Lactantium*, l. 7. c. 14. p. 692. *Pseudo-Justinum*, Qu. 71. & Commentatores in hæc Verba.

Cap. XV. 28. *Tunc subjicietur ei Filius, qui sibi subjecit omnia.*] Quoniam ex hoc loco insurgebant *Ariani* atque *Eunomiani* contra Orthodoxos, & Christi Deitatem minuebant, Patres ferè omnes, post ortam de Christi Deitate Controversiam, hæc non de Christi ipsius Personâ, sed de *Corpore ejus, quod est Ecclesia*, intelligenda esse contendebant, ita ut in *subjectis servus, Dominus*, juxta ‖ Hieronymum, *subjicitur*. " Et
‖ *In Titum Fol. 111. L.* " quomodo pro nobis dicitur *esse maledictum*, cùm
" non maledictum, sed vera Benedictio; ita
" pro nobis vel subjectus scribitur, vel non sub-
" jectus, si aut subditi fuerimus Deo, aut non
* *De Trin. l. 11. p. 289. 290.* " subditi". Juxta * *Hilarium, Tradet Regnum*
" *Deo Patri*, non utique tanquam tradens Pote-
" state concedat, sed quòd nos, conformes Glo-
" riæ Corporis sui facti, Regnum Dei erimus.
" Non enim ait, tradet suum Regnum, sed tra-
" det Regnum, effectos nos per Glorificationem
" Corporis sui Regnum traditurus, nos itaque
† *L. 5. De Fide c. 7. Vide c. 6.* " tradet in Regnum". † *Ambrosius* similiter:
" Quia omnis Ecclesia unum Corpus est Chri-
" sti, quamdiu genus dissentit humanum, Chri-
" stum dividimus; nondum ergo subjectus est
" Christus, cujus non sunt adhuc Membra sub-
" jecta: Cùm autem fuerimus non multa Mem-
" bra, sed unus Spiritus, tunc & ipse subjectus
" erit.

" erit. || *Augustinus*, Non absurdè sic intelligi- ‖ *L. Qu.* 83.
" mus, *Tunc & ipse Filius subjectus erit ei qui subje-* q. 69. p.
" *cit omnia*, ut Filium non solùm Caput Eccle- 591.
" siæ, sed omnes cum eo Sanctos intelligamus,
" qui sunt unum in Christo". Patrum Græco-
rum eadem est Sententia; [p] *Athanasij* nimirum,
qui, cùm hæc verba citâsset, ea hoc Sensu intelli-
genda esse pronunciat; " Cùm omnes Filio sub-
" jecti, ejúsque Membra reperti fuerimus, per
" eum geniti in Filios Dei, tunc & ipse pro no-
" bis subjicietur Patri, ut Caput pro suis Mem-
" bris". [q] *Gregorius Theologus* asserit, " Quòd
" Filius, omnia nostra propria sibi faciens, no-
" stram etiam Subjectionem propriam ducit".
[r] *Basilius*; " Si non subjectus, sed postea subjici-
" etur, intelligendum est secundum Humanita-
" tem, velut pro nobis, & non per se, juxta Di-
" vinitatem, subjicietur". Juxta * *Gregorium* * *Orat. in*
" *Nyssen.* illa Filij quæ dicitur Subjectio, *Ἡ ἡμῶν* *hæc Verba,*
" *γένεται*, fit per nos; cùm quæ in ejus Corpore *p.* 846.
" rectè se gerit Subjectio, ad eum referatur qui
" Gratiam Subjectionis in nobis operatus est.
" *Hæc est Mens Dogmatis à D. Paulo traditi*". Juxta
" † *Theodoretum*, " Quæ sunt nostra sibi appli- † *In locum.*
" cat, quandoquidem Corpus ejus appellamur,
" ipse autem Caput nostrum nominatur. Ipse
" Peccata nostra in se suscepit, & nostram,
" quæ nunc est, Inobedientiam, &, quæ tunc
" erit, Subjectionem, sibi tribuit, & nobis, post
" corruptelæ Expulsionem, subjectis ipse dici-

---

[p] Καὶ αὐτὸς ὑποταγήσεται ἀνθ' ἡμῶν τῷ Πατρὶ, ὡς κεφαλὴ ὑπὲρ τῆς ἰδίων μελῶν. Orat. de humanâ Christi naturâ, p. 611.

[q] Ὅπερ ὁ Υἱὸς, πάντα οἰκειούμενος τὰ ἡμέτερα, καὶ τὴν ἡμετέραν ὑποταγὴν οἰκείαν ἡγεῖται. apud Theophylact. in locum.

[r] Ὡς ὑπὲρ ἡμῶν, ὁ δείκνυς, ὡς ὑπὲρ ἑαυτοῦ. Ep. 141. p. 172.

" tur

" tur ſubjici ". Hanc autem Interpretationem à vero alienam eſſe, ex eo conſtat, quòd *Apoſtolus* loquitur de eo *cui omnia ſubjicienda ſunt*, quod non competit Corpori Chriſti myſtico, ſed ipſi Chriſto ejus Capiti. Adde quod emphaticè dicit, *Tunc ipſe Filius ſubjicietur*, ut ipſius Filij ſingularem Perſonam, intelligas. Denique ipſe ſubjiciendus eſt, *cui Pater omnia ſubjecerat* ; non autem Eccleſiæ, ſed Chriſto ſe omnia ſubjeciſſe dicit hìc *Apoſtolus*. Sequitur,

Ut Deus ſit omnia in omnibus.] Ex hoc, & aliis locis conſtat non ſolum *Origenem*, ſed Patres quoſdam Orthodoxos ſenſiſſe, non tantùm Homines impios, ſed ipſos Dæmonas ſalvandos eſſe. *Gregorius Nyſſ.* hoc non ſemel aſſerit ; ex eo enim *quòd omne genu Cæleſtium, Terreſtrium, & ſub Terrâ agentium* flectendum eſſe Domino D. Paulus docuiſſet, & τῶν καταχθονίων nomine contrarias Poteſtates, & in Hominum Perniciem incumbentes, plerique intelligebant. " Id, inquit, in " hoc loco ſignificat *Apoſtolus*, quòd, [s] Vitio lon- " gis ſeculorum circuitibus tandem extincto, " nihil præter bonum relinquatur ; ſed & à Dæ- " moniis concorditer Chriſti Dominium agnoſ- " catur ". Alibi dicit, " Deum Salutem ope- " raturum, non ſolùm Homini per Diaboli frau- " dem perdito, [t] ſed ei quoque qui nobis interi- " tum attulerat ". Porro univerſum genus humanum ſaluti tandem à Deo deſtinatum multoties ingeminat, nempe Oratione Catechetica, cap. 35. de Animâ & Reſurrectione, p. 643, 654.

---

s "Οτι καλύς ποτε ταῖς μακραῖς τῶν αἰώνων περιόδοις ἀφανισθείσης, μόνον ἔξω τὸ ἀγαθὸν καταλειφθήσεσθαι. De Animâ & Reſur. To. 2. p. 644.

t Ἀλλὰ καὶ αὐτῷ τῷ ἀπολωλότι καθ' ἡμᾶς ἐπεργάσασθαι. Catech. Orat. c. 26. p. 516.

658, 659, 660, 661, 678. Et denique Oratione in illud, *Ut Deus sit omnia in omnibus*, p. 844, 846, 848, 852. ubi contendit, *Deum non posse aliter esse omnia in omnibus*, juxta *Apostolum, quàm evulsâ ab Hominum omnium naturâ omni nequitiâ*. Idem videtur fuisse * *Ambrosij* judicium; "Alios enim "reos Pœnas sustinere docet, quò tandem pos- "sint absolvi: Pœna enim Reorum, Absolutio "est Delictorum. Differtur autem Diaboli Ju- "dicium, ut sit semper in Pœnis". *Chrysostomus* & *Theophylactus* observant, hanc Sententiam apud quosdam obtinuisse, eámque sine Censurâ dimittunt. *Theodoretus* verò eam amplecti videtur, dicendo, "Sic erit Deus de cætero omnia "in omnibus, [v] cum omnes à Peccato liberati, "& ad ipsum conversi, ad deteriora Inclinatio- "nem non admittunt". Et *Photius* apud *Oecumenium*; "Per hæc, inquit, denotat Malitiæ "Abolitionem; cum enim Peccatum ablatum "fuerit, manifestum est quòd Deus erit omnia "in omnibus". Eadem denique Sententia est *Hilarij* D. "Hoc, inquit, dicit (Apostolus) quia "cùm omnium Principum, & Potestatum, & Do- "minationum fuerit pressa superbia, & adora- "verint Christum quasi Deum". Et rursus: "Cùm omnis Creatura unum sentiat, unâ Voce "omnis Lingua Cœlestium, Terrestrium, In- "fernorum, confiteatur unum esse Deum, ex "quo sunt omnia, omnia in omnibus est Deus "Pater". Alij Christianis omnibus catholicis, sacro Baptismate initiatis, ab Igne æterno Liberationem, adeóque Salutem promittebant. Obtinuisse suo tempore hanc Sententiam testatur

* *Ho.* 20. *in Psal.* 118. p. 575.

---

[u] Πάντων τῶν παλαίων ἀπολλαξάντων, καὶ πρὸς αὐτὸν πεφαμένων, καὶ τῷ ὄντι τὰ χείρω μὴ δεχομένων τῷ ῥητῷ. in locum.

† Au-

† *Enchirid.* 67. † *Augustinus* his verbis ; " Creditur autem à quibusdam, quòd etiam hi qui Nomen Christi non relinquunt,& qui lavacro in Ecclesiâ baptizantur, nec ab eâ ullo Schismate, aut Hæresi præciduntur, in quantislibet scelerlbus vivunt, quæ nec diluant pœnitendo, nec Eleemosynis redimant, sed in eis ad ultimum Diem pertinacissimè perseverent, salvi futuri post Ignem, non tamen æterno Igne puniri ". Inter eos celebris est || *Hieronymus*, qui disertim asserit, " Christianos, si Peccatis præventi fuerint, salvandos esse post Pœnas ". Et Commentario in * Isaiam, " Sicut, inquit, Diaboli, & omnium negatorum, atque impiorum qui *dixerunt Corde suo, non est Deus*, credimus æterna tormenta ; sic Peccatorum atque impiorum, & tamen *Christianorum*, quorum opera in Igne probanda sunt & purganda, moderatam arbitramur, & mistam Clementiâ Sententiam Judicis.

|| *Adv. Pelag. To.* 2. *F.* 97. *M.* * *F.* 116. *B.*

V. 50. *Caro & Sanguis Regnum Dei non possidebunt.*] *Valentiniani* & *Marcionitæ* hinc Carnem Salutis Incapacem esse contendebant, & Corporis Resurrectionem denegabant. Duo hic respondent Patres primævi, à Mente *Apostoli*, ni fallor, aliena ; nimirum primò, verba hæc non naturali, sed sensu morali intelligenda esse, i. e. secundum † *Irenæum*, de Carne à Spiritu sancto nondum regeneratâ ; " Caro enim sine Spiritu Dei mortua est ; non habens autem Vitam, Regnum Dei possidere non potest ". Juxta || *Tertullianum*, " Per Carnem & Sanguinem intelligere debemus, non Substantiam, sed opera Substantiæ alienantia à Regno Dei, nempe duas istas Substantias ; proinde hominem veterem interpretamur Carni & Sanguini deditum ". Et paulò pòst ; " Apparet hinc, quòd Carnem & Sanguinem Nomine Culpæ, non

† *L.* 5. *c.* 9.

|| *De Resur. Carnis, c.* 49.

" Sub-

" Subſtantiæ arceri à Regno Dei; nempe ope-
" ra Carnis & Sanguinis, quibus ad *Galatas* ſcri-
" bens abſtulit Regnum Dei". Et denique cum *Irenæo*, dicit, " Solam, & ex ſemetipsâ ſi-
" ne Spiritu Dei non poſſe Regnum Dei poſſi-
" dere". *Methodius* apud *Photium*, " Non Car-
" nem, inquit, ipſam intellexit, ſed irrationa-
" lem Animæ impetum ad Voluptates eam pol-
" luentes". Πονηρὰς πράξεις malas Actiones Carnis indicari dicunt *Chryſoſtomus* & *Oecumenius*. Hæc autem coacta eſſe conſtat ex ipſo ‖ *Auguſtino* monente, " Non de operibus ad beatam
" Reſurrectionem obtinendam neceſſariis, ſed
" de modo Reſurrectionis locutum eſſe *Apoſtolum*
" cùm hæc ſcriberet". Coactior tamen eſt ſecunda *Juſtini M.* Sententia, id quod mortale eſt Hæreditate accipi, Vitam verò Hæreditatem accipere, & Carnem quidem mori, vivere autem Regnum Cœlorum. " Si enim, inquit † *Metho-*
" *dius*, Regnum Dei, quod eſt Vita, à Corpore
" poſſideretur, eveniret ut Vita à Corruptione
" abſorberetur; nunc contrà, id quod mortuum
" eſt, à Vitâ poſſidetur, ut in Victoriâ Mors à
" Vitâ abſorbeatur". Eandem verborum Pauli Explicationem habet *Irenæus*, l. 5. c. 9. ita ſcribens, " Caro hæc ſecundum ſeipſam ſola Reg-
" num Dei Hæreditate poſſidere non poteſt;
" Hæreditate autem poſſideri in Regno à Spiritu
" poteſt; Hæreditate enim poſſidet qui vivit
" (i. e. vivificat) ea quæ ſunt mortua. Quid
" igitur eſt, quod vivit? ſcilicet Spiritus Dei.
" Quæ ſunt autem, quæ ſunt mortua? ſcilicet
" Membra Hominis; quæ & corrumpuntur in
" Terrâ: Hæc autem poſſidentur à Spiritu,
" tranſlata in Regnum Cœlorum". Sed ut verum fatear, inquit ὁ πάνυ * *Grabius*, hæc Expoſitio haud genuina, nec ab *Apoſtolo* intenta videtur, qui ſemetimpſum ſatis declarat verbis imme-

‖ *Epiſt.* 146. p. 677.

† *Cod.* 233. p. 921.

* *Spicileg.* 2. *ſec. p.* 193, 194.

diatè ſequentibus, *neque Corruptio Incorruptionem hæreditabit* : " *Hæc enim Repetitio*, inquit *Auguſti-*
" *nus*, l. 2. contra Adverſarium Legis & Prophe-
" tarum, c. 7. Sententiæ prioris Expoſitio eſt,
" ut, quod ibi dictum eſt Caro & Sanguis, hìc
" intelligamus Corruptionem, non Subſtantiam
" Carnis.

Sectio Tertia

Continens Scholia quædam Sanctorum Patrum in Secundam Epiſtolam ad Corinthios.

CAP. III. 6. *Litera occidit, Spiritus vivificat.*] " Literam dicit, inquit * *Didymus*, ſimpli-
" cem, & manifeſtam, juxta Hiſtoriam, Narra-
" tionem ; Spiritum verò, ſanctum, & ſpirituale
" eſſe quod legitur ". † *Origenes* contra *Celſum*, Literam nominavit Explicationem ſacrarum Literarum juxta Senſum *Literalem* ; Spiritum autem, juxta eam quæ intelligi debet, i. e. *Spiritualem* ; ſic enim ſe explicat Libro ſeptimo, dicens, " Legem, ſicut majores noſtri docuerunt, eſſe
" duplicem, i. e. duplicem admittere Interpre-
" tationem, alteram quidem juxta Literam, ali-
" am autem juxta Mentem Scripturarum. Sen-
" ſum qui literalis eſt vocat Deus per Prophe-
" tam, *Jus non bonum, & Præcepta non bona*, jux-
" ta Ezek. 20. 25. Sin verò Lex, juxta Senſum
" ſpiritualem aut Mentem interiorem Verborum
" accipiatur, Jus bonum, & recta Mandata.
" Cui conſentaneè Paulus dicit, *Litera occidit*,
" quod

* *Apud Hieron. l. 2. c. 4. F 184.*

† *L 6. p. 324, 325.*

" quod idem est ac si dixisset, literalis Sensus " occidit; *Spiritus autem vivificat*, quod æquiva- " let huic dicto, spiritualis ejus intellectus, seu " Mens legis vivificat.

Cap. IV. 5. *In quibus Deus hujus Seculi excæcavit Mentes infidelium.*] Ex hoc loco contendebant *Valentiniani* & *Manichæi*, alterum esse Deum hujus Seculi, alterum qui sit super omnem principatum. Hinc factum est ut Patres multi hoc, quod de Diabolo haud dubiè dictum est, de vero Deo intellexerint. * *Irenæus* contendit hæc verba ita legenda, & puncto post Deum posito, distinguenda esse: *In quibus Deus, Seculi hujus excæcavit Mentes, &c.* ut Sensus sit, Deus (verus) excæcavit Mentes infidelium hujus Seculi. Et rursus: " Unus & idem Deus his quidem qui † " non credunt, sed nullificant eum, infert Cæ- " citatem; his autem qui credunt ei, & sequun- " tur eum, pleniorem & majorem Mentis illu- " minationem præstat. Secundum hunc ergo " Sermonem, & *Apostolus* in secundâ ad Corin- " thios ait, In quibus Deus, hujus Seculi excæ- " cavit Mentes infidelium". ‖ *Tertullianus* simi- liter: " Hanc (Distinctionem) *Marcion* capta- " vit, sic legendo: *In quibus Deus hujus Ævi*, ut " Creatorem ostendens Deum hujus Ævi, ali- " um suggerat Deum alterius Ævi. Nos contrà " sic distinguendum dicimus, *In quibus Deus*, de- " hinc *hujus Ævi excæcavit Mentes infidelium*". * *Epiphanius Maneti* hunc locum objicienti respondet: " Et est reverà Deus hujus Seculi non alius " à vero Deo diversus, nec alius reverà existens; " absit, siquidem Dominus omnium, ac Mundi " Conditor Deus unus est". Eadem dicunt veteres omnes qui in hanc Epistolam commentaria ediderunt, *Chrysostomus*, *Theodoretus*, *Photius* apud *Oecumenium*, & *Theophylactus* inter Græcos. Inter Latinos, *Hilarius D.* dicit, " Deum secularium

* *L. c. 7.*

† *L. 4. c. 28.*

‖ *Contra Marcion. l. 5. c. 11.*

* *Hær. 66. n. 68. p. 682.*

" Hominum Sensus obcæcare, ne videant Veri-
" tatem Evangelij ". *Pseud-Hieronymi* verba notatu sunt digna, viz. " Deus Seculi potest ita
" accipi, quomodo Princeps Mundi, quia ipse
" sibi in infidelibus vindicat principatum;
" sed *propter Calumniam Hæreticorum*, ita intelli-
" gendum est, ut dicamus Deum Mentes Infide-
" lium hujus Seculi, merito Infidelitatis, excæ-
" câsse ". Porro hæc verba cùm *Manes* protulisset in duorum, quos propugnavit, Deorum firmamentum, respondet † *Augustinus*; " Hanc
" quidem Sententiam plerique nostrûm ita di-
" stinguunt, ut dicant, *verum Deum excæcâsse Infi-*
" *delium Mentes* "; quibus ipse accedere videtur dicendo, " Neque enim in his *Apostoli* verbis
" quæ commemoravi, alius Deus intellectus sit,
" quàm ille qui Filium suum misit ". || *Origeni* verus Sensus placuit, nempe, " Veritati non
" credentes excæcatos esse, ab eo quem Filij hu-
" jus Seculi pro Deo habent; & propterea à
" *Paulo* Deus hujus Seculi appellatur; nec enim
" existimes *Paulum* dicere hunc revera Deum no-
" strum esse ". Videbat nempe cum *Cyrillo Alex.* Interpretationem *Irenæi* violentam fuisse; hanc autem simplicem & perspicuam, Diabolum Principem Seculi aliquoties appellari, Joh. 12. 31. Eph. 6. 12. Deo vero autem hunc Titulum nunquam alibi adscribi. Est enim ille eorum tantùm Deus qui ex hoc Mundo vocantur, & à potestate tenebrarum liberantur. Nec demum Dei O. M. Propositum unquam fuit Evangelij Lucem à Mundo abscondere, aut Infidelium Mentes excæcare ne crederent; voluit enim *omnes Homines salvari, & ad Agnitionem Veritatis venire*, 1 Tim. 2. 4. Hinc obiter constat *Origenem* non esse Authorem Dialogi contra *Marcionistas*; is enim hunc locum de Deo vero intelligendum esse contendit. Sect. 2. p. 67.

† *Contra Faustum Manich. l. 21. c. 2.*

|| *In Matt. ed. Hnet. p. 252.*

Cap.

Cap. V. 10. *Omnes nos oportet manifestari ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria Corporis, prout gessit*, τὰ διὰ τοῦ σώματος πρὸς ἃ ἔπραξεν, *juxta ea quæ fecit per, vel in Corpore, sive bonum, sive malum.*] Non tantùm *Pelagiani* judicabant Infantes non esse natos Gehennæ Filios, & Damnationi obnoxios; quoniam, Teste hic *Paulo*, Judicium Christi respiciet tantùm *ea quæ quisque gessit in Corpore*, in quo Infantes subitò morientes nihil gesserunt. Alij enim Patres idem sentiebant. * *Severus* dicit, *Infantum Vitam in Judicium non venire.* [a] *Nazianzenus*, "Infantes non "signatos, *nec ad Gloriam recipi, nec puniri à justo* "*Judice*". [b] *Gregorius Nyss.* Quæstioni, an hi Judicem videbunt? Sistetur Infans coram Tribunali cum aliis? Subibit actæ Vitæ Judicium? Accipiet pro merito Retributionem? Respondet; "Haud scio quomodo hæc de ejusmodi Animâ "cogitare oporteat. "Nomen enim Retribu-"tionis oportere eam aliquid antea præstitisse "significat, quod in hâc Instantiâ locum non "habet; nec boni aut mali aliquid potest con-"tingere ei qui neutrius Specimen præbuerit. "Denique, his, inquit, cùm neque factum ul-"lum, nec Voluntas subsit, quâ ratione dicet "quis, etiam his à Deo contingere id quod ex "Retributione expectatur"? Idem sentire omnes necesse est, qui *Augustini* de Peccato Originali Sententiam vel ex professo impugnabant, vel cum eâ pugnantia docuerunt. † *Augustinus* hìc agnoscit, "Infantes nihil egisse in Vitâ pro-"priâ vel boni vel mali, sed tamen secundum "*Adam* carnaliter natos contagium Mortis

* *Cat. in Job, p.* 233.

† *In Epist.* 107. *p.* 499.

---

[a] Μήτε δοξαδήναι μήτε κολασθήσεσθαι φησὶ δικαίως κριτῆ. Orat. 40. p. 653.

[b] De iis qui præmaturè abripiuntur, p. 754.

" antiquæ primâ Nativitate contrahere, nec li-
" berari à Supplicio Mortis æternæ, quod tra-
" hit ex uno in omnes transiens justa Damnatio,
" nisi per Gratiam renascantur in Christo; un-
" de & ipsi, si in parvâ Ætate moriuntur, utique
" secundum ea quæ per Corpus gesserunt, id
" est, tempore quo in Corpore fuerant, judi-
" cantur, quando per corda & ora gestanti-
" um crediderunt, vel non crediderunt, quan-
" do baptizati, vel non baptizati sunt, quando
" Carnem Christi maducaverunt, vel non man-
" ducaverunt". Et rursus: || " Sicut, inquit,
" per alterum credens reportat bonum, i. e.
" Regnum Cœlorum, ita per alterum non cre-
" dens, reportat Condemnationis Judicium, un-
" de importunè, inquit, negas Parvulum de alie-
" no Peccato reportare malum, & velis eum de
" alieno rectè facto reportare bonum; alienum
" quippe opus est, cùm credit per alterum; si-
" cut alienum opus fuit, cùm peccavit in altero".
Hæc autem absurda esse, & ab omni Veritatis specie aliena, nemo non videt; nec enim, nisi valde improprio & violento sermone, dici potest, Parvulos ea feciſſe, quæ circa illos nescientes, nec consentientes, ab aliis sunt facta, præsertim si ipsis nondum natis sint facta; quale est Peccatum primi Parentis. Ita *Estius* in locum.

|| *Contra Julian. l. 6, c. 4. p. 1112.*

Sectio Quarta

Continens Patrum Commenta quædam in Epistolam ad Galatas.

Cap. I. 16. *Non contuli Carne & Sanguine.*] " Scio, inquit *Hieronymus*, plerosque de *Apo-*
" *stolis*

" *ſtolis* hoc dictum arbitrari ; ſed abſit ut ego *Pe-*
" *trum, Johannem,* & *Jacobum,* Carnem & San-
" guinem putem, quæ Regnum Dei poſſidere
" non poſſunt ". Carnales ergo Homines hic intelligit. Et quia objici potuit, Vocem εὐθέως ſtatim, ſive continuò, indicare ſe poſtea cum Carne & Sanguine contuliſſe, contra manifeſtum Verborum Ordinem, τὸ εὐθέως, quod clauſulam hanc inchoat, ab eâ tollit, & priori quam ſequitur præponit, ad hunc modum, ἵνα εὐθέως, *ut continuò evangelizarem ipſum inter Gentes* : quæ ſanè violenta & coacta ſunt. Sed planè ridiculum eſt quod de Commate decimo ſeptimo ſic ſcribit, " *Veni in Arabiam,* id eſt, *ad Legem &*
" *Prophetas, ad Veteris Teſtamenti,* jam in occiduo
" poſiti, Sacramenta converſus, ut quæſiverim in
" in eis Chriſtum. *Et iterum reverſus ſum Da-*
" *maſcum,* hoc eſt, *ad Sanguinem & Paſſionem*
" *Chriſti.* Et deinde Lectione Prophetică firmatus *pergit Hieroſolymam,* locum Viſionis &
" Pacis ".

Cap. II. v. 11. *Cùm autem veniſſet Petrus Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia erat reprehenſibilis.*] Valde importuni ſunt Patres, & minimè excuſandi, qui negant hìc *Petrum* peccâſſe, &, cum *Hieronymo,* dicunt, " Paulum reſtitiſſe ſecundum
" faciem publicam Petro, ut Hypocriſis obſer-
" vandæ Legis, quæ nocebat eis qui ex Gentibus crediderant, *Correptionis Hypocriſi emendare-*
" *tur.* Quod autem ait, *reprehenſibilis erat,*
" propterea mediè temperavit, ut intelligamus
" non tam *Paulo* eum fuiſſe reprehenſibilem,
" quàm his Fratribus, cum quibus ante edens, ſe
" ab iis poſtea ſeparavit ". Atque hinc infert utilem eſſe Simulationem, & aſſumendam in Tempore. Celebris eſt epiſtolaris *Auguſtini* cum * *Hieronymo* velitatio de hàc ipsâ re ; in quâ *Hieronymus* ſe veterum communi Suffragio defendit, puta

* *Apud Auguſt. Ep.* 15. p. 47.

puta *Origenis, Didymi, Apollinarij, Eusebij Emisseni, Theodori Heracleotis*, & *Chrysostomi, & patere me*, inquit, *errare cum talibus.* In eandem Sententiam Græci Commentatores reliqui consentiunt, *Photius* apud *Oecumenium*, & *Theophylactus*, contra disertissima *D. Pauli* verba, qui eum reprehensione dignum ob istam Simulationem pronuntiat, & hoc *Petrum* fecisse contra Veritatem Evangelij, Spiritu sancto dictante, edocuit.

Cap. V. 12. *Utinam abscinderentur*, ὄφελον καὶ ἀποκόπτονται, *qui vos subvertunt.*] " Non solùm " spiritualiter his maledicit, juxta *Hilarium*, sed " & carnaliter, ut, quia circumcîdi *Galatas* cogebant, ipsi abscinderentur, ut multiplicaretur " his Dolor Corporis. Illud, inquit *Hieronymus*, " potest dici, quod *Paulus* non tam maledixerit " eis, quàm oraverit, ut eas Partes Corporis " perderent, per quas delinquere cogebant". *Pseud-Hieronymus* verò sic ; " Si putant sibi hoc " prodesse, non solùm circumscindantur, sed " etiam abscindantur ; si enim Expoliatio Membri proficit, multo magis Ablatio". Congruunt cum his Græcorum Patrum commenta in locum : " *Si volunt, non solùm circumscindantur, sed & exscindantur :* Ita *Theodoretus, Chrysostomus*, & *Theophylactus. Sed & perfectè abscindant eorum genitalia* : Ita *Theophylactus.* Leviora hæc videntur, & Patrum Gravitate indigna ; est autem vehementiùs improbandum id quod *Hieronymus* hìc suggerit, " *Paulum* nimirum in his verbis, con" tra Christi Præceptum, & contra suiipsius " monitum, *Galatis* maledixisse, & magis *Judaico* Furore, & quadam effrænatâ insaniâ, se non " potuisse cohibere, quàm imitatum esse eum, " qui, *tanquam Agnus coram tradente se, non aperuit Os suum, & maledicentibus non maledixit.* Nec " mirum esse si *Apostolus*, ut Homo, & adhuc " vasculo clausus infirmo, vidensque aliam Le-

" gem

" gem in Corpore ſuo *captivantem ſe, & ducentem* " *in Lege Peccati*, ſemel fuerit hoc locutus, in " quod frequenter ſanctos Viros cadere perſpici- " mus ". Quæ quidem non in Apoſtolo διαπνεύσῃ, ſed in ipſo *Hieronymo* inſaniam indicant, & effrænatam oris maledici Licentiam.

SECTIO QUINTA

Continet Patrum quædam Gloſſemata in Epiſtolam ad Epheſios.

CAP. I. Ver. 1. *Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per Voluntatem Dei.*] Fidem fere ſuperat id quod hìc ait *Hieronymus*, " Quosdam ita hunc " locum intellexiſſe, ut *Paulum Apoſtolum. Jeſu* " *Chriſti* per Voluntatem Dei qui ſit Chriſtus, " oſtendi putent, ut ſicut Sapientia, & Verbum, " & Virtus Dei, & Veritas, & Reſurrectio, & " Via, dicitur, ita etiam Voluntas (Dei) appel- " letur ". Sequitur τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσιν ἐν Ἐφέσῳ, *ſanctis qui ſunt in Epheſo*, ubi *Hieronymus* hæc habet : " Quidam curioſiùs quàm neceſſe eſt pu- " tant, ex eo quod *Moyſi* dictum eſt, *hæc dices Fi-* " *liis Iſrael, Qui eſt, miſit me*, etiam eos qui *Ephe-* " *ſi* ſunt ſancti, & fideles, Eſſentiæ vocabulo " nuncupari ": Reſpiciens, inter alios, *ſanctum* † *Baſilium*, qui, Libro ſecundo contra *Eunomium*, gentes à Deo ſeparatas μὴ ὄντας non exiſtentes, unitos autem Deo per Fidem τὰς ὄντας appellari, ex his verbis contendit. † *To.* 1. *p.* 733.

V. 10. *Reconciliare omnia in Chriſto, quæ in Cœlis & in Terrâ.*] *Pſeud-Hieronymus* hìc monet, " Interpretes multos ſuper hâc re diversa dixiſſe ; " nam

" nam quidam, inquit, aiunt *Cœlum*, Animas, " *Terram*, Corpora accipienda. Alij Cœlos " *Judæos* qui cæleſtia Præcepta habuerunt, Ter- " ram eſſe *Gentiles* affirmant. Alij verò aſſe- " runt non Angelos per Cœlos ſignificari, ſed " eorum Scientiam; ex Chriſti enim Tempore " profeciſſe, qui tanquam ignari interrogabant, " *Quis eſt ille Rex Gloriæ?* & docentur *Dominum* " *eum eſſe Virtutum*". Quæ omnia à ſcopo *Apoſtoli* aliena eſſe conſtat. Nec meliùs verus *Hieronymus*, cujus hæc ſunt Verba, "Diligenter at- " tendite, quòd non ſolùm omnes Hiſtoriæ " Scripturarum, quas in Terrâ geſtas Spiritus " ſanctus enumerat, ſed etiam in Cœleſtibus quæ " nobis occultæ ſunt, in Chriſti recapitulata " Paſſione teneantur. Senſus itaque in præſenti " loco iſte eſt; Omnis Diſpenſatio quæ & ante " Mundum, & poſtea eſſe cœpit in Mundo, " tam inviſibilium, quàm viſibilium Creatura- " rum, Adventum Dei Filij pollicebatur, quòd " Adam, qui è Paradiſo ejectus eſt, per Salvato- " rem revocandus erat; quòd in Fabricatione " Turris Linguarum Unitas ſciſſa eſt, in Acti- " bus Apoſtolorum portendebat Donum Linguarum; quòd Iſaac Typo Domini Crucem ſuam ipſe portavit; quòd Sampſon, ſanctam comam nutriens, *Dalilæ* pauperis dilexit amplexus, & omnia Cordis ſui ſecreta confeſſus eſt, Salvatoris, & Eccleſiæ ex Gentibus, verè pauperis & egeni Myſterium ſignificabat. In Cruce itaque Domini, & in Paſſione ejus recapitulata ſunt omnia". Adhuc in pejus prolabitur illud *Hilarij D.* "Voluntas ejus hæc fuit, ut tunc propitius fieret omnibus qui in Error erant, ſive in Cœlis, ſive in Terrâ, quando Chriſtum manifeſtavit hoc Donum eſſe credentium, ne illis imputarentur Peccata, ſuſcipientibus Fidem. Omnis ergo Creatura in

" Cœlis,

" Cœlis, & in Terris, dum discit Agnitionem " Christi, restauratur ad id quod est condita. " Cùm enim ad unius Dei Fidem imbuitur, " cognito Mysterio Salvatoris, ab Errore quem " ceperat restauratur, pro certo habens Creato- " rem suum unum esse, & Deum & Dominum. " Hinc est unde & *Johannes* in Apocalypsi dicit, " *Vidi Michael & Angelos ejus in Cœlo pugnare cum* " *Dracone, & cum Exercitu ejus.* Hæc repugnan- " tia partim de Errore est, partim de Usurpatæ " Tyrannidis Præsumptione ". Et rursus: " Hoc est quod supra memoravi, quia ut ea om- " nia quæ fecit per illum restauraret, cùm Erro- " re quodam discrepare cœpissent ab invicem, " nec non ab Autore, est enim adhuc Error in " carnalibus Cœlis. Humiliavit eum, incar- " nando illum, ut Homo factus ostenderet ac " doceret quomodo possint ea quæ in Firmamen- " to sunt, & super Terram, reconciliari Crea- " tori. Quod ut ad Perfectionem perduceret, " occidi se passus est propter Homines, ut, quos " apud superos docuerat, exeuntes hinc à Morte " secundâ teneri non possint, ut Doctrina ejus " Fructum haberet primæ Institutionis, & om- " nia facta per ipsum viverent in ipso, quasi in " Autore, sicut *Petrus* fatetur *in Actis Apostolorum*". Quæ quidem vel *Origenis* Deliria sapiunt, vel captum meum fugiunt.

Cap. II. ver. 3. *Et eramus Naturâ Filij Iræ sicut & cæteri.*] De sensu horum verborum alibi actum est: ne tamen gratis dixisse videar Patres omnes, ante Augustinum, uno ore asserere, Peccatum omne non Naturæ quâ nascimur, sed ἀυτεξουσίᾳ, sive Electionis nostræ Arbitrio, originem suam debere, eósque, qui Naturâ, strictè sic dictâ, nos Peccatores constituunt, Deum Naturæ Authorem, Peccati etiam Authorem facere, duo hæc latiùs deducenda in me suscipio.

Et

Et Primò, Peccatum propriè ſic dictum non Naturæ, ſed propriæ cujuſque Voluntati, tanquam origini adſcribendum eſſe, juxta *Chryſoſtomum*, *Oecumenium*, & *Theophylactum*, ex iis quæ in hunc locum annotant, liquidò conſtabit. Nempe, "*Apoſtolum*, dicendo *Epheſios* in Peccatis Mortuos fuiſſe, non intelligere Mortem Corporis, quæ ex *Adamo* originem ſuam habuit, ſed Mortem Animæ, quæ à nobis ipſis peccantibus initium ducit". Vide quæ in hanc Sententiam produximus, Tractatu de Peccato Originali, c. 7. p. 135, 136, 137. quibus innumera addi poſſe ſatis intelligunt ij, qui in Patribus legendis vel mediocriter verſati ſunt.

Secundò, Id porro obſervandum eſt, Patres in omnibus ferè locis, quæ pro Peccato Originali militare videantur, idem ſedulò obſervâſſe. *Olympiodorus* in Job, 14. 4. "Hoc, *inquit*, dicit, quia infirma eſt Natura, propter Adami Tranſgreſſionem, & ad Peccatum proclivis, [a] *Non autem quòd Peccatum Subſtantiæ noſtræ connatum ſit*; abſit". Et in hæc verba, *Quid eſt Homo, ut mundus ſit*, Gr. ἀμεμπτὸς Culpâ immunis, hoc dictum eſſe velit, "Quaſi diceret, Natura ipſa Paſſionibus obnoxia, proclivis ad Peccatum eſt". *Pſeudo-Juſtinus*, "Nemo, inquit, πφυκὼς ἁμαρτάνειν, *natus ad peccandum non peccat*; natus autem eſt ad peccandum, qui per liberi Arbitrij delectum ſeipſum ducit ad bona aut mala perpetranda. [b] Patet autem Infantem ad peccandum non eſſe natum, utpote qui nondum eâ vi ſit præditus". *Chryſoſtomus* & *Theodoretus* in Pſ. 50. 7. "Per hæc omnia docemur,

---

a Οὐ μὲν ὡς συνεσπαμένης ἡμῖν ἁμαρτίας· μὴ γένοιτο. Caten. in Job. p. 274.

b Τὸ δὲ βρέφος ὅτι ὔπω ὢν τῆς τοιαύτης διανοίας, δῆλον· ὅτι οὐδὲ πέφυκεν ἁμαρτάνειν. Reſp. ad Qu. 88.

" mur, [c] *non esse Peccati Operationem ex Naturâ, si* " *enim ita esset, à Pœnâ liberi essemus.*

Idem *Chrysostomus* in Rom. 5. 19. " Quòd " Adamo peccante, & mortali facto, omnes ab " eo ortum ducentes morti subjicerentur, nihil " absurdi in se habet; est autem à Ratione alie- " num, ex unius delicto alium fieri Peccatorem; " nec enim talis invenietur cui Pœna sit debita, " cum non sit ex propriâ Actione (aut Voluntate) Peccator.

Denique, *Suidas*, dè hoc ipso loco verba faciens, " Per Naturam, inquit, longam Consuetu- " dinem intelligere debemus; si enim Peccatum " juxta Naturam esset, *Culpa in Authorem Naturæ* " *injiceretur*". *Didymus Alex.* dicit Apostolum [d] *id quod Naturæ accedit, non quod secundum Naturam est, significare. Hilarius D.* " Naturâ, inquit, " eramus Filij Iræ sicut & cæteri: Naturæ enim " cùm mala Voluntas supponitur, fit Natura Iræ, " id est, quæ Ultioni subjicienda sit; immutatâ " non Substantiâ, sed malâ Voluntate; hoc enim " deputatur Naturæ, quod sequitur.

Secundò, Eos, qui Peccatum Naturæ ex ortu ipso malæ adscribunt, cum *Hæreticis* secundum Patres sentire, ex iis quæ contra *Hæreticos* Naturam incusantes scripserunt, perspicuum erit. Quod ut luculentiùs appareat, notandum

Primò, Idem apud Patres existimari, Naturâ esse tales, & nasci tales. Quos enim Christus Eunuchos appellat *de Matris Utero*, sic natos eosdem Patres *Naturâ Eunuchos* vocitant. Ita *Hilarius* & *Hieronymus* in locum, *Chrysostomus* & *Theophylactus*, * *Clemens Alex.* ἐκ γενετῆς, *Nazianzenus*, ἐκ Φύσεως Εὐνύχους, Orat. 31. p. 506.

* Strom. 1. p. 426.

[c] Οὐχ ὅτι φυσικὴ τῆς ἁμαρτίας ἐνέργεια, ἦ γὰρ ἂν ἦμεν ἀλλ' ἄτεροι ἁμαρτίαι, εἴπερ τοῦθ' ἅπαξ εἶχεν.

[d] Τὸ προσκείμενον τῇ αὐτῇ, ἃ τὸ κατὰ φύσιν σημαίνειν. Contra Manichæos, apud Combefis. p. 23.

Se-

Secundò, Dicendo Peccatum non Naturæ, ſed Electioni deputandum eſſe, planè innuunt illud omne, quod Voluntati Propriæ adſcribi non poteſt, Naturæ imputandum eſſe. His ita præmiſſis, Inſtantiis rem hanc manifeſtam facere progredimur. Et,

†L.1.p.35. Primò, *Valentiniani*, teſte † *Irenæo*, Animas ſubdividentes, quaſdam Naturâ bonas, quaſdam verò malas eſſe contendebant; & iterum, Naturâ nequam Homines dicunt quoſdam; & rurſus, Naturâ bonos. Contra hos diſputat *Irenæus* l. 4. adverſus Hæreſes, c. 72. (cujus Lemma eſt, *Oſtenſio quòd non Naturâ quidam boni ſunt, quidam verò mali, ſed quòd in Hominis Electione ſit bonum*) ad hunc modum: "Si Naturâ quidam boni, quidam verò mali, γεγόναση nati eſſent, neque "hi laudabiles eſſent quia boni, tales enim conſtituti ſunt, neque illi culpandi quia mali, "tales enim editi ſunt, nec aliud eſſe poſſunt "præterquam quod facti ſunt". Si ergo Parvuli Naturâ ſint Filij Iræ, ſunt itidem Φύσει Φαῦλοι γεγονότες; non enim ſunt Naturâ Irâ digni, qui non ſunt Naturâ mali. Et capite 71. (cujus Titulus ſic ſe habet, *Oſtenſio quòd homo liber ſit, & ſuæ Poteſtatis, ad hoc ut à ſe eligere poſſit meliora & contraria.*) "Illud, inquit, quod ait, *Quoties "volui congregare Filios tuos, & noluiſti*, veterem "legem Libertatis Hominis manifeſtavit, quia "liberum eum Deum fecit ab Initio, habentem "ſuam Poteſtatem, ſicut & ſuam Animam, ad "utendum Sententiâ Dei voluntariè, & non "coactum à Deo; & propter hoc, conſilium "quidem bonum dat omnibus; poſuit autem in "Homine Poteſtatem Electionis, ut hi quidem, "qui obediſſent, juſtè bonum ſint poſſidentes, "datum quidem à Deo, ſervatum autem ab ipſis; "qui autem non obediêrunt, juſtè non inveniuntur cum bonis, & meritam Pœnam perci-

" piant —— Abjicientes igitur bonum, & quaſi " reſpuentes, meritò omnes in juſtum Judicium " incident Dei ". Infantes igitur, qui non habent à ſe Poteſtatem eligendi meliora, & quibus Deus non dedit bonum, qui bonum nec abjecerunt, nec reſpuerunt, meritam Pœnam non percipient, nec in juſtum Judicium Dei incident. Eadem docet [e] *Juſtinus* his verbis: " Homo non " eſſet Remuneratione aut Laude dignus, ſi non " per ſeipſum bonum eligeret, ſed talis editus " eſſet; nec ſi malus fuerit, Pœnâ dignus eſſet, " utpote qui nihil aliud eſſe potuit, quàm quod " natus ſit ". *Naſci autem omnino non eſt in noſtrâ Poteſtate.* Quæ pariter Parvulorum Cauſam agere, cæcus eſt qui non videat.

Secundò, † *Saturninus* docuit, " Ab Angelis † *Iren. l. 1.* " duo Hominum genera formata eſſe, alterum *c. 23.* " quidem bonum, alterum verò nequam; atq; " hæc duo repræſentari per piſces bonos, malóſ- " que in rete incluſos ". Huic Expoſitioni, inquit *Origenes*, repugnant Scripturæ omnes, quæ " Libertatem Arbitrij adſtruunt, Peccatores in- " crepant, & rectè agentibus Laudem tribuunt. " [f] Nec enim juſta eſt eorum Reprehenſio, qui " tales ſunt ex genere Naturæ quam ſuſceperunt, " nec eorum Laus, quos melior Natura tales fe- " cit. Porro, quòd Piſces boni, vel mali ſunt, " non in Piſcium animabus poſitum eſt: Hìc " verò nos ſumus in causâ quamobrem pulcra " genera ſimus, & digna colligi; vel putrida,

---

[e] Οὐκ ἀφ' ἑαυτῆ ἑλόμενο τὸ ἀγαθὸν, ἀλλὰ τῦτο γενόμενο· ὐδὲ, εἰ κακὸς ὑπῆρχε, δικαίως κολάσεως ἐπύχανεν, ὢν ἀφ' ἑαυτῆ τοιῦτο ὦν, ἀλλ' ὐδὲν δυνάμενο εἶναι παρ' ὃ ἐγεννήθη. Apol. 2. p. 81. Τὸ δὲ τὼ ἀρχὼ γενέσθαι ὐχ ἡμέτερον ἦν. P. 58.

[f] Οὐκ ἂν δικαίως μέμψεως τῖς ὑπὸ τῦ γενῶν φύσει τοιύτων τυχανόντων ἀκολουθήσης. in Matth. p. 214.

" &

" & digna quæ foras ejiciantur : nec enim in " nobis Natura est Vitiositatis Causa, sed Electio " spontanea malum faciens. In nobis, inquit, non in *Adamo*, prout *Augustinus*. *Theodoretus Saturninum* posuisse dicit " Duas Hominum differ- " rentias, alios siquidem bonos, alios malos esse, " & hanc Homines discrepantiam in, vel cum, " Naturâ accepisse ". Hæc autem cum Dei Justitiâ & Bonitate adversâ fronte pugnare docet *Theodoretus* his Verbis : [g] " Quomodo enim bonus " jure appellaretur Actor Vitij, aut quomodo " justus Naturam puniens quæ boni agere nihil " potest, sed vinculis Iniquitatis est adstricta? Quomodo ergo justè punire potest Naturam Infantilem, juxta *Augustinum*, his vinculis ita constrictam, ut damnata, & Gehennæ Filia necessariò nasceretur ? Porro *Augustini* vanum effugium de *Adami* solius Naturâ bonâ dupliciter ex-
‖ *Ibid. c.9. p. 271.* cludit : (Primò) Dicendo cum Patribus, " ‖ De- " um Authorem esse, non tantùm Naturæ Pro- " toplasti, sed omnium ejus Posterorum ; ut e- " nim Hominem primum ex Terrâ formavit, " ita nunc, inquit, eo volente, Embryon in " Matrice formatur ; & positis à Deo in princi- " pio legibus Natura obsequitur. Secundò, " Hominem, inquit, bonum Deus ab initio " creavit, libero autem Consilio. Hi quidem " incorruptam servârunt illam quam acceperunt " Naturam, alij vero in pejus declinaverunt ". Quæ cum *Augustini* Sententiâ ex diametro pugnant, juxta quam Nemo ex *Adamo* satus Naturam accepit vitio non infectam ; Nemo ex libero ejus Arbitrio, sed ex Naturæ necessitate corrumpitur.

---

g Πῶς δ' ἂν ἀγαθὸς ἐκάτως κληθείη τῆς κακίας ὁ ποιητής; πῶς δὲ δίκαιος, ὁ φύσιν κολάζων, ἀγαθόν τι δρᾶσαι μὴ δυναμένην, ἀλλὰ τοῖς τῆς κακίας πεπιδημικόσιν ὑποπίπτουσαν; Hær. Fab. l. 5. c.8.

Ter-

Marcionis Discipuli statuebant * κακὴν ἡ γένεσιν, Generationem esse malam, adeóque producere Naturam malam, *ex malâ Materiâ, & justo Opifice factam*, atque hoc affirmabant *Paulum* dicere, ex Deceptione Generationem constare, his verbis, *vereor ne sicut Serpens decepit Evam*, &c. contra quos hoc Argumento pugnat *Clemens Alexand.* "Non verum esse Animas superiùs aberrantes "in hanc Generationem perveniisse; [h] *creata e-* "*nim est Generatio, & Creatura Omnipotentis*, qui "nunquam à melioribus ad deteriora deduceret "Animam". Quis autem negare potest Generationem Filiorum Iræ ex *Evæ* Deceptione, juxta *Augustini* Sententiam, profluxisse, aut Animas à Deo creatas, & per Unionem cum Corpore reatum hunc contrahentes, ad deteriora dilapsas esse? *Auctor Dialogi* contra *Marcionitas* inducit *Adamantium* pluribus contra hanc Sententiam disputantem, & asserentem, "† Mala nec "secundum Naturam, nec Essentiam esse, sed "more fieri ex Arbitrij Libertate; & *Eutropium* "judicantem ab eo demonstratum esse, Malum "non esse secundùm Naturam, sed ex acciden- "te". Denique || *Origenes* in hæc Christi Verba, *Testimonium vobis redditis, quia Filij estis eorum qui occiderunt Prophetas*, ob hoc eos culpabiles neutiquam fuisse, hoc Argumento demonstrat, "In re quæ ex Arbitrio Hominis non contingit, "quomodo potest Homo reus fieri? nec enim "ex Arbitrio cujuscunque Hominis est, *cujus* "*sit Filius, boni Viri, an mali Viri*". Non ergo reus potest esse Infans, quòd est Filius *Adami*.

Quartò, *Heracleon* Naturam Diaboli talem fuisse docuit, ut in Veritate stare non potuerit, ex

* *Clemens Alex. Strò.* 3. *p.* 425.

† *Sect.* 3. *p.* 84. *Sect.* 4. *p.* 100.

|| *Ho.* 26. *in Matth.* F 49.

h Κτισις γὰρ ἡ Γένεσις, καὶ Κτίσις τοῦ Παντοκράτορος. Ibid. p. 466.

[i] *Naturâ ſuâ proprium habens ſibi Mendacium* ; unde per Patrem intelligit Naturam ipſius. " Hæc " autem, juxta *Origenem*, Diabolum liberant ab " omni Vituperio, Culpâ, & Accuſatione.[k] Ne- " mo enim jure vituperaret, inculparet, aut in- " cuſaret eum qui ad meliora non ſit Naturâ " compoſitus, aut aptus natus ". Infelix potiùs eſt Diabolus, juxta Heracleonem, quàm culpabilis. Infelix pariter eſt Infans ad meliora non compoſitus, potiùs quàm culpabilis. Pergit ad hunc modum *Origenes*: " Sæpe diximus, ſi hoc, " quod fieri non poteſt, conceſſum ſit, Homi- " num Naturas diverſas eſſe, & Diabolum meli- " orum Incapacem fuiſſe, ejus Patrocinium ſuſ- " ciperemus, utpote qui Pravitatis ſuæ Author " non eſſet, Culpámque in eum injiceremus qui " eum ita conſtituerit, talémque ei Eſſentiam " dederit, *quod eſt omnium abſurdiſſimum* ". Contra eandem Sententiam [l] *Theodoretus* hoc Argumento pugnat: " Juſtum ſcimus eſſe Deum, & " Fontem Juſtitiæ ; non ergo injuſtè Dæmones " punit, & eorum Ducem ; & bonorum Condi- " torem ſcimus bonum Deum, ab omnibus re- " ctè ſentientibus, appellari ; non igitur pro- " duxit Naturam quæ nihil boni facere poſſit, " ſolum autem Vitium invita pareret. Quòd " ſi nec malam Naturam produxit Deus, nec in- " juſtè punire ſuſtinet, punit autem Diabolum, " & illi ſubditos Voluntate, ergo malus eſt Dia- " bolus, & qui ſunt ejus Partium ". Quomodo enim juſtè punirentur *qui talem Naturam à Principio acceperunt?* Quomodo, inquam, Infantes, qui talem Naturam ab Adamo, eorum Principio, ac-

---

[i] Ἐκ τῆς ἰδίας Φύσεως ψεῦδος ἔχων. Orig. in Joh. p. 329.

[k] Οὐδεὶς γὰρ ἐυλόγως ἂν ψέξαι ἢ ἐγκαλέσαι, ἢ μέμψαιτο τὸν μὴ πεφυκότα πρὸς τὰ κρείττονα. Ibid.

[l] Οὐκοῦν ἀδίκως κολάζει τοὺς Δαίμονας. Hær. Fab. l. 5. c. 8.

cepe-

ceperunt? *Non quiſquam*, fatente * Auguſtino, *de Vitiis naturalibus, ſed de voluntariis Pœnas luit.* * *De cib. D. l.* 12. *c.* 2.

Quintò, † *Auguſtinus* docet *Hæreticos Manichæos*, aliáſque peſtes ſenſiſſe, quòd ſuam quandam propriam, tanquam ex adverſo quodam Principio, Diabolus habeat naturam mali, atque ideo de eo dictum eſſe, *quòd ab Initio peccet.* Quibus reſpondet ad hunc modum; " || Illud quod ait || *Cap.* 15. " de Diabolo *Johannes*, quòd ab Initio Diabolus " peccat, non intelligunt, ſi naturale eſt, nullo " modo Peccatum eſſe, (quod æquè in Infanti- " bus locum habet) ſic enim Crimen illud non " tam Operi imputandum eſſet, quam Aucto- " ri". *Ludovicus* Vives in locum, Capite decimo ſeptimo hunc Titulum dedit, *Vitium Malitiæ, non Naturam eſſe, ſed contrà; cui ad peccandum non Conditor Cauſa eſt, ſed Voluntas.* Infantis autem nulla eſt Voluntas, nullum itaque Peccatum. † *De Civ. D. l.* 11. *c.* 13.

Denique ea, quæ Patres contra *Genethliacos* producunt, vim eandem habere contra eos qui nos ex ipſo ortu Peccati reos conſtituunt, ex nomine fere conſpicuum eſt. Ea enim eſt eorum Sententia, nos ex Aſtris, Nativitati noſtræ dominantibus, ſive ἐκ τῆς γενέσεως, ex Nativitate ſub hâc aut illâ Aſtrorum Poſitione, Naturam vel bonam, vel malam contrahere, & Peccatores quoſdam neceſſariò eſſe. Idem verò dicere videntur, qui nos ἐκ τῆς γενέσεως, i. e. ex Ortu Iræ Filios conſtituunt; eâdem enim Neceſſitate utrinque Peccatores conſtituimur. Porro tolli, hâc Sententiâ, contendit * *Epiphanius* juſtum Dei Judicium. *Eſt enim horum alterum neceſſarium*, vel Geniturâ exiſtente, non eſſe Judicium, quia quæ faciunt Homines, ex ſeipſis non faciunt, ſed Fato victi, vel Judicio exiſtente, ſupervacaneum eſſe Fatum. Denique juxta † *Hieronymum*, *ubi aufertur poſſibilitas, aufertur & Vitium; nemo enim ex eo* * *Hæret. Phariſ. p.* 35. † *L.* 3. *adv. Pelag. ab Initio.*

condemnatur, quod facere non potuit. Non ergo Infans ita ab Adamo natus, ut alium se facere non potuerit. || Author imperfecti operis contra *Genethliacos* sic disputat: " Cum sit præscius futuro-
" rum Deus, quòd tanta Iniquitas futura erat per
" Stellas; si noluit emendare, non est bonus;
" si autem voluit, & non potuit, impotens est;
" sed etiam injustus est qui, ex Necessitate Stel-
" larum peccantes, ita punit, quasi ex Voluntate
" peccantes. Ipsa denique mandata Dei ne
" peccent, aut hortamenta ut faciant bonum,
" per hanc insipientiam nonne destruunt? Quis
" enim hortetur aliquem ne faciat malum quod
" non potest declinare; aut ut faciat bonum,
" ad quod non potest pervenire?

|| *In Matth. Ho. 2. p. 17, 18.*

Sectio Sexta

Continet quædam ex Patribus notanda in Epistolam ad Philippenses.

CAP. III. 19. *Quorum Gloria est in pudore ipsorum.*] Multi dicunt Apostolum hæc dixisse de Circumcisione Genitalium. Interpretationem hanc respuunt quidem *Græci*, amplectuntur verò *Latinorum* multi: * *Ambrosius*, qui legit, *in pudendis Gloria ipsorum*. *Hilarius D.* intelligit eos qui *Galatas* subvertebant, sub Nomine Christi *Judaismum* colendum prædicantes, *gloriantes in pudendis Circumcisis*. *Pseud-Hieronymus*, *in Circumcisione verecundi Membri*. " Respexit, in-
" quit *Augustinus*, quosdam in Carne fidentes;
" ipsi erant qui de Carnis Circumcisione gloria-
" bantur, de quibus alio loco dicit, *quorum Deus*

* *Primo de Cain, & Abel, c. 5.*

" *Ven-*

" *Venter eſt, & Gloria in pudendis eorum.* Serm. decimo quinto de Verbis Apoſt. p. 329.

Cap. IV. 3. *Cum Clemente.*] Orta eſt nuper Sententia Viri in Paradoxis fingendis promptiſſimi, iiſq; defendendis non minùs obſtinati, qui Conſtitutiones Apoſtolicas, ſub *Clementis* Nomine editas, & per omne Ævum, ab univerſo eruditorum Cætu inter Apocrypha numeratas, in Partem Sacratiſſimam Canonis Evangelici evehere conatur; quod perperam & inſolenter ab eo factum eſſe ex ipſis Conſtitutionibus facile eſſet oſtendere. Eſſe autem Apocryphum & Pſeudepigraphum hoc opus, ab Apoſtolis non profectum, nec ab *Apoſtolico Clemente*, probat *Cotelerius* ex eo, " Quòd per Apoſtolica tempora " latuit; quòd à tot ſanctis Patribus ignoratum " fuit, aut neglectum; quòd plurimis Suſpicio- " nem movet Suppoſitionis, plurimis Certitudi- " nem dedit Falſitatis; quòd eas Eccleſia Catho- " lica à Canone Divinarum Scripturarum exclu- " dit; quòd denique ſexcenta complectitur cùm " Veritati, tum Veriſimilitudini pugnantia, re- " centiora Temporibus Apoſtolicis, & ab Apo- " ſtolico Charactere remotiſſima". Notis in Conſtit. Apoſtol. p. 113. Et ſanè Argumentum planè Apodicticum contra Conſtitutionum harum S. Authoritatem & Canonicam exhibet Patrum, qui de S. Scripturarum Canone ab Initio ad mille Annos & ultra diſſertârunt, unanimis Sententia. Hi enim omnes cùm Libros N. Teſtamenti monocanonicos, ſive qui ſoli ab Eccleſiâ pro Canonicis agnoſcebantur, enumerant, Conſtitutiones has penitùs omittunt. *Concilium Laodicenum*, cujus Canones inter Eccleſiæ Univerſalis regulas locum diu obtinebant, & à Concilio generali Chalcedonenſi confirmati ſunt, Libros N. Teſtamenti qui ſoli Canonici cenſebantur enumerando, Conſtitutiones has penitùs o-

mittit, atque adeò inter ἀναγνώσκα βιβλία, Libros à Canone excluſos, reliquit. Synopſis, quæ *Athanaſio* adſcribitur, inter Libros N. Teſtamenti Canonicos, eos tantùm enumerat, [a] *quos tota Eccleſia catholica jam recipit*, iiſque contineri dicit, omnes Novi Fœderis Libros; quibus verbis manifeſtò ab hoc numero *Conſtitutiones Apoſtolicas* excludit. In Epiſtolâ Paſchali iiſdem N. Teſtamenti Libris recenſitis, [b] *In his*, inquit, *ſolis Pietatis Doctrina enuntiatur*; " & paulò pòſt, inter τὰ ἔξωθεν ὑ κανονισμένα μὲν, Libros extraneos & in Canonem non recenſendos ponit Paſtorem, & Librum qui vocatur *Doctrina Apoſtolorum*. [c] *Cyrilli Hieroſolymitani* Inſtructio de Canone ſic incipit; " *Cognoſce ab Eccleſiâ quinam ſunt Vet. & Novi Te-* " *ſtamenti Libri*". Dein, cùm N. Teſtamenti Libros ſolos quos nos agnoſcimus computâſſet, hæc addit; *Reliqua omnia extra Canonem ſecundo loco*

* *Ibid. p.* 1084. *habeantur.* * *Gregorius Theologus* N. Teſtamenti Libros omnes, exceptâ Apocalypſi, inter Canonicos ponit: *Et ſic*, inquit, *omnes habes*; alij omnes οὐκ ἐν γνησίοις, *inter genuinos non ſunt collocandi*;

† *Ibid. p.* 1084. ergo nec *Conſtitutiones Apoſtolicæ*. † *Amphilochius* omnes enumerat, licèt de omnibus non idem ſentiat. Atque hic, inquit, eſt ἀψευδέστατος κανὼν, *veriſſimus Canon Librorum divinitùs Inſpiratorum*: talis ergo non eſt Canon Apoſtolicus octogeſimus quintus. || *Philaſtrio* teſte, " Statutum eſt ab Apo-

|| *Ed. Sycardi F.* 38. *Col.* 2. " ſtolis, & eorum ſucceſſoribus, non aliud in " Eccleſiâ legi debere Catholicâ, niſi Legem, & " Prophetas, & Evangelia, & Actus Apoſtolo- " rum, & Pauli tredecim Epiſtolas, & ſeptem

---

[a] Πάντα τὰ τῆς Διαθήκης βιβλία. p. 62.

[b] Ἐν τούτοις μόνοις τὸ τῆς εὐσεβείας διδασκαλεῖον εὐαγγελίζεται. apud Balſamon. p 922.

[c] Τὰ δὲ λοιπὰ πάντα ἔξω κεῖσθω ἐν δευτέρῳ.

" alias

" alias, Petri duas, Johannis tres, Judæ unam, " & Jacobi unam:" Conſtitutiones Apoſtolicas ne quidem inter Apocrypha ponit, quæ legi debent, Morum causâ, à perfectis. * *Ruffinus* in Symbolo, quæ ſunt Novi & Vet. Teſtamenti Volumina, quæ, ſecundum majorum Traditionem, per ipſum Spiritum S. inſpirata creduntur, & Eccleſiæ Chriſti tradita, ſicut & Patrum Traditione acceperit, deſignare aggreditur; ubi Novi Teſtamenti omnia, prout jam apud nos obtinent, dinumerat. Deinde, *hæc ſunt*, inquit, *quæ Patres intra Canonem concluſerunt, & ex quibus Fidei noſtræ Aſſertiones conſtare voluerunt.* Inter Libros non Canonicos ponit Libellum *Hermetis*, & *Petri Judicium*, *quæ legi*, inquit, *in Eccleſiis voluerunt, non tamen proferri ad Authoritatem ex his Fidei confirmandam.* Cæteras autem Scripturas Apocryphas pronuntiat, quas in Eccleſiâ legi noluerunt; *Hæc*, inquit, *nobis à Patribus tradita ſunt.* Ergo nec inter Scripturas Canonicas, vel in Eccleſiâ legendas *Conſtitutiones Apoſtolicæ*, ſi Fides Patrum Traditioni adhibeatur, numerandæ ſunt, ſed cum Apocryphis eliminandæ.

* *Apud Hieron. To.* 4.

† Concilium Carthaginenſe eodem modo Novi Teſtamenti Libros Canonicos percenſet, dicitque, *iſta à Patribus in Eccleſiâ legenda accepimus*; non ergo *Conſtitutiones Apoſtolicas.*

† *Can.* 4.

Porrò, à Patribus quibuſdam hæ Conſtitutiones vel expreſſim à Canone Scripturarum, & à Libris à *Clemente* editis, vel juſtâ conſequentiâ à ſcriptis *Apoſtolicis* excluduntur. *Athanaſius*, ſive Author *Synopſis S. Scripturæ*, *Circuitum Petri*, *Clementina*, καὶ Διδαχὴν Αποστολῶν, & *Doctrinam Apoſtolorum*, non tantùm inter τὰ ἀντιλεγόμενα, Libros quibus contradicebatur, ſed etiam inter [d] *Libros per-*

[d] Παραγεγραμμένα πάντως, καὶ νόθα, καὶ ἀπόκρυφα. p. 154.

‖ *In Verbo Clementis.*

peram omnino ſcriptos, adulterinos, & *rejiciendos* dinumerat. ‖ *Hieronymus* inter ſcripta *Clementis* vera Primam ad *Corinthios* Epiſtolam collocat; inter ea quæ à veteribus *reproba habebantur* Secundam, & *Petri cum Apione Diſputationem. Euſebius* pariter Primam *Clementis* ad Corinthios Epiſtolam inter genuina ejus, & omnium conſenſu recepta, Opera ponit; alia autem *longa*, & *multis verbis concepta. Opera* [c] *ſub ejus Nomine heri & nudius tertiùs quoſdam protuliſſe* dicit, *quorum apud Antiquos nulla omnino extat Mentio*; qualia ſunt Petri cum Apione Diſputationes. Ex quibus luce clarius eſt, vel nullas tunc extitiſſe in Eccleſiâ, ſive Latinâ, ſive Orientali, *Apoſtolicas Clementis Conſtitutiones*, vel certè nullo in Pretio, nullòque in Uſu fuiſſe, ſed inter Apocryphorum vana & fabuloſa latuiſſe; Librum enim tanti Viri, tantíſque de rebus ſcriptum, ſi quidem verus & genuinus fuiſſet, *Hieronymo*, Latinorum Scriptorum eruditiſſimo, *Euſebio*, in Antiquorum ſcriptis verſatiſſimo, ignotum non fuiſſe. Immo Librum ab *Apoſtolorum* Collegio, Spiritu ſancto dictante, compoſitum, & à *Clemente*, Viro *Apoſtolico*, literis mandatum, vel *heri* aut *nudius tertiùs* Ævo *Euſebij* in lucem primò prodiiſſe, vel ab Antiquis omnibus ſilentio involutum fuiſſe, quis ſanæ Mentis putaverit?

Idem *Euſebius*, Capite præcedente, dicit, Chriſti Apoſtolos parum curæ in Libris ſcribendis poſuiſſe, atque inter eos ſolum *Matthæum* & *Johannem commentaria reliquiſſe*, *eóſque Neceſſitate quádam impulſos ad ſcribendum fuiſſe*: quæ verba *Conſtitutionum Apoſtolicarum* quæ nunc habentur

---

c Ὡς τὸ αὐτῷ χθὲς καὶ τρώην τινὲς προήγαγον —— ὧν οὐδ' ὅλως μνήμην ποιεῖ παλαιοῖς φέρεται. Hiſt. Eccl. l. 3. c. 38.

far

farraginem, ab iis in unum convenientibus minimè conſcriptam fuiſſe, extra dubium ponunt.

Quæ hìc ad quintum Seculum produximus, ea per omnes Centurias ad noſtra Tempora perducere nullius Negotij eſſet. Haud facilè enim invenies Ætatem, in quâ non Scriptor aliquis inventus ſit, qui S. Codicum catalogum non texuerit; inter quos certò nullum, extra *Æthiopas*, reperies, qui *Conſtitutiones* has *Apoſtolicas* in eorum numerum admiſerit; multos qui eas vel expreſſim, vel juſtâ conſequentiâ, excluſerunt; quæ autem ab omnibus Chriſtianis, per omnia penè Secula à Canone S. Scripturarum excluſa fuerint, ea in Canonem admittenda eſſe, pertinaciter contendere, *non ſani eſſe Hominis, non ſanus juret Oreſtes.*

Adde his denique, quòd reliquos omnes Novi Fœderis Libros, qui vel ab omnibus ſemper agnoſcebantur, vel à quibuſdam in dubium, uſque ad quintum Seculum, vocabantur, à Patribus primævis, ad Fidei Articulos confirmandos, vel tanquam Apoſtolorum ſcripta, paſſim citatos invenimus. *Juſtinus M. Irenæus, Clemens Alex. Origenes, Tertullianus, Cyprianus,* & cæteri Scriptores Eccleſiaſtici, qui eo tempore floruerunt, Libros iſtos ſemper in ore habent, eorum Authoritatem, quoties ea ad rem quam agunt pertinet, nunquam omittunt; ex eorum Senſibus, Sententiis, & Verbis, penè omnem Sermonem ita contexunt, ut quicquid erat Apoſtolicum, id omne non tantùm agnoviſſe, & Animo ſuſpexiſſe, ſed ferè memoriter tenuiſſe videantur. Sed qui Apoſtolica ita familiaria habebant, atque in omni Sermone paſſim uſurpabant, ij ne ſemel quidem Conſtitutionum iſtarum meminerunt, vel aliquid ex iis nominatim ad Fidem confirmandam unquam recitârunt; neque ullum ex tribus prioribus

ribus Chriſtianiſmi Seculis verum ac indubitatum Scriptorem invenies, qui has ſive *Apoſtolorum*, ſive *Clementis*, Conſtitutiones, integro Novo Fœdere prolixiores, omnémque Eccleſiaſticam Materiam amplectentes, eâ de causâ, vel ſemel laudaverit.

SECTIO SEPTIMA

Continens Patrum Gloſſemata quædam in Epiſtolam ad Coloſſenſes.

CAP. I. 15. Πρωτότοκος πάσης κτίσεως, *Primogenitus omnis Creaturæ.*] *Clemens Alex.* dicit, Stoicos docuiſſe, Deum pervadere omnem Eſſentiam, ob illud Sapientiæ, Cap. 7. 24. διήκει δὲ καὶ χωρεῖ διὰ πάντων, *pervadit & procedit per omnia*: Quoniam non intellexerunt hæc dici [a] *de Sapientiâ primò à Deo creatâ.* Et rurſus: [b] "*Unum* "*eſt Ingenitum, nempe Deus Omnipotens,* unum etiam primogenitum per quem omnia ſunt facta, & ſinè quo factum eſt nihil; unus enim eſt reverà Deus qui Principium omnium fecit, ſignificans primogenitum ejus Filium, qui dictus eſt Sapientia ab omnibus Prophetis". Denique dicit, "[c] *Eum qui Cognitione præditus eſt* colere

---

[a] Περὶ σοφίας τῆς προσκτισθείσης τῷ Θεῷ. Strom. 5. p. 591.

[b] Ἓν δὲ πρωτογενῆ, δι' ὃν πάντα ἐγένετο· ὃς γὰρ τὸ ὄντι ὄντι ὁ Θεὸς, ὃς ἀρχὴν τῶν ἁπάντων ἐποίησεν, μονοειδῆ τὸν πρωτόγονον υἱόν. Strom. 6. p. 644.

[c] Προσεύπτεον ἐν (l. τῇ) γνώσει, τὸν ἄχρονον, καὶ ἄναρχον, ἀρχήν τε, καὶ ἀπαρχὴν τῶν ὄντων υἱόν, Strom. 7. p. 700. de hac lectione non dubitabit, qui perpendit ex Clementis ſententiâ, ἓν τὸ ἀγέννητον, p. 644. μία ἀρχὴ ἀγέννητος, p. 604. Patrem Solum ingenitum eſſe, atque huic principio ἀνάρχῳ opponi hic Filium illum primogenitum, qui in Scripturis, ἀρχὴ καὶ ἀπαρχὴ τῶν πάντων, & de quo præclarè intelligitur illud ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν.

"quod

" quod Generatione vetuſtius eſt, nempe Prin-
" cipium Tempore & Principio carens, & Fi-
" lium qui eſt Principium, & Primitiæ exiſten-
" tium, à quo deinceps diſcere eſt, Cauſam,
" Patrem omnium vetuſtiſſimum, & omnium
" beneficentiſſimum". Alter * *Pſeudo-Clemens* aſſerit, " Genuiſſe Deum primogenitum omnis
" Creaturæ, ſicut Deum decuit; ſicut autem
" præintelliguntur Umbris Corpora, ita & plus
" præintelligitur Ingenita Subſtantia Genitæ,
" etiamſi ex eo quod erat eſſe accepit; & id-
" circo verè & Genitura & Factura & Creatura
" appellatur". Ubi *Cotelerius* hæc adnotat, " Sic
" *Ariani* γέννημα, ποίημα, κτίσμα contendebant, ea-
" que nomina tribuebant Filio, quem & Sub-
" ſtantiam Genitam ſolebant appellare. Atque
" obſervatum fuit à Viris doctis, non abſtinuiſſe,
" ante *Arium*, antiquos Patres tribus poſtremis
" Locutionibus, & conſimilibus aliis.

* *Recogn. l.* 3. *n.* 8.

Cap. II. v. 23. *Si tamen permanſeritis in Fide fundati, & ſtabiles, & immobiles à Spe Evangelij.*] Sanctos, aut verè Regenitos, à Fide poſſe totaliter & finaliter decidere, atque adeò à Salute, univerſa, ante *Auguſtinum*, Antiquitas, ſinè ullâ Prædeſtinatorum Exceptione, ſtatuebant; quoniam " Omnes Homines, juxta † *Irenæum*, ejuſ-
" dem ſunt Naturæ, & poſſunt retinere, & ope-
" rari bonum, & poſſunt rurſus rejicere illud, &
" non facere; & hinc juſtè quidam laudantur,
" & dignum percipiunt Teſtimonium Electi-
" onis boni univerſi, & in eo Perſeverantiæ; &
" alij accuſantur quòd juſtum & bonum rejece-
" runt". *Dedit Deus*, inquit || *Clemens Alex.*
" cùm ſit multæ Miſericordiæ, fidelibus in Pec-
" catum incidentibus μετάνοιαν δωτέον, *ſecundam*
" *Pœnitentiam*; ſin autem ductus Pœnitentiâ ad
" Voluptatem iterum redeat, conjungit ſe ei
" qui prorſus voluntariè peccat". * *Septimius*

† *L.* 4. *c.* 72.

|| *Strom.* 2. *p.* 385, 386.

* *Præſcrip. c.* 3.

hoc

† *De Unit. Eccl. p.* 117. hoc probat Exemplis *Davidis* & *Solomonis*. † *Cyprianus* pariter; "Quiſquis, inquit, ille Confeſſor eſt, *Solomone* major aut melior, aut Deo carior non eſt, qui tamen, quamdiu in viis Dei ambulavit, tamdiu Gratiam, quam de Domino conſecutus fuerat, obtinuit; poſtquam reliquit Domini Viam, perdidit & Gratiam Dei".

‖ *De Princip. l.* 1. *c.* 3. ‖ *Origenes*, cùm docuiſſet Spiritûs ſancti Participationem Sanctis tantummodo concedi, hoc addit; "Qui autem dignus jam habitus eſt Spiritûs ſancti Participatione, & retrò fuerit converſus, hic reipsâ & opere blaſphemaſſe dicitur in Spiritum ſanctum". Et Commentario in * *Matthæum*, "Homines, inquit, juſtos videre eſt à Profectu Virtutis ad Vitij Diſſolutionem revertentes, de quibus Ezekiel dicit, quòd *in Peccatis ſuis morientur*". Idem probat, poſt *Cyprianum*, † *Chromatius* Exemplo Servi in Carcerem detruſi, poſt remiſſum ſibi à Domino ſuo Debitum. Juxta ‖ *Hilarium D.* "Aliquoties priùs ſunt boni, qui poſtea futuri ſunt & permanſuri mali; propterea etiam dicuntur ſcribi in Libro Vitæ, & deleri". *Baſilius* indicat, "Virum in Viâ Angelicâ, per aliquot Annos incedentem, Naufragium pati poſſe, & in Peccato immergi". * *Macarius Ægyptius* duabus Similitudinibus oſtendit, "Animam ſponſo ſuo unitam, cœleſtibus divitiis locupletatam, Spiritûs ſancti ornamentis decoratam, honore hoc exui poſſe, & Vitâ privari, utpote quæ inutilis ſit facta, miniméque apta quæ Societatem habeat cum cœleſti Rege". Sed fruſtra rem hanc operoſiùs proſequimur, cùm, teſte † Voſſio, communem hanc fuiſſe *Antiquitatis* Sententiam, ſoli negare poſſunt ij qui in Antiquitate ſunt planè Hoſpites; omnibuſque ſit notum, juxta *Patrum* omnium Sententiam, Baptiſmatis Lavacro Homines regenerari, Remiſſionem

‖ *In Rom.* 9. 13.

* *Ho.* 15. *Ed. Francofurt. A. D.* 1594.

† *Hiſt. Pelag.* 6. *Theſ.* 12.

nem Peccatorum omnium conſequi, Spiritu ſancto ornari, & idoneos fieri qui in Regnum Cœlorum ingrediantur; & tamen eorum quamplurimos, ob Vitam poſtea malè actam, Cœlo excludi, & morti æternæ obnoxios fieri.

Cap. II. 9. Ἐν ᾧ οἰκεῖ πᾶν πλήρωμα θεότητος σωματικῶς.] Probè hìc notandum, S. Scripturas Unionem divinæ cum humanâ Naturâ per verba ἐσκήνωσεν, Joh. 1. 14. κατοικῆσαι, Col. 1. 19. κατοικεῖ indicare, adeò ut, qui Unionem iſtam per Inhabitationem intimam, & ἀχωρίστον explicare, ſive adumbrare, conantur, cum Scripturis loqui videantur. Eſt inſuper obſervandum, non tantùm Symbolum, quod vocant, *Athanaſij*, ſed Patres Antiquos & Interpretes, hanc Unionem cum Unione Corporis & Animæ contuliſſe, dicentes, quòd *ſicut Anima & Corpus unum Hominem conſtituunt, ita Deus & Homo unum Chriſtum*, hoc tantùm Diſcrimine, quòd Anima & Corpus ſeparari poſſunt; Deus autem Verbum in Carne habitat ἀσυγχύτως καὶ ἀδιαιρέτως, ſinè mixturâ & inſeparabiliter. Habitat Plenitudo Deitatis corporaliter, inquit *Cyrillus Alex. ſicut in Corpore habitat Anima.* Sed præ omnibus *Theodoretus*: Primò, etenim *Cyrillo* anathematizanti eum qui Chriſtum Θεοφόρον Ἄνθρωπον, Hominem Deiferum, ac non potiùs verum Deum eſſe, dixerit, utrumque congruè dici oſtendit his verbis; [d] "Naturarum "differentiam agnoſcimus, & Deiferum Homi- "nem, *ſicut à multis ſanctorum Patrum*, inter "quos M. *Baſilius*, non reſpuimus; Deiferum "autem Hominem Chriſtum vocamus, non "quòd particularem quandam divinam Gratiam

[d] Τῶν φύσεων τὴν διαφορὰν γνωρίζομεν, καὶ τὸν Θεοφόρον Ἄνθρωπον, ὡς πολλοῖς τῶν ἁγίων Πατέρων εἰρημένον, οὐ παραιτούμεθα. To. 4. p. 714. Ἀλλ' ὡς πᾶσαν ἡνωμένην ἔχουσα τῷ Υἱῷ τὴν θεότητα. Ibid. p. 715.

"acce-

" acceperit, ſed integram Filij Deitatem ſibi " unitam habeat; ſecundum hæc D. Pauli verba, " *in quo habitat Plenitudo omnis Deitatis corporaliter*". Secundò, Diſtinctionem duarum in Chriſto Naturarum,& earundem Unionem explicat exemplo Animæ & Corporis unum Hominem conſtituentis; " Unionem, inquit, accipiens, Diſtinctio-
‖ *P.* 717. " nem præaccepit. Quomodo ergo dicit ‖ *Cy-*
" *rillus*, non oportere Subſiſtentias dividere, ſive " Naturas, idque ſciens, quòd perfecta Verbi " Dei Subſiſtentia ante ſecula erat, & ab illâ aſ-" ſumpta erat Forma Servi perfecta? ° Si autem " utraque Natura Perfectionem habet, in idem-" que ambæ convenerunt, Forma ſcilicet " Dei ſuſcipiente Formam Servi; unam qui-" dem Perſonam, & unum Filium, & Chriſtum " confiteri pium eſt; duaſque Subſiſtentias, ſive " Naturas Unitas dicere, non eſt abſurdum, ſed " juxta cauſam conſequens. Si enim in uno " Homine dividimus Naturas, & mortalem, " Corpus, immortalem verò, Animam dicimus, " utramque autem Hominem; multo magis aſ-" ſumentis Dei, & aſſumpti Hominis Naturarum Proprietates agnoſcere Rationi conſentaneum eſt". Tertiò, modum, quo Beata Maria Θεοτόκος appellanda ſit, bene explicat, dicen-
* *P.* 708. do, * " Sanctam Virginem Θεοτόκον prædicamus, " non ac ſi Deum naturaliter genuerit, ſed Ho-" minem Deo unitum". In Epiſtolâ verò ad *Irenæum Epiſcopum*, Controverſiam iſtam eſſe tantùm de Nomine, & non magni momenti, indicat his verbis: " Quid enim iſta diſcrepant,

---

° Εἰ πίνυν ἑκάτερα φύσις τὸ τελεῖον ἔχει, εἰς ταὐτὸν δ' συνῆλθον ἀμφότερα, τῆς τε Θεῦ μορφῆς δηλονότι λαβέσης τὸ τῦ δέλυ μορφήν, ἓν μὲν πρόσωπον, καὶ ἕνα υἱὸν καὶ Χριςὸν ὁμολογεῖν ἐυσιβὲς, δύο δὲ τὰς ἐνωθείσας ἀναιρέσεις, εἴ τι φύσις λέγειν ἀκ ἄτοπον. p. 711.

Ho-

" Hominiparam simul,&Deiparam simul,sanctam " Virginem appellare, atque vocare illam Filij " Matrem, atque Ancillam ? & Matrem qui- " dem esse,ut Hominis, Domini nostri J. Chri- " sti ; Ancillam verò, ut Dei ; Calumniæque " Occasionem silentio tegere, & eandem Sen- " tentiam sub alio Nomine proferre ". Deniq; Unionem κατ' ὑπόστασιν planè rejicit, & supervacaneum pronuntiat his verbis, [f] " Unionem " secundùm Hypostasin ignoramus, tanquam " peregrinam, & alienam à divinis Scripturis, " & Patribus, qui eas interpretati sunt. Et Paginâ sequenti, " Superflua est Unio Hypostati- " ca ; sufficit enim Unionem istam agnoscere, " quæ & Naturarum Proprietates ostendit, & u- " num edocet adorare Christum ". His adde, quòd Patres antiqui ante *Cyrillum* florentes Unionem Divinæ cum humanâ Naturâ per ἐνοίκησιν in Corpore, velut in Templo & Tabernaculo, verbisque idem significantibus, explicârunt.

V. 14. *Delens Chirographum quod erat adversus nos.*] Mirum est quàm constanter Patres, etiam antiquissimi, per *Chirographum in Decretis*, Peccatum illud, quod ex *Adæ* Prævaricatione Mortis nos Legi subjecit, intellexerunt. " *David* bea- " tos eos pronunciavit, quorum sunt remissæ In- " iquitates, inquit * *Irenæus*, eam, quæ per Ad- " ventum ejus est, Remissionem præmonstrans, " per quam delevit Chirographum Debiti no- " stri, & affixit illud Cruci, ut, quemadmodum " per Lignum facti sumus Debitores Deo, per " Lignum acciperemus Debiti istius Remissio- *P. 5. c. 17.

[f] Τὴν δὲ κατ' ὑπόστασιν ἕνωσιν ἀγνοοῦμεν, ὡς ξένην καὶ ἀλλόφυλον τῆς θείας γραφῆς, καὶ τῶν ταύτας ἑρμηνευκότων τῶν πατέρων. To. 4. p. 709. & rursus, περὶ ἧς κατ' ὑπόστασιν ἕνωσις. p. 710.

" nem,

† *De Pudicitia, c.* 19.

nem. Solvit Opera Diaboli, juxta † *Septimium*, liberans Hominem per Lavacrum, donato Chirographo". *Origenes* eadem dicit Comment. in Johan. p. 144. *Chryſoſtomus*, *Theodoretus*, *Oecumenius*, *Theophylactus* intelligunt mandatum à Deo Adæ datum, *quo Die ederis, morieris*. *Hilarius D.* "Peccatum illud, quod in Adæ Prævaricatione erat, Chirographum appellavit". Hinc omnes Animas Fidelium, ab initio ad Chriſti in Inferos deſcenſum, ſub hoc Mortis Chirographo detentas apud Inferos fuiſſe exiſtimabant, juxta hæc * *Baſilij* verba, "Quoniam me Peccati vinculis exſolviſti, deſcendens ad Inferos, & ſolvens humanam Naturam Morti captivam factam, & inenodabilibus vinculis Inferni detentam. Vide Pearſonum in Symbolum, p. 240.

* *In Pſal.* 115. *To.* 1. *p.* 275.

Sectio Octava

Continet Notam ex Patribus unicam in Epiſtolam Primam ad Theſſalonicenſes.

CAP. V. 23. *Ipſe autem Deus Pater ſanctificet vos* ὁλοτελεῖς, *ut integer veſter Spiritus, & Anima, & Corpus, inculpatè ſervetur in Adventum Domini noſtri J. Chriſti.*] * *Gennadius* inter Dogmata Eccleſiaſtica hoc ponit: "Dicimus non eſſe duas Animas in uno Homine, unam Animalem qua animetur Corpus, alteram Spiritalem quæ Rationem miniſtrat". Et rurſus; "Non eſt tertius in Subſtantiâ Hominis Spiritus, ſicut *Didymus* contendit, ſed Spiritus ipſa "eſt

* *C.* 15, *&* 20.

" eſt Anima pro ſpiritali Naturâ ; Anima verò " ex eo vocatur quòd ad videndum, vel ad vi- " vificandum, animet Corpus ", Et ne *Apoſtolo* " in Os contradicere videatur ", Tertius, in- " quit, qui ab *Apoſtolo* cum Animâ & Corpore " inducitur, Spiritus, Gratia Spiritûs ſancti " intelligatur, quam orat *Apoſtolus* ut integra " perſeveret in nobis ". Apoſtoli tamen, & *Didymi* Sententiam ſequuntur Patres antiquiſſimi; * *Irenæus* nempe his verbis ; " *Perfectus Homo conſtat Carne, Animâ, & Spiritu* " ; Ubi Carnem & Animam Partes Hominis conſtituentes deſignare certiſſimum eſt ; idem ergo de Spiritu, cum iis ad integrandum Hominem conjuncto, ſentiendum eſt. † *Clemens Alex.* Chriſti Verba, *Ubi duo aut tres conſentiunt*, ad hæc tria applicat, dicendo, οἱ μὲν τρεῖς Σάρξ, Ψυχὴ, καὶ Πνεῦμα, *Hi tres ſunt Caro, Anima, & Spiritus.* Juxta || *Origenem*, Homo conſiſtit ἐκ Σώματος, Ψυχῆς, καὶ Πνεύματος, Corpore, Animâ, & Spiritu, quibus addi poſſunt *Apollinaris* & *Nemeſias.*

* *L.* 5. *c.* 6. *&* 9.

† *Strom.* 3. *p.* 454.

Porro ridicula eſt *Gennadij* de Spiritu Sententia. Orat enim *Apoſtolus* ut ſanctificetur *Theſſalonicenſium* Spiritus, eodem prorſus modo quo Corpus & Anima ſanctificantur, quod de Gratiâ Spiritûs ſancti dici non poteſt.

|| Philocal. p. 8.

Sectio Nona

Exhibet Patrum Gloſſemata quædam in Secundam Epiſtolam ad Theſſalonicenſes.

CAP. I. 6, 7. *Juſtum eſt apud Deum retribuere Tribulationem iis qui vos tribulant: Vobis autem qui tribulamini Requiem nobiſcum, in Revelatione Domini J. Chriſti de Cœlo.*] Patres antiquiſſimi nec bonorum nec malorum ἀνταπόδοσιν ante Reſurrectionem expectabant: cenſebant enim aliqui non per Naturæ Leges fieri potuiſſe, ut Pœnæ; nec per Juſtitiæ Leges fieri debuiſſe, ut Præmia, ſine Corpore diſtribuerentur. *Juſtinus M.* dicit, *Platonem*, aſſerendo Animam cum Corpore judicari, doctrinam de Reſurrectione recepiſſe. "[a] Quomodo enim *Aridæus*, & reliqui "in Terris relinquentes Corpus illud quod habet Caput, Manus, Pedes, & Pellem, Supplicia ſuſtinerent apud Inferos"? Et rurſus: "*Plato Rhadamanthum*, & *Minoem* injuſtos ad ſe "venientes plexuros eſſe docuit; nos autem id "ipſum factum iri dicimus, [b] *ſed à Chriſto, & "cùm Animæ iiſdem Corporibus unientur, & æternis "Cruciatibus ſubjicientur. Tatianus* pariter, *Moritur*, inquit, *& diſſolvitur cum Corpore Anima*

---

a Ἐπεὶ πῶς Ἀειδαῖος, καὶ οἱ λοιποὶ, τὸ ἔχον σῶμα κεφαλὴν, καὶ χεῖρας, καὶ πόδας, καὶ δέρμα, ὑπὸ γῆς καλαλιπόντες, τοιαύτῳ ὑπεῖχον εἰς Ἅιδου πομπείαν. Cohort. ad Gentes. p. 26.

b Ἀλλ' ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ, καὶ τοῖς αὐτοῖς σώμασι μετὰ τῶν ψυχῶν ἀνομβρῶν, καὶ αἰωνίου κόλασιν κολασθησομένων. Apol. 2. p. 57.

"*qua*

" *quæ Veritatis ignara eſt* ; c *reſurgit autem poſtea in*
" *Conſummatione Mundi, Mortem pœnalem æternùm*
" *recipiens*" : Neceſſariò, inquit || *Tertullianus*, || *Apol. c.* 48.
" idem ipſe qui fuerit, exhibetur, ut boni, ſeu
" contrarii meriti Judicium à Deo referat, ideó-
" que repræſentabuntur & Corpora, quia neque
" pati quicquam poteſt Anima ſola, ſine Mate-
" riâ ſtabili, id eſt, Carne, & quod omnino de
" Judicio Dei pati debent Animæ, non ſine
" Carne meruerunt, intra quam omnia egerunt".
Et rurſus, Libro de * Teſtimonio Animæ ; * *C.* 4.
" Affirmamus te manere poſt Vitæ diſpunctio-
" nem, & expectare Diem Judicij, próque Me-
" ritis, aut Cruciatui deſtinari, aut Refrigerio,
" utroque ſempiterno; quibus ſuſtinendis neceſ-
" ſariò tibi Subſtantiam priſtinam, ejuſdemque
" Hominis Materiam & Memoriam reverſuram,
" quod & nihil mali ac boni ſentire poſſis, ſine
" Carnis paſſionalis Facultate, & nulla ratio ſit
" Judicij ſine ipſius exhibitione qui meruit Judi-
" cij Paſſionem". *Nec enim*, juxta d *Methodium*,
nuda Anima, ſed Corpore veſtita recipit iſta. Si, judi-
cante Chriſto, unuſquiſque noſtrum facta Cor-
poris accipiet, non utique ſine Corpore adjudi-
cabitur bono aut malo, inquit *Hilarius*. *Pſeudo-*
Juſtinus ex eo probat Narrationem Divitis & La-
zari non eſſe rei factæ Hiſtoriam, e " *Nec enim*
" *ante Reſurrectionem, Vitæ cuique peractæ Retribu-*
" *tio fit*". *Theodoretus*, " Injuſtum eſſe aſſerit,
" & abſurdum exiſtimare, Animam ſolam aut

---

c Ἀνίσταται δὲ εἰς ὕστερον ὅτε τῇ συντελείᾳ τοῦ κόσμου τὸν τῷ σώματι, θάνατον διὰ πυρείας ἐν ἀφθαρσίᾳ λαμβάνοντα, p. 152.

d Οὐδὲ γὰρ γυμνὴ ἡ ψυχὴ, ἀλλὰ διὰ τοῦ σώματος κομίζεται ταῦτα. Apud OEcumen. in 2 Cor. 5. 10.

e Οὔτε γὰρ πρὸ τῆς ἀναστάσεως, τῷ ἐκείνῳ βεβιωμένων ἡ ἀνταπόδοσις γίνεται. Reſp. ad Qu. 60.

" Pœnis, aut Præmiis affici. [f] Juſtum eſt igi-
" tur ut reſurgant priùs Corpora, & ſic Geſto-
" rum in Vitâ unâ Rationem reddant". Sententia tamen hæc apud Latinos Hæretica pronuntiatur, eámque cum *Eccleſiæ Anglicanæ* funebri Officio non bene conſiſtere, nemo non videt.

Cap. II. 8. *Et tunc revelabitur ille iniquus.*] Patres antiquiſſimi fere omnes Antichriſti revelationem ad Finem Mundi, & omnium Conſummationem referunt. " In proximo eſt Adventus
* *De ſpectac. c. 36.* " Domini, inquit * *Tertullianus*, Antichriſtus jam
" inſtat. In Fine & Conſummatione Mundi
" Antichriſti infeſtum Tempus jam inſtat"; ita
† *Ep. 58. Ed. Oxon.* † *Cyprianus* Præfatione Exhortationis ad Martyrium. Et rurſus; " Scire debes, & pro certo te-
" nere, & credere occaſum Seculi, atque An-
" tichriſti Tempus jam appropinquâſſe". *Judas* etiam tertij Seculi ineuntis Scriptor exiſtimabat, inquit
‖ *H. Eccl. l. 6. c. 7.* ‖ *Euſebius*, decantatum illum Chriſti Adventum jam tum imminere. Porrò eorundem Patrum haud pauci alia multa de *Antichriſto* tradiderunt, quæ jam vel manifeſtò falſa eſſe novimus, vel in dubium meritò vocantur. Exempli gratiâ,

Primò, Docuerunt *Antichriſti* Regnum, *poſt tres Annos cum Dimidio*, Finem habiturum; *uſque ad Tempus Temporum, & Dimidium Temporis*, hoc eſt, Triennium & ſex Menſes, in quibus veniens regnabit ſuper Terram, Iren. l. 5. c. 15. Hippolyt. p. 36. Cyril. Hieroſ. Catech. 15. p. 163. Hieronymus & Theodoretus in Dan. 7. 25. Auguſt. de Civ. Dei, l. 20. c. 23.

---

[f] Δίκαιον ἄρα πρότερον ἀναστῆναι τὰ σώματα, εἶθ' ὅπως χοινῇ δῶναι αὐτὰς τῷ πολιτευμάτων ἐυθύνας. Hæret. Fab. l. 5. c. 20.

Se-

Secundò, Antichriſtum ex Tribu *Dan* oriundum eſſe. *Hieremias tribum ex quâ veniet manifeſtavit, dicens ex Dan.* Iren. l. 5. cap. 30. Hippolyt. p. 24, 25. Ambroſ. de Benedict. Patriarchali, c. 7. Auguſt. To. 4. Qu. 22. in Joſ. p. 295. Proſper dimid. Tem. cap. 9. Theodoret. in Gen. Qu. 110. p. 75.

Tertiò, Quòd in Templo Judæorum extruendo, vel in Ruinis Templi ſedebit; *In Templo Dei ſedebit ſeducens eos qui adorant eum, quaſi ſit Chriſtus,* Iren. l. 5. p. 475. *Templum conſtruet Hieroſolymis, quod confeſtim excitatum trádet Judæis,* Hippol. p. 27, & 33. *Cyrillus* Catech. 15. p. 164, 165. *Ambroſ.* in *Luc.* 21.

Quartò, Quòd Idola deponet, & Idololatriam non admittet. *Idola quidem ſeponet,* Iren. l. 5. c. 25. *Idololatriam non admittet,* Hippolyt. p. 33. Chryſoſt. in 2 Theſſal. 2. 4. *Theodoret.* ibid. & Com. in Dan. 11. 36.

Sectio Decima

Exhibens Patrum Scholia in Primam Epiſtolam ad Timotheum.

Cap. I. 12. *Quia fidelem me exiſtimavit.*] Obſervant hìc *Chryſoſtomus, Oecumenius,* & *Theophylactus,* ex proviſâ ejus Fidelitate, Vas hoc electum, Deum in Apoſtolatum cooptâſſe, atque adeò per verba hæc indicare Spiritum ſanctum, quòd nos quædam adferre debeamus: Neminem enim Deus elegit ſine diſcrimine.

Cap. III. 2. *Oportet Epiſcopum eſſe unius Uxoris Virum.*] * *Synodus Nicena* prohibuit *Epiſcopum,* * Can. 15

Presbyterum, aut *Diaconum*, *ab unâ Civitate ad aliam transire*, & jubet eum qui hoc fecerit Civitati ſuæ reſtitui. Eundem Canonem confirmant † *Concilium Chalcedonenſe*, & ‖ *Sardicenſe* his verbis; " *Ne cui liceat Epiſcopo à Civitate ſuâ ad ali-* " *am transire Civitatem*; utque ejuſmodi pernicies " ſeveriùs & auſteriùs vindicetur, *nec Laicam* " *communionem habeat, qui talis eſt.* Idem ſtatuit *Concilium Antiochenum*, Can. 21. Qui hoc facit, inquit * *Julius Papa*, Stationem à Deo datam contemnit, *& non tantùm à Sede, quam invaſit, deponetur, ſed & carebit propriâ.* Tales, inquit [a] *Damaſus, à noſtrâ communione amovemus.* Sed quorſum hæc, inquies, hoc in loco? Diſce igitur Myſterium, *Epiſcopus eſt Eccleſiæ ſuæ Sponſus*, Matrimonio ſpirituali cum eâ conjunctus; ad aliam ergo Sponſam ſe adjungens, fit *Digamus*, & deſinit eſſe *unius Uxoris Vir*; ita *Auguſt.* l. de bono conjugali, c. 18. *Ambroſius* Ep. 82. p. 253, 254. Immo, quoniam ex Verbis Chriſti conſtat quòd qui Uxorem dimittit, exceptâ Fornicationis causâ, Adulterij reus eſt adversus ipſam, hinc Epiſcopum, Eccleſiam ſuam relinquentem, Adulterij reum pronuntiabant; ita † *Synodus Alexandrina Euſebium Nicomedienſem*, à *Beryto* ad illam Civitatem convolantem, ab Epiſcopatu excidiſſe, & Adulterij reum fuiſſe ſtatuebat, " Apoſtolo dicente *Alligatus es Uxori? noli quærere Solutionem*; quæ de Uxore cùm dicta eſſent, " quanto magis de Eccleſiâ, & de Epiſcopatu " ejus? cui cùm alligatus fuerit, non debet aliam quærere, *ne Adulter juxta ſacras Scripturas* " *inveniatur*". In *Synodo* ſub *Mennâ* habitâ, *Anthimo* objiciebatur, quòd, *Epiſcopus Trapezi* cum

† *Can.* 5.
‖ *Can.* 1.
* *Apud Athanaſ. Apol. p.* 744.
† *Apud Athanaſ. Apol.* 2. *p.* 727.

---

[a] Ἀπὸ τῆς ὑμετέρας κοινωνίας ἀλλοτρίους ἔχομεν. Apud Theodoret. Hiſt. Eccleſ. l. 5. c. xi.

eſſet,

esset, * μοιχικῶς ὑφήρπασεν, *Adulterorum more arripuit Thronum Constantinopolitanum.* Hinc qui hujusmodi Promotionem recusabant, celebres eâ de causâ habebantur, [b] *quòd observabant Præcepta Dei, & Canonem Apostolicum, & Ecclesiasticum.* Inter quos eminebat *Eusebius Cæsariensis Antiochenam* Sedem respuens, [c] *quòd Lex Ecclesiastica hoc prohibuit.* Contrà, qui adversus hanc Legem peccâssent, utut aliàs ab Ecclesiâ bene meruissent, à Sede quam occupaverant amovebantur. Ita † *Synodus Constantinopolitana Gregorium Nazianzenum,* Salimæ prius Episcopum, deposuit, *patrias Leges, & Ordinem Ecclesiasticum retinens.*

* *Apud Binium To.* 4. *p.* 9.

† *Sozomen. Hist. Eccl. l.* 7. *c.* 7.

Cap. V. 14. *Volo ergo* (Viduas) *Juniores nubere, Filios procreare.*] Digamiam ab *Apostolo* sæpius concessam legimus, nempe Rom. 7. 3. 1 Cor. 7. 39. & Junioribus Viduis nubendi Consilium dat; quo tamen non obstante, infamis apud veteres plerosque Digamia censebatur; idque à primævâ Antiquitate.

" A Christianis, inquit || *Theophilus Antiochenus,* μονογαμία τηρεῖται, unius Uxoris Matrimo-
" nium servatur ". * *Athenagoras* severiùs;
" Juxta Fidei nostræ Præcepta, Christianus vel
" talis manere debet, qualis natus est, vel Nup-
" tiis copulari unicis: Secundæ enim speciosum
" quoddam Adulterium sunt, Domino dicente,
" *Qui Uxorem suam dimiserit, & duxerit alteram,*
" *Adulterii reus est,* neque dimittere illam conce-
" dens cujus delibata est Pudicitia, neque alte-
" ram ducere; nam qui separat seipsum à priore
" conjuge, licèt ipsa mortua sit, occultus Adul-

|| *Lib.* 3. *p.* 127.

* *Legat. p.* 37.

---

b Τὰς ἐκκλησίας Θεοῦ καὶ Ἀποστολικὸν κανόνα, καὶ τὸν τῆς ἐκκλησίας. Euseb. de Vitâ Constantin. l. 3. c. 61.

c Ὅτι νόμῳ ἐκκλησιαστικὸς ἐκώλυε. Sozom. H. Eccl. l. 2. p. 619.

" ter est ". *Clemens Alex.* in hæc verba, *Despondi vos uni Viro*, " Unusquisque, inquit, habet po-
" testatem nubendi quam vult, juxta Legem,
" primis datam Nuptiis ". Et in hæc verba, *Li-*
† *Stro.* 3. p. 457. *bera est ut nubat, modò in Domino*, † Secunda, in-
quit, particula μονογαμίαν ἴσχυσιν, firmat unius Ma-
|| *P.* 459, 461. trimonium. Et rursus: " || Dominus Monoga-
" miam induxit; & sicut *Apostolus*, propter In-
" temperantiam & Ustionem, secundum conce-
" dit Matrimonium; nam is quidem, qui secun-
" dò nubit, contra Testamentum non peccat,
" non enim à Lege prohibetur; non implet ta-
" men Conversationem juxta Evangelium:
" Gloriam autem acquirit sibi cælestem qui apud
" se manserit, eam, quæ est Morte dissoluta, im-
" pollutam servans Conjunctionem. Denique
* *Ibid. p.* 464. " * quemadmodum, inquit, Avaritia, & plura
" habendi Cupiditas, dicitur Fornicatio, utpote
" quæ adversatur Sufficientiæ, & ut Idololatria
" est ex uno in multos Dei Attributio, ita pro-
" lapsio ab uno Matrimonio ad plura Fornica-
† *C.* 4, 5. " tio est ". † *Tertullianus*, Libro ad Uxorem,
has Nuptias vocat *detestabiles*, *Confusionem*, *Contu-*
|| *Cap.* 9. *meliam.* Et || Libro de Monogamiâ, *Adulterium*,
* *P.* 35. & alibi passim. " Nos Christiani, juxta * *Mi-*
" *nutium*, unius Matrimonij vinculo libenter in-
" hæremus: Cupiditatem procreandi aut unam
" scimus aut nullam. *Mulieri si evenerit, ut per-*
† *Ho.* 17. *in Luc. F.* 103. *B.* " *dat Virum, Vidua perseveret*, inquit † *Origenes*;
" nunc autem & secundæ, & tertiæ, & quartæ
" Nuptiæ, ut de pluribus taceam, reperiuntur,
" & non ignoramus quòd tale Conjugium ejici-
" et nos de Regno Dei; sicut enim ab Eccles-
" asticis Dignitatibus non tantùm Fornicatio,
" sed & Nuptiæ repellunt, neque enim Episco-
" pus, nec Presbyter, nec Diaconus, nec Vidua
" possunt esse Digami; sic forsitan & de Cætu
" primitivorum, immaculatorúmque Eccleſiæ

" quæ

" quæ non habet maculam, neque rugam, ejicietur Digamus, non quò in æternum mittetur " incendium, ſed quò partem non habeat in " Regno Dei". Alibi, ‖ " *Præſtat*, inquit, ut " decipiatur Monogamus, & putet æterno exitio " dignum eſſe Digamum, quam ut, veritatem " cognoſcendo, duas accipiat Uxores; quoniam " licèt Digamus Particeps ſit Salutis alicujus, " non tamen tantæ Beatitudinis, quantæ ille qui " colit Puritatem". *Digamus*, inquit * *Baſilius*, *per Annum ſegregetur*; atque hoc vocat † δηγαμίας ἐπίτιμον, *Digamiæ Pœnam*. † *Greg. Nazianzenus* in hæc verba, *Vir foveat Uxorem, ut Chriſtus Eccleſiam*, " Videtur mihi, inquit, hic Sermo Di" gamiam improbare: Si enim duo Chriſti ſint, " duo quoque Viri ſint, & duæ Uxores; ſi au" tem unus Chriſtus, unum Eccleſiæ Caput, u" na etiam Caro ſit, ſecunda quidem reſpuatur. " Quòd ſi ſecundam reſpuit, quid de tertiâ di" cendum? Secundum Matrimonium ex Indul" gentiâ fit, tertium verò Iniquitas eſt". Juxta *Hilarium D.* " Primæ Nuptiæ à Deo ſunt, ſecun" dæ verò permiſſæ; primæ Nuptiæ ſub Benedi" ctione Dei celebrantur ſublimiter, ſecundæ au" tem in præſenti carent Gloriâ". Hinc ‖ *Ca*-‖ 38. *non Eliberitanus* Laico Baptiſmum concedit, *modò non ſit Bigamus*; quibus, per Leges Eccleſiæ, Pœnitentia per aliquod tempus injungebatur.

‖ *Ho.* 19. *in Jer. Ed. Huet. p.* 188.

* *Ep. ad Amphiloc. Canon.* 35.

† *Orat.* 31. *p.* 501.

SEC-

SECTIO UNDECIMA

Continet Patrum Interpretamenta in Secundam Epistolam ad Timotheum.

CAP. II. 4. *Nemo militans Deo implicat se Negotiis secularibus.*] Patres antiquissimi, & Concilia, Clericos non permittebant [a] *Res seculares administrare. Canon Apostolicus* definivit *Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum mundanas Curas in se suscipientem, deponendum esse.* [b] *Synodus Chalcedonensis* Ecclesiasticis Pœnis subjicit eum, qui *seipsum immiscet secularibus Negotiorum administrationibus.* " Jampridem, inquit ‖ *Cyprianus*, in Con-

‖ *Ed. Oxon. Ep.* 1.

" cilio Episcoporum constitutum est, ne quis de
" Clericis, & Dei Ministris, Tutorem, vel Cu-
" ratorem Testamento suo constituat; quando
" singuli divino Sacerdotio honorati, & in Cle-
" rico ministerio constituti, non nisi Altari &
" Sacrificiis deservire, & Precibus atque Orati-
" onibus vacare debent; scriptum est enim,
" *Nemo militans Deo obligat se molestiis, & Negotiis secularibus, ut possit placere ei cui se probavit.*
" Quæ nunc Ratio & Forma in Clero tenetur,
" ut, qui, in Ecclesiâ Domini, Ordinatione cle-
" ricâ promoveantur, in nullo ab Administra-
" tione divinâ avocentur, nec molestiis & Ne-
" gotiis secularibus alligentur". Hinc inter traditæ divinitùs Disciplinæ corruptelas, quæ ultricem Dei manum exigebant, hanc ponit,
" Quòd Episcopi plurimi, quos & Hortamento

---

[a] Τὰς κοσμικὰς φροντίδας ἀναλαμβάνουσα. Can. 4.
[b] Πραγμάτων ἐπισάγῃ ἑαυτὸν κοσμικαῖς διοικήσεσι. Can. 3.

" opor-

" oportet esse cæteris, & Exemplo, divinâ " Procuratione Contemptâ, Procuratores *rerum* " *secularium facti sint*". Eandem Rationem assignat Synodus quarta *Carthaginensis* his verbis; " c Debent enim respicere ad id quod scriptum " est, *Nemo militans Deo implicat seipsum secularibus Negotiis*; atque hoc, secundum *Basilium* & " * *Chrysostomum*, est legitimè certare. Denique † Synodus *Constantinopolitana* id prohibet, eò quòd, juxta Christi verba, *Nemo potest duobus Dominis servire.*

* *To.* 6. *p.* 475, 476.
† *Can.* 11.

Cap. IV. 8. *Quam reddet mihi Dominus Justus Judex in Die illo.*] Statuebant Patres antiquissimi, Sanctorum Animas non extemplò in Cælum Empyræum conscendere, sed manere in locis extra Cælum, beatam Resurrectionem, in quâ supremam & consummatam felicitatem obtinerent, expectantes. Hæreticorum autem propriam esse dicunt, Concilij *Florentini*, & || *Tridentini* Sententiam, Sanctorum defunctorum Animas perpetuâ Felicitate in Cælis frui. d *Justinus M.* dicit, " Non mori Animas, piorum autem Ani- " mas in loco quodam meliori, impiorum verò " in deteriori manere, tunc expectantes *Judicij* " *Tempus*". * *Irenæus* de Paradiso verba faciens Traditionem Ecclesiæ sic repræsentat; " Dicunt " Presbyteri, Apostolorum Discipuli, eos qui " translati sunt, illuc (i. e. in Paradisum) trans- " latos esse, ibique manere usque ad Consum- " mationem, Præmium recipientes incorruptelæ". Et rursus: † " Manifestum est quia Discipulo- " rum ejus Animæ abibunt in invisibilem locum

|| *Sess.* 25.
* *L.* 5. *c.* 5.
† *Ibid. c.* 31.

---

c Ὀφείλῃ γὰρ ἀποβλέπειν εἰς τὸ γεγραμμένον, ὅτι οὐδεὶς στρατευόμενος, &c. Can. 16.

d Τὰς μὲν τῶν εὐσεβῶν ἐν κρείττονι χώρῳ μένειν, τὸν τῆς κρίσεως ἐκδεχομένας χρόνον τότε. Dial. cum Tryph. p. 223.

" de-

" definitum iis à Deo, & ibi, uſque ad Reſur-
" rectionem, commorabuntur, expectantes
" Reſurrectionem, poſt accipientes Corpora,
" & ſic venient in Viſionem Dei ". Denique,
‖ *C.* 36. " ‖Erit, inquit, Cœlum novum, & Terra nova,
" quemadmodum Presbyteri dicunt; & tunc
" qui digni fuerint Cœlorum Converſatione,
" illuc tranſibunt. * *Tertullianus* reſpiciens hæc
* *De Reſur. Carnis. c.* 27. *Apoſtoli* verba, *integer veſter Spiritus, Anima, & Corpus*, 1 Theſſ. 5. 23. " Habes, inquit, omnem
" Subſtantiam Hominis ſaluti deſtinatam, nec
" alio tempore quàm in Adventu Domini, qui
† *Hæſchel. not. in Photium, p.* 10, 11. " clavis eſt Reſurrectionis ". † *Cajus Presbyter* juſtorum Animis aſſignat χωρίον φώτεινον, locum lucidum, ubi delectantur Viſione juſtorum Patrum, expectantes poſt hunc locum requiem & æternam Vitam in Cælo. ‖ *Lactantius* denique,
‖ *L.* 7. *c.* 21. *p.* 717. " Nec tamen quiſquam putet Animas poſt mor-
" tem protinus judicari; omnes in unâ com-
" munique Cuſtodiâ detinentur, donec tempus
" adveniat, quo maximus Judex meritorum faci-
" et examen.

His adde, quòd contrariam Sententiam Hæreticis adſcribunt, iiſque propriam conſtituunt, puta *Valentino*, *Baſilidi*, *Marcioni*, & *Maneti*; ij enim, teſtante *Juſtino*, Reſurrectionem Carnis denegabant, &c. [e] ſimul ac moriuntur, Animas
* *Lib.* 5, *c.* 31. ipſorum in Cœlum recipi. * *Irenæus* dicit, Hæreticos Senſus habere eos, qui hoc aſſerunt. " *Hæretici* enim, deſpicientes Salutem Carnis ſuæ,
" dicunt ſe ſupergredi Cælos, & Demiurgum, &
" ire ad Matrem, vel ad eum qui ab ipſis affin-
" gitur Patrem ". Et tunc Exemplo Domini, poſt Reſurrectionem ejus in Cælos aſcendentis,

---

[e] Ἅμα ἀποθνήσκειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἀναλαμβάνεσθαι εἰς τὸν οὐρανόν. Dial. p. 307.

in

in medium prolato, " Quomodo, inquit, non " confunduntur qui dicunt, interiorem Homi- " nem ipsorum, relinquentem hoc Corpus, in " Supercœlestem ascendere locum "? *Manichæi*, qui pariter Resurrectionem Corporis denegabant, hoc Argumento contendebant pias Animas, extemplò post mortem, Præmia sua recipere, quòd Latronis Anima in Paradisum recepta fuit: quibus respondet *Chrysostomus*, " Para- " disum non continere bona illa quæ Deus no- " bis promisit, adeò ut si Deus Regnum Cælo- " rum promiserit, Latroni verò Paradisum tan- " tùm concesserit, nondum ei concesserit bona " promissa ". Ejusdem Sententiæ constat fuisse *Hermetem*, l. 3. Sim. 9. *Novatianum* de Trin. cap. 2. *Clementem Recogn.* l. 1. §. 52. p. 412. *Pseudo-Justinum*, Qu. 82, & 86. *Hilarium* in Psalm. 120. p. 985. *Basilium* in Psalm. 33. To. 1. p. 197. *Ambrosium* de bono Mortis, cap. 10. *Augustinum* Enchir. c. 109. & de Civ. Dei, l. 12. cap. 9. *Chrysostomum* in 1 Cor. Hom. 39. p. 505. *Theodoretum* in 2 Cor. 5. *Hieronymum* com. in Hoseam, To. 6. Fol. 23. F. ut mittam *Claudium Viennensem*, *Aretham Cæsariensem*, *Oecumenium*, *Euthymium*, *Theophylactum*, *Bernardum*; nec aliud docuisse, nedum statuisse videtur Ecclesia ulla ante Concilium *Florentinum*. Adeoque verissimè dixisse videatur * *Dallæus*, " Mirandum quòd il- " lum penè universalem in hoc Errore (malim " in hâc Sententiâ) consensum nullo per An- " nos mille quadringentos contrario Ecclesiæ " Decreto pulsatum legimus, immo nec unicum " quidem Patrem novimus, qui in hoc Errore " confutando operam posuerit.

* *De usu Patr. l. 2. c. 4. p. 290.*

SEC-

Sectio Duodecima

Exhibet Patrum Gloſſemata quædam in Epiſtolam ad Titum.

CAP. I. v. 2, 3. *Quod promiſit Deus ante tempora ſecularia, manifeſtavit autem temporibus ſuis Verbum ſuum.*] Duo hìc ſuggerit *Hieronymus*, vana utique & coacta ; Primò, factam eſſe hanc Promiſſionem Filio Dei ab æterno; " Cui enim, " inquit, promiſit antè, & poſtea fecit eſſe per- " ſpicuum, niſi Sapientiæ ſuæ quæ erat ſemper " cum Patre? Secundò,quòd, quam promiſerat " Vitam, ipſa eſt *Verbum ſuum*, quod Initio erat " apud Patrem, & Deus erat Verbum.

Ver. 5. *Et conſtituas per Civitates Presbyteros.*] *Hieronymus* hìc fidenter aſſerit, " Quòd antequam " Diaboli inſtinctu ſtudia in Religione fierent, " & diceretur in Populis, *ego Pauli, ego Apollo, " ego autem Cephæ*, communi Presbyterorum " conſilio Eccleſiæ gubernabantur ; poſtquam " verò unuſquiſque,eos quos baptizaverat, ſuos " putabat eſſe, non Chriſti, in toto Orbe De- " cretum eſt, ut unus de Presbyteris electus, " cæteris ſuperponeretur. Sicut ergo Presby- " teri ſciunt ſe, ex Eccleſiæ Conſuetudine, ei " qui ſibi Præpoſitus eſt, eſſe ſubjectos ; ita " Epiſcopi noverint ſe magis Conſuetudine, " quàm Diſpoſitionis Dominicæ Veritate, Pres- " byteris eſſe *majores*". In quibus verbis non tantùm rei Veritati, & communi Patrum Sententiæ, ſed etiam ſibi ipſi contradicit, utpote qui non tantùm frequenter loquitur de Epiſcopis à *Petro* & *Paulo* inſtitutis, qui certè in eo Diſpoſitionem Dominicam ſequebantur, ſed in hæc verba

verba Chriſti, *oportuit te committere pecuniam meam nummulariis, Hoc*, inquit, *fecerunt & Apoſtoli, per ſingulas Provincias Presbyteros & Epiſcopos ordinantes.* Comment. in Matth. Fol. 35. C.

Cap. 33. *Fuimus enim aliquando & nos ſtulti, inobedientes, errantes, ſervientes deſideriis, & voluptatibus variis, in malitiâ & invidiâ agentes, odioſi, odientes alterutrum.*] " Hæc, inquit *Hieronymus, Paulus de ſeipſo dixit*, rectéque ſe, ſine Chriſto, vitiis omnibus ſerviiſſe memoravit. Nec hæc tantùm, ſed ea etiam quæ Cap. ſecundo ad Epheſios, com. 1, 2, 3. *degentibus ſecundum Principem aeris, & Spiritus qui operantur in Filiis Inobedientiæ* ſunt dicta. Ne enim, in eo quod dixerat, ſe per ſuperbiam videretur excipere, adjunxit, *in quibus & nos omnes converſati ſumus*". In quibus [f] *Origenem* habet ducem his verbis, " Non enim dixit, *eramus aliquando inſipientes*, ſed & *Paulus* ipſe, qui ex Iſrael, qui ſecundum eam quæ eſt ex Lege Juſtitiam fuit inculpatus, ait, *fuimus aliquando nos*, qui ex Iſrael, qui ex Lege edocti fuimus, tales ante Adventum *Chriſti*". Hos ſequuntur *Hilarius Diaconus*, *Oecumenius*, *Theophylactus* in Caput ſecundum ad Epheſios, *Chryſoſtomus* & *Theodoretus* in Titum.

---

[f] Ἀλλὰ καὶ Παῦλος— λέγει, καὶ ἡμεῖς οἱ ἀπὸ τῆς Ἰσραὴλ, οἱ τὸν νόμον δεδιδαγμένοι, τοιοῦτοι πυγχάνομεν ὄντες τῆς παρουσίας τοῦ Χριστοῦ. Ho. 5. in Jerem. Ed. Huet. p. 75.

Sectio Decima Tertia

Continens S. Patrum Scholia quædam in Epistolam ad Philemonem.

VER. 14. *Ut ne velut ex Necessitate bonum tuum esset, sed Voluntarium.*] " Libertas Ar-
" bitrij, inquit * *Vossius*, juxta Veteres, non tan-
" tùm est Libertas à Coactione, sed etiam à Ne-
" cessitate ". Quod cùm probâsset ex Testimoniis omnium Patrum tàm Græcorum, quàm Latinorum, qui ante *Augustinum* floruerunt, vel ipsi συγχρονοι essent, Orationem his verbis claudit; " Sed tandem allegandi Veteres Finis esto, quando non dico, si omnia omnium indicare velimus (quod ne possemus quidem) sed vel sola " quæ possumus, nullus sit futurus Finis". Vide etiam Tractatum nostrum de Libero Arbitrio, Cap. 5.

* *Hist. Pelag. l. 7. Thes. 1. à p. 699. ad p. 716.*

Sectio Decima Quarta

Exhibet S. Patrum Sentimenta quædam in Epistolam D. Pauli *ad* Hebræos.

DUO de hâc Epistolâ, in antecessum, notanda sunt.

Primò, In dubium vocâsse hujus Epistolæ *dubitatam* maximam Ecclesiæ Occidentalis Partem, idque ab iis factum esse, non ob Styli ab aliis ejusdem Epistolis Diversitatem, de qua *Latini* haud

haud idonei essent Judices, sed ob Sententiam *Novatiani* excludentis à Cætu Christianorum eos qui post Baptismum in grave aliquod Peccatum incidissent. Hoc suspicatur * *Estius* his verbis; * P. 889.
" Præterea fieri potuit ut Latinis quibusdam Or-
" thodoxis idcirco suspecta esset hæc Epistola,
" atque eam ob causam tardiùs recepta, quòd
" alicubi videretur *Novato* patrocinari, qui lapsis
" à Baptismo Reconciliationem negabat, quæ
" *Hæresis*, apud Romanos exorta, graviter Eccle-
" siam infestavit, ut propterea verisimile sit pu-
" tâsse nonnullos huic Epistolæ ab Ecclesiâ Ro-
" manâ, ut *Eusebius* refert, fuisse contradictum".
Expressiùs hoc tradit † *Philastrius* his verbis; † F. 39.
" Quia rhetoricè scripsit sermone plausibili, in-
" de non putant esse ejusdem *Apostoli*; & quia
" *factum Christum dicit* in eâ, inde non legitur;
" de Pœnitentiâ autem propter *Novatianos* æquè".
Quod eò verisimilius est, quòd omnes primæ & secundæ Centuriæ Scriptores, *Clemens Rom. Alexandrinus*, *Irenæus*, aliique, Epistolam hanc inter divinas & authenticas Scripturas numerabant, nec eam ab Hæreticis depravatam esse suspicabantur.

Notandum Secundò, veteres fere omnes existimâsse Epistolam hanc ab *Apostolo* Linguâ *Hebraicâ*, sive *Syriacâ*, scriptam fuisse; quod tamen nemo veterum vel oculari testimonio, vel loco unico ex Editione authenticâ citato, confirmatum dederit; certísque indiciis, ex ipsâ Epistolâ desumptis, precarium esse ostenditur. Vide Præfationem nostram in hanc Epistolam.

Cap. VI. 4, 6. *Impossibile enim est, eos qui sunt semel illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritûs Sancti. — Et prolapsi sunt, rursus renovari ad Pœnitentiam.* Cap. 10. 26. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam Veritatis, jam non relinquitur pro Peccatis Hostia.*]

Notum est antiquos Patres legentibus, severas has Sententias secundo & tertio seculo apud multos obtinuisse, nempe *unam Christianis esse Pœnitentiam*, adeoque graviter lapsis, & voluntariè post Baptismum peccantibus, vel nullum Pœnitentiæ locum esse, vel saltem eos ad Ecclesiæ communionem non esse ampliùs recipiendos, sed Dei Misericordiæ relinquendos. Quæ quidem non *Novatiani* tantùm, sed alij ex his locis colligebant.

‖ *L. 2. Mand. 1. p. 46. col. 1.* "Una est servis Dei Pœnitentia, inquit ‖ *Hermes*"; Discipulo autem dicente, "Domine "audivi à quibusdam Doctoribus, quòd alia "Pœnitentia non est, nisi illa cùm in Aquam "descendimus, & accipimus Remissionem Pec"catorum nostrorum, ulteriùs non peccare, sed **Ibid. col. 2.* "in Castitate manere. Et ait illi * Pastor ille "nuntius Pœnitentiæ, *rectè audivisti*: addit au"tem eos qui jam crediderunt Domino Pœni"tentiam Peccatorum non habere, sed Remis"sionem, ob Infirmitatem Hominum, & Ne"quitiam Diaboli insidiantis Servis Dei". Quæ sic interpretatur *Clemens Alex.* "Vi, & callidè "à Diabolo circumvento, una adhuc relinquitur "Pœnitentia. [a] Voluntariè enim peccantibus "nobis, postquam acceperimus notitiam Veri"tatis, non ampliùs relinquitur pro Peccatis † *L. 4. c. 45.* "Hostia". † *Irenæus* dicit, "Justis ante Ad"ventum Domini, Curatio, & Remissio Pecca"torum, Mors Domini fuit: Propter eos verò "qui nunc peccant, Christus jam non morie"tur, jam enim Mors non dominabitur ejus, "sed veniet Filius in Gloriâ Patris, exquirens "ab Exactoribus & Dispensatoribus suis Pecu-

---

a Ἐκουσίως γὰρ ἁμαρτανόντων ἡμῶν μετὰ τὸ λαβεῖν τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας, οὐκ ἔτι περὶ ἁμαρτιῶν ἀπολείπεται ἡ θυσία. Strom. 2. p. 385.

"niam

" niam quam eis credidit ". Priſci Viri,* *Origenes* & *Theognoſtus*, Teſte Athanaſio, docuerunt, " Blaſphemiam in Spiritum Sanctum nunquam " remittendam iis imputandum eſſe, qui, cùm " dignati ſint per Baptiſmum Spiritûs ſancti dono, rurſus recurrunt ad Peccata : Juxta illud " Apoſtoli ad *Hebræos*, *Impoſſibile eſt ſemel illuminatis*, &c.

* *Ho. in Matt. p. 971.*

Apud *Cæſaream Cappadociæ*, eos qui poſt Baptiſmum peccaverint, inquit b *Socrates*, excludunt communione, ſicut Novatiani. " Nonnullis, " inquit † *Auguſtinus*, videtur, eos tantummodo " peccare in Spiritum Sanctum, qui, lavacro Re- " generationis abluti in Eccleſiâ, & accepto Spi- " ritu Sancto, velut tanto poſtea dono Salvatoris ingrati, mortifero aliquo Peccato ſe im- " merſerint, qualia ſunt Adulteria, Homicidia, " vel ipſa Diſceſſio, ſive omnimodo à Nomine " Chriſtiano, ſive à Catholicâ Eccleſiâ ". ‖ *Tertullianus* dicit, " Cum illis non miſceri Chriſtia- " nos, quos vis, & ſævitia Gentium ad negan- " dum ſubegit ". In quæ verba *Gothofridus* hæc habet ; " *Tertullianus* itaque, cùm tria Peccato- " rum Genera conſtituat, Unum quotidianæ in- " curſionis, cui omnes ſumus objecti, Veniam- " que Eccleſiæ, & Pacem meretur ; Alterum eo- " rum quæ monſtra vocat, de quibus nihil atti- " net dicere ; Tertium graviorum Delictorum " & exitioſorum conſtituit, puta Homicidium, " Idololatriam, Negationem, Mœchiam, For- " nicationem ; de horum graviorum Delicto- " rum reis, horum temporum (*Tertulliani* ſcil.) " Diſciplinam ita firmè obſervavit, ut ij Deo " committerentur, i.e. ut, poſt longam quamlibet

† *Serm. 11. de Verbis Dom. p. 39.*

‖ *Ad Natio. l. 1. c. 5.*

b Τὺς μετὰ τὸ βάπτισμα ἡμαρτηκότας ἐξωθεῖσθαι τῆς κοινωνίας, ὡς οἱ Ναυατιανοί. H. Eccl. l. 5. c. 22.

" diuque tractam Pœnitentiam, Pacem ab Ec-
" cleſiâ impetrare non poſſent, neque eorum
" Ratio haberetur, verùm in perpetuum Eccle-
" ſiâ & Abſolutione, vel in Morte, privaren-
" tur ". Et nihilominus tamen iiſdem Tertulliani temporibus magna Sententiarum privatarum hâc parte Libertas ſtetit, ſtante nihiloſecius Eccleſiæ Unitate, adeò quidem ut eoſdem Patres variâſſe deprehendere liceat, atque modò hanc, modò illam Sententiam amplexos liqueat; cujus fidem exemplo ſuo facit * *Cyprianus* Ep. ad Antonianum his verbis, " Quoniam de meo quoq;
" actu motus videris, mea apud te & Perſo-
" na & Cauſa purganda eſt, ne me aliquis ex-
" iſtimet à propoſito meo leviter receſſiſſe; &
" cum Evangelicum vigorem primò, & inter
" initia, defenderim, poſtmodum videar ani-
" mum meum à Diſciplinâ & Cenſurâ priore
" flexiſſe, ut his qui libellis Conſcientiam ſuam
" maculaverint, vel nefanda Sacrificia commi-
" ſerint, laxandam Pacem putaverim ". E contrà *Tertullianus*, qui agnoſcit ſe anteà Mœchis & Fornicatoribus Pœnitentiæ locum conceſſiſſe, libro de Pudicitiâ acriter contendit, Eccleſiæ Pacem iis denegandam eſſe. In quâ Controverſiâ ſanè, ut veteris Eccleſiæ Morem & Severitatem, ita & ſui temporis Epiſcopos Africæ nonnullos conſentientes habuit: Id quod ex his *Cypriani* Ep. ad Antonianum verbis diſcere licet.
" Et quidem apud Anteceſſores noſtros quidam
" de Epiſcopis iſtinc in Provinciâ noſtrâ dan-
" dam Pacem Mœchis non putaverunt, & in
" totum Pœnitentiæ locum contra Adulteria
" clauſerunt ". Denique eo tempore Eccleſia nec Homicidis, nec Idololatris Chriſtúmque negantibus, Veniam, ſaltem ante exitum, concedebant. Atque hinc *Tertullianus* nec Mœchos ad Pœnitentiam admittendos eſſe colligit:
" Quæ-

* *Ep.* 55. *p.* 101.

" Quæcunque, inquit, Auctoritas, quæcunque
" Ratio Mœcho & Fornicatori Pacem Eccleſi-
" aſticam reddit, eadem debebit & Homicidæ
" & Idololatræ Pœnitentibus ſubvenire, certè
" Negatori, & utique illi quem in prælio Con-
" feſſionis tormentis deluctatum Sævitia deje-
" cit. Cæterùm indignum Deo, & illius Miſeri-
" cordiâ, qui Pœnitentiam Peccatoris Morti
" prævertit, ut faciliùs in Eccleſiam redeant, qui
" ſubando, quàm qui dimicando ceciderunt.
" Quæ Pœnitentia miſerabilior, titillatam pro-
" ſternens Carnem, an laniatam? quæ juſtior
" Venia in omnibus cauſis, quam voluntarius,
" an quam invitus Peccator implorat? nemo vo-
" lens negare compellitur, nemo nolens forni-
" catur.

Cap. XI. 36. *Fortes facti ſunt in bello.*] Hæc verba de *Maccabæis*, *Mattathia*, *Juda*, &c. interpretantur Centuriâ quintâ *Theodoretus*, ſextâ *Primaſius*, nonâ *Haymo*, decimâ *Oecumenius*, undecimâ *Anſelmus*, decimâ tertiâ *Aquinas*, *Hugo Cardinalis*, & *Gloſſa ordinaria*, decimâ quartâ *Lyra*, & decimâ quintâ *Carthuſianus*. Et mirum in modum convenit Hiſtoria *Maccabæorum* cum verbis Apoſtoli, à Commate triceſimo quinto ad triceſimum octavum. Ver. 35. *diſtenti ſunt*, ἐτυμπανίσθησαν, *non ſuſcipientes Redemptionem, ut meliorem invenirent Reſurrectionem.* Ita *Eleazarus* τυμπανισθεὶς expiravit, 2 Macc. 6. 19, 30. Ita *Septem Liberi* patiebantur πάντα Spe melioris Reſurrectionis, 2 Mac. 7. 3, 9, 11, 14, 23, 29, 36. Alij autem experientiam habuerunt ἐμπαιγμῶν, v. 36. ſcilicet Puerum ſecundum & tertium adduxerunt εἰς τὸ ἐμπαιγμὸν, 2 Macc. 7. 7, 10. καὶ μάστιγων, *Eleazerus* 2 Macc. 6. 30. Septem Liberi μάστιξι καὶ νευραῖς ἀικιζόμενοι. c. 7. 37. ἐπυρώθησαν, v. 37. nempe Septem Filij, 2 Macc. 7. 5. *errantes in Solitudinibus*, fugientes εἰς τὴν ἔρημον, 1 Macc. 2. 29. *in Montibus*, ver.

38. εἰς τὰ ὄρη, v. 28. *in Speluncis*, συνδεδεμένους εἰς τὰ σπήλαια, 2 Macc. 6. 11. Porro * Codex *Africanus* enumerat Libros Maccabæorum inter eos quos à Patribus acceperant in Eccleſiâ legendos.

* Can. 27.

† Epiſt. ad Chromat. T. 3. F. 9. || Apud Hieron. T. 4. F. 51. E.

† *Hieronymo* teſte, Tobiæ, Judith, & Maccabæorum Libros legit Eccleſia, ſed eos inter Canonicas Scripturas non recipit. || *Ruffinus* de iiſdem, *Hæc omnia legi quidem in Eccleſiis Patres voluerunt, non tamen proferri ad Authoritatem ex his Fidei confirmandam.* Denique *Auguſtinus* docet, " Recep-
" tam eſſe ab Eccleſiâ *Maccabæorum* Hiſtoriam
" non inutiliter, ſi ſobriè legatur & audiatur ;
" maximè propter illos *Maccabæos* qui pro Dei
" Lege, tanquam veri Martyres, à Perſecutori-
" bus tam indigna & horrenda perpeſſi ſunt ". Contra Epiſtolam Gaudentij Donatiſtæ, l. 2. cap. 23.

Ver. 40. *Deo pro nobis melius providente, ut non ſine nobis conſummarentur.*] Fideles omnes non ante Reſurrectionem coronandos, aut in Cœlum beatorum recipiendos eſſe, probavimus Teſtimoniis *Juſtini M. Irenæi, Tertulliani, Novatiani, Lactantii.*

* Ho. 7. in Levit. F. 71

* *Origenes*, hoc loco citato, " Expectat,
" inquit, Abraham, ut, quæ perfecta ſunt, con-
" ſequatur ; expectat & Iſaac, & Jacob, & om-
" nes Prophetæ expectant nos, ut nobiſcum per-
" fectam Beatitudinem capiant. Nondum re-
" ceperunt Lætitiam ſuam ne Apoſtoli quidem,
" ſed & nos expectant, ut ego Lætitiæ eorum
" Particeps fiam. Neque enim recedentes hinc
" Sancti continuò integra Meritorum ſuorum
" Præmia conſequuntur, ſed expectant nos, li-
" cèt morantes ". Ita *Theodoretus* de *Patriarchis*, Hic οὐδέπω τῶν στεφάνων ἀπέλαυσαν. Ut *Abel* & *Noah* ante nos non conſummarentur, inquit *Chryſoſtomus*, *unum ordinavit Coronarum recipiendarum tempus omnibus.*

SEC-

Sectio Decima Quinta

Continet Patrum in D. Jacobi *Epiſtolam Conjecturas.*

CAP. I. 14. *Unuſquiſque tentatur à Concupiſcentiâ ſuâ abſtractus & illectus.* 15. *Deinde Concupiſcentia, cùm conceperit, parit Peccatum.*] Hinc conſtat, motus Concupiſcentiæ qui Rationem præveniunt, non eſſe Peccata. Nam 1. Concupiſcentiâ illici & deliniri eſt tantùm tentari: tentari autem non eſt Peccatum, ſed Tentationi cedere. (2.) Concupiſcentia tunc tantùm parit Peccatum, ubi concepit; tunc autem tantùm concepiſſe dicitur, cùm Voluntatis aſſenſum obtinuerit. (3.) Iſti motus non ſunt in noſtrâ Poteſtate, ut eos avertere, aut evitare poſſimus; dicente autem *Auguſtino*, *Nemo peccat in eo quod nullo modo caveri poteſt.* Denique Peccatum omne eſt voluntarium, immo, dicente *Auguſtino*, " Uſque adeò Peccatum voluntarium eſt ma-
" lum, ut nullo modo Peccatum ſit, ſi non ſit
" voluntarium: Atque hoc, inquit, ita mani-
" feſtum eſt, ut nulla hinc Doctorum paucitas,
" nulla Indoctorum turba diſſentiat; repugnat
" autem, motus qui non ſunt in noſtrâ Poteſta-
" te, eſſe voluntarios". * *Baſilius* has ὁρμὰς Animi naturales eſſe pronuntiat, & Animum ad malum inducere, non ob primam Malitiam, *ſed ob Animi Negligentiam & Ignaviam.* *Chryſoſtomus* pariter; [a] " Concupiſcere naturale eſt, malè

* *De Conſtic. Monaſthi. c. 2. To. 2. p. 751.*

---

[a] Τὸ μὲν ἐπιθυμεῖν φυσικὸν, τὸ δὲ κακῶς ἐπιθυμεῖν τῆς προαιρέσεως λοιπόν. To. 6. Hom. 19. ad Pop. p. 594.

" autem concupiſcere ex Voluntate eſt". *Noli conſentire Concupiſcentiæ tuæ*, inquit † *Auguſtinus, non eſt unde concipiat.* Et rurſus; " In his " verbis (Jacobi) partus à parlente diſcernitur; " pariens enim eſt Concupiſcentia, partus Pec- " catum. Sed Concupiſcentia non parit, niſi " conceperit; non concipit, niſi illexerit, hoc " eſt ad malum perpetrandum obtinuerit Vo- " luntatis conſenſum". *Quodlibet Peccatum perpetrare non poſſum*, inquit || *Proſper, niſi malæ Delectationi conſentiam.* " Inter Paſſionem & Propaſ- " ſionem hoc intereſt, inquit * *Hieronymus*, quòd " Paſſio reputatur in Vitium; Propaſſio, licèt " Vitij Culpam habeat, tamen non tenetur in " Crimine; ergo qui viderit Mulierem, & Ani- " ma ejus fuerit titillata, hic Propaſſione per- " cuſſus eſt; ſi verò conſenſerit, & de cogita- " tione affectum fecerit, de Propaſſione tranſivit " ad Paſſionem; & huic non Voluntas peccandi " deeſt, ſed Occaſio.

† *L. 5. contr. Julia.*

|| *De Vit. Contempl. l. 3. c. 4.*

* *In Matt. F. 9. M.*

Cap. III. 9. *Maledicimus Homines qui ad Imaginem Dei facti ſunt.*] Hinc conſtat, Imaginem Dei in Homine, per lapſum *Adami*, minimè perditam fuiſſe. Sententiam illam *Origeni* imputabat *Epiphanius* his verbis, † *Hieronymo* interprete, " Imaginem & Similitudinem Dei, ad quam Homo " conditus fuerat, dicit ab eo [b] perditam; & " poſt Paradiſum in Homine non fuiſſe". Et rurſus, || Epiſtolâ contra *Johannem Epiſcopum Hieroſolymitanum*, " Inter multa, inquit, mala, eti- " am illud auſus eſt dicere, *perdidiſſe Imaginem* " *Dei Adam*". Hìc autem obſervandum eſt, Primò, hanc quam in *Origene* culpant, eſſe ipſiſſimam *Auguſtini* Sententiam. Is enim * Libro

† *Ep. ad Pammach. F. 59. K.*

|| *To. 1. F. 57. M.*

* *P. 592. c. 27, 28.*

[b] Τὸ κατ' εἰκόνα δέ φησιν ἀπολωλεκέναι τὸν Ἀδάμ. Hæreſ. 64. n. 4. Dicit Adamum perdidiſſe imaginem Dei.

ſex-

sexto de Genesi ad Literam dicit, *Hanc Imaginem in Spiritu Mentis impressam perdidit Adam per Peccatum.* Et rursus: *Secundùm Imaginem ejus* (esse) *qui creavit eum amisit peccando.*

Observandum secundò, † *Hieronymum*, dum Errores *Johannis Hierosolymitani* acriùs exagitat, ea dicere, quæ Peccato Originali adversari videantur. " Nasci, inquit, de Adulterio, non e- " jus Culpa est qui nascitur, sed illius qui gene- " rat. Nasci ergo de *Adamo*, non ejus Culpa " est qui nascitur, sed illius qui generat". Et rursus; " || Non in seminibus, sed in Voluntate " nascentis, Causa est Vitiorum, atque Virtu- " tum. Si offensa est nasci in Corporibus hu- " manis, quomodo Isaac, Sampson, Johannes " Baptista, *de Repromissione nascuntur*; Si non est " offensa nasci de Corporibus humanis, ergo hi " non essent Peccati Originalis rei.

† *Ep. ad Pammach. F. 60. K.*

|| *Ibid. Lit. K.*

Denique, *Epiphanius* dicit, " Malignâ Inter- " pretatione uti eos, qui dicunt Adamum solum " esse factum ad Imaginem Dei, quia plasmatus " est ex humo, & Uxor ejus de Costâ Viri; " eos verò qui conciperentur in utero, & non ita " nascerentur ut *Adam*, Dei non habere Imagi- " nem". Quæ satis indicare videntur *Augustini* de Peccato Originali Sententiam *Epiphanio* ignotam fuisse; ea etenim docet omnes nos Justitiam Originalem perdidisse, eò quòd, è Lumbis Adami jam lapsi procedentes, in Utero *Evæ* concepti fuimus, & non ita integri nasceremur ut *Adam*.

Observandum denique * *Irenæum* eadem cum *Origene* docuisse, quod hæc ipsius verba indicant. " Incarnatus est Filius Dei, & Homo factus lon- " gam Hominum expositionem in seipso reca- " pitulavit, in compendio nobis Salutem præ- " stans, ut, quod perdideramus in *Adam*, id est " se-

* *L. 5. c. 20.*

" ſecundùm Imaginem & Similitudinem eſſe
" Dei, hoc in Chriſto Jeſu reciperemus.

Sectio Decima Sexta

Exhibet Strictur as quaſdam Patrum in Primam Epiſtolam D. Petri.

CAP. II. 5, 9. *Sacerdotium Sanctum, offerre Deo ſpirituales Hoſtias.*] Patres antiquiſſimi omnes Chriſtianos Sacerdotes eſſe pronuntiabant, juxta hæc *D. Petri* verba, *vos autem ſuperædificamini ſpiritualis Domus, Sacerdotium Sanctum, offerre ſpirituales Hoſtias, acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum:* & hæc Divi *Johannis, feciſti nos Deo noſtro Reges & Sacerdotes,* Apoc. 5. 10. " Nos,
" inquit [a] *Juſtinus M.* Sacerdotale verum genus
" ſumus, prout Deus ipſe teſtatur dicens, (Ma-
" lach. 1. 11.) *nos in omni loco inter Gentes offerre*
" *ipſi Sacrificia Deo grata & pura.* Non accipit
" autem Deus Sacrificia ab ullo niſi à Sacerdoti-
" bus ejus. Omnes ergo, qui per Nomen hoc Sacri-
" ficia [offerunt] quæ tradidit Jeſus fieri, in Eucha-
" riſtiâ Panis & Poculi, quæ à Chriſtianis in omni
" loco fiunt, anticipans, gratos ſibi eſſe teſta-
" tur". Hæc autem manifeſtò loquitur de omnibus qui per Nomen primogeniti Filij ipſius in Deum, omnium Opificem, credunt, & de omni genere *Chriſtianorum* uſque ad unum, p. 345. &

---

[a] Ἡμεῖς ἐσμὲν ἱεράτευμα τὸ ἀληθινὸν γένος — ὃ δὲ χάλας δὲ παρ' ἀνθρώπου θυσίας ὁ Θεὸς, εἰ μὴ διὰ τῆς ἱερέων αὐτῶν. Dial. p. 344.

de

de Sacrificiis, ab iis omnibus qui digni ſunt, in Euchariſtiâ oblatis, ibid. A. & C. Secundum * *Irenæum, Sacerdos ſcitus fuerat David apud Deum; omnes enim juſti Sacerdotalem habent ordinem.* Ubi notatu digna ſunt hæc verba *Grabij*: " Sententi- " am hujus dicti quod attinet, *Feuardentius* vult " *Irenæum* omnes pios Sacerdotali Dignitate or- " nare, quatenus Hoſtiam viventem, ſanctam, " beneplacentem Deo, ſecundum Apoſtolicam " Inſtitutionem, ſeipſos exhibent; Eleemoſynas " etiam, & labiorum vitulos Deo maximo offe- " runt: At verò phraſis ἰσχυρῶς πλέως aliquid am- " plius importare, ac idcirco *Irenæus* in eâdem fe- " rè cum *Tertulliano* Sententiâ fuiſſe videtur, " quòd omnes fideles ſint Sacerdotali Ordine " & Poteſtate præditi, ejuſque Exercitium, ubi " Neceſſitas requirit, obire queant; licèt ordi- " naria Functio non niſi ordinatis ad ſacra Mu- " nia Miniſtris competat". Ita quippe *Tertulli- anus* l. de Exhort. Caſtitatis, cap. 7. fatur; *Nonne & Laici Sacerdotes ſumus?* Scriptum eſt, *Regnum & Sacerdotes nos Deo Patri ſuo fecit.* " Diffe- " rentiam inter Ordinem & Plebem conſtituit " Eccleſiæ Authoritas, & Honor per Ordinis " conſeſſum ſanctificatus; adeo, ubi Ordinis " Eccleſiaſtici non eſt conſeſſus, & *offers, & tin- gis, & Sacerdos es tibi ſolus.* Igitur ſi habes jus " Sacerdotis in temetipſo, ubi neceſſe eſt, habe- " as oportet etiam diſciplinam Sacerdotis. Sed " & alio loco mens *Tertulliani* patet, nempe ex " Libro de Coronâ Militis, Cap. tertio, ubi do- " cet, *Euchariſtiæ Sacramentum omnibus mandatum à Domino*, licèt in Eccleſiâ invaluerit mos, non " *niſi de Præſidentium manu ſumendi.* Ac priora " quidem verba non modò de ſenſu *Tertulliani*, " ſed & de Praxi Catholicorum, contra quos " ibi diſputat, teſtari videntur; licèt docti qui- " dam Viri iſta, & *offers*, & *tingis*, non de ipſo " actu

* *L.* 4. c. 20.

" actu, sed jure offerendi & tingendi accipi-
† *P.* 357. " enda velint". † Ambianatis in hoc Caput septimum Scholia sunt lectu digniſſima. Primò etenim, ex *Cyrilli Alexandrini* verbis, obſervat, " Rem notam & omnibus manifeſtam fuiſſe, " *Chriſtianos omnes in Miniſterium divinum conſe-* " *cratos*, & *idcirco Sacerdotij*, *modulo ſuo*, participes.
‖ *P.* 364. " Addit ſecundò, ‖ *Tertullianum* non ex propriâ Se-" ctâ hic loquutum eſſe, ſed ex communi Eccleſiæ " diſciplinâ; enimvero non ait, *tingimus &* " *offerimus*, ſed *& offers & tingis*, id eſt, ita ſo-" les, O Catholice! ita in neceſſitate provides.
* *P.* 363, 364. " Tertiò, * Auctorem dare jus Laicis omnibus " in neceſſitate non ſolùm baptizandi, ſed & of-" ferendi; id eſt, implet Sacrificium, tantum-" que præſtat quoad fructum, quantum ſi ad " hoc vocatus. Quartò, Obſervat non repug-
† *C.* 48. " nare his ea quæ dicit † Libro de Præſcriptio-" nibus, contra eos qui Laicis Sacerdotalia Mu-" nera injungunt. Aliud enim eſt Sacerdotale " Munus ex publicâ Auctoritate injungere;
‖ *P.* 365. " ‖ aliud ex privatâ Neceſſitate permittere; il-" lud Officium ordinarium eſt, iſtud extraordi-" narium: Miniſterium illud Diſciplinæ eſt, " iſtud Indulgentiæ; illud ex Ritu ſolenni & " publico, iſtud ex Caſu ſingulari & privato; " illud diſponitur ad Eccleſiæ Honorem, iſtud
* *Ho.* 9. *en Levit. F.* 78. *A.* " permittitur ad Fidelium Salutem". * *Origenes* ſic loquitur: " An ignoras tibi quoque, id eſt " omni Eccleſiæ Dei, & credentium Populo, " *Sacerdotium datum?* Audi quomodo *Petrus* dicit " de fidelibus, *Genus electum*, *Regale Sacerdotium*, " *Gens ſancta*, *populus in acquiſitionem*. Habes er-" go Sacerdotium, quia Gens Sacerdotalis es, " & ideò offerre debes Deo Hoſtiam laudis, Ho-" ſtiam Orationum, Hoſtiam Miſericordiæ, " Hoſtiam Pudicitiæ, Hoſtiam Juſtitiæ, Hoſti-" am Sanctitatis". Vidimus notis in Act. 10.

48. Laicum in casu Necessitatis baptizantem id tantùm fecisse, quod liberè potuit. En Rationem! ij etenim Unctionem Sancti Spiritûs acceperunt, ut olim Sacerdotes, adeóque Sacerdotes sunt, juxta * *Theophylactum*; *talis enim*, inquit, *est omnis qui baptizatur.* Hæc autem mutuatus est ex † *Chrysostomo*, qui quærit, quid sit *Deus ungens, & signans nos, & Spiritum dans?* Respondet his verbis; *constituit nos Prophetas, & Sacerdotes, ut scilicet offeramus nosmetipsos Hostiam viventem, sanctam, beneplacentem Deo.* || *Hieronymus*, Libro contra Luciferianos, dicit, "Ex Authoritate "Ecclesiæ venire, ut, sine Episcopi Jussione, ne- "que Presbyter, neque Diaconus jus habeant "baptizandi. Quod frequenter, si tamen Ne- "cessitas cogit, scimus etiam licere Laicis. Ut "enim accepit quis, ita & dare potest. Acce- "pit autem, quia cum Baptismo accepit Sacer- "dotium". Juxta hæc ejusdem *Hieronymi* verba, "* Deponat Sacerdotium Laici, id est, "Baptisma, & ego do Veniam Pœnitenti": *Scriptum est enim, Regnum quippe nos, & Sacerdotes Deo Patri fecit: Et iterum; Gentem sanctam, Regale Sacerdotium, Populum acquisitum. Oecumenius* in hunc locum, "Per sanctum Baptisma regenera- "ti, meritò, & Genus electum, & regale Sacer- "dotium vocati estis". Denique, *Cyrillus Alex.* in hæc verba, *Omnis Masculus inter Sacerdotes comedit hæc, Sancta Sanctorum Domino*: "Per Mascu- "lum, & Sanctum Genus, inquit, eleganter "significavit illos qui sunt in Christo spirituali- "ter fortes, & sancti. [b] Vocamur jam in com- "municationem fragrantissimi Sacrificij, *utpote*

* *In* 2 *ad Cor. c.* 1. *v.* 21, 22.

† *To.* 3. *p.* 562, 566.

|| *F.* 50. *K, L.*

* *F.* 49. *H*

[b] Κεκλήμεθα τοίνυν εἰς μέθεξιν τῆς ἐυσεμνοτάτης θυσίας, ὡς ἱερὸν καὶ ἀπόδεκτον γένος, ὡς ἔθνος ἅγιον, ὡς βασίλειον ἱεράτευμα. γλαφ. in Levit. p. 352.

"San-

" *Sanctum*, & *electum Genus*, *tamquam Gens sancta*,
" & *regale Sacerdotium*.

Cap. III. 19. *In quo etiam iis qui in Carcere erant Spiritibus prædicavit.*] *Clemens Alex.* ex hoc loco, & aliis Apocryphis, & nusquam apparentibus, contendit, non Dominum tantùm, sed etiam ejus *Apostolos*, post mortem, iis qui antea dormiissent, * apud Inferos prædicâsse, ipsis Aquæ Genitalis baptismum exhibuisse; quod ex *Hermetis* his verbis confirmat; *Descenderunt in Aquam cum illis, & rursus ascenderunt*; *sed hi* (Apostoli) *viventes descenderunt, & rursus viventes ascenderunt*; *illi autem qui antea dormierunt mortui descenderunt, vivi autem ascenderunt.* Fortè existimabat *Hermes*, Dominum ad Inferos descendendo Stygium lacum consecrâsse, & Baptismum Animarum in Carnis Resurrectionem instituisse. † Stromate sexto, latiùs hæc prosequitur dicendo, τοῖς κατὰ φιλοσοφίαν δικαίοις, " Iis, qui quantum
" ad Philosophiam justi essent, non tantùm Fides in Dominum fuit necessaria, sed ut abstinerent à Cultu Idolorum. Revelatâ ergo eis
" Veritate, ipsi quoque Pœnitentiâ ducti sunt,
" propter ea quæ fecerant. Prædicâsse autem
" iis Dominum apud Inferos sic probat; *Dicit*
" *Infernus perditioni, ejus quidem Speciem non vidimus, Vocem autem ejus audivimus*". Ubi respicere videtur Jobi Caput 28. Com. 22. sed nec verba, nec sensum rectè exhibet; & in verbis quæ ipse, ex cerebro suo, Textui adjecit, vim totam collocat. Ad Judæos pergit, quibus concessa erat, sed Fides in Christo defuit; & ex Apocrypho Libro de *Petri* Prædicatione, hæc recitat: " Ob hoc *Petrus* dicit, Dominum dixisse
" Apostolis, si quis ergo de Israel vult duci Pœ-
" nitentiâ, & per Nomen meum credere in De-
" um, remittentur ei Peccata". Deinde vin-
" ctos Judæos esse dicit, eò quòd Dominus dixit

Isa-

* *Strom.* 2. *p.* 379.

† *P.* 636, 637.

Isa. 49. 9. *egredimini ex vinculis qui vultis*; ubi nec sensum, nec verba retinet. Denique ad hæc *Petri* verba respiciens, hæc habet: "An "non significant Dominum annunciâsse Evan"gelium & iis qui perierunt in Diluvio, vel po"tiùs vinctis, & iis qui in Carcere contineban"tur, & Custodiâ"? * *Origenes* pariter hæc verba in *Petri* Catholicâ Epistolâ refert ad Christi in Inferos descensum. Juxta *Athanasium* Corpus ejus in Sepulchro positum est, cum Verbum abiit, ὡς εἶπεν ὁ Πέτρος, *ut dixit Petrus*, prædicare Spiritibus qui in Carcere detinebantur. † *Epiphanius* denique ait; "Corpus in Monu"mento depositum est, quo tempore, ut Spiriti"bus illis qui in Custodiâ detinebantur præ"dicaret, ad eos accessit, ὡς εἶπε, *ut Petrus testa*"*tur*". Hoc demum inter Articulos Ecclesiæ Anglicanæ olim locum habuisse constat. Articulus enim tertius his verbis conceptus est, *Quemadmodum Christus pro nobis mortuus est, & sepultus, ita est etiam credendum ad Inferos descendisse. Nam Corpus usque ad Resurrectionem in Sepulchro jacuit, Spiritus ab illo emissus, cum Spiritibus qui in Carcere sive in Inferno detinebantur, fuit, illisque prædicavit, quemadmodum testatur Petri locus.* Hunc autem verborum Petri Sensum consistere non posse ex eo liquet, quòd Spiritus de quo Petrus ibi loquitur, non fuit Spiritus sive Anima Christi, sed Spiritus divinus quo Christi Corpus vivificatum est, Rom. 8. 11. 2 Cor. 13. 4. qui, cùm sit omnipræsens, & in ipso Inferno semper, Psal. 139. 8, non potuit illuc descendere ad prædicandum Animis apud Inferos detentis.

* *Com. in Joh. p. 126.*

† *Hær. 77.*

Cap. IV. 6. *Propter hoc & mortuis evangelizatum est, &c.*] Ut Patres, à secundâ Centuriâ, de Christi Descensu ad Inferos, tanquam de re certâ, loquebantur, ita id ab iis factum esse partim ex locis Apocryphis, verbisque quæ in Scripturis

pturis minimè extabant, uti videre est apud Pearsonum de Christi Descensu ad Inferos, p. 242. partim ex locis Scripturæ malè intellectis, constat ex hoc, & loco de quo prius egimus. Huc primùm respicere videntur *hæc* * *Irenæi* verba, " Et propter hoc Dominum in ea quæ sunt " sub Terrâ descendisse evangelizantem, & il- " lis Adventum suum, Remissionem Peccatorum " existentem *his qui credunt in eum*". Omnis quicunque, viso Salvatore apud Inferos, speravit de illo Salutem, liberatus est, inquit † *Hilarius*, *D. Petro Apostolo* hoc testante. Dicit enim, *quia & mortuis prædicatum est.* Alij duo hæc loca conjungunt. Ita *Jobius* apud || *Photium* dicit, etiam iis apud Inferos per Christum Redemptionem perveniisse, Petro dicente, *his qui in Carcere Spiritibus, veniens prædicavit, ut judicarentur quidem Carne, vivant autem Spiritu*, id est, " Ut in- " fideles, & ob hoc Peccati rei manentes, con- " demnarentur; quotquot autem apud Inferos " Christo, ob Justitiam, crediderunt, spirituali " Lætitiâ perfruantur". Denique Sententiam hanc de Christi Descensu ad Inferos ad prædicandum iis qui ibi detinebanrur, ut salvi fierent qui Christum confiterentur, Hæreticis adscribit * *Philastrius* his verbis: " Alij sunt Hæretici qui " dicunt, Dominum in Infernum descendisse, " & omnibus post Mortem ibidem renuntiâsse, " ut confitentes ibidem salvarentur". Cùm hoc sit contrarium dicenti Prophetæ David, *in Inferno autem quis confitebitur tibi?* Et Apostolo; *Quotquot sine Lege peccârunt, sine Lege peribunt*: Et, *omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque ea quæ gessit in hoc Corpore.*

* *L.* 4. *c.* 43.

† *In Rom.* 10. *p.* 217, 218.

‖ *P.* 638.

* *Ed. Syc. F.* 65.

Sectio Decima Septima

Exhibet Sanctorum Patrum Ἐξηγήματα in ſecundam D. Petri Epiſtolam.

CAP. II. 4. *Si enim Deus Angelis cadentibus non pepercit, ſed rudentibus Inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos in Judicium reſervari.*]

" Mirum, inquit * *Maldonatus*, quanto conſen- * *In Matt.*
" ſu plerique veteres Authores docuerint Dæmo- 8. 29.
" nes ante diem Judicij non torqueri, quòd
" *Petrus* ſcribat 2 Ep. 2. 3. *Angelos cruciandos in Judicium reſervari, & Juda* 8. *Com. eos in Judicium magnæ diei Vinculis æternis ſub Caligine reſervari.*
" Dæmones, inquit [a] *Juſtinus M.* Pœnas &
" Supplicia condigna ſempiterno incluſi Igne
" perferent; quòd enim nunc ab Hominibus per
" Nomen J. Chriſti illi premuntur, documen-
" tum eſt futurorum, qui eos Cultoreſque eo-
" rum manent, in æterno Igne cruciatuum".
Et rurſus: " Diabolum, cum Militia ſuâ & Ho-
" minibus eum ſequentibus, in Ignem miſſum,
" & per Seculum infinitum cruciatum iri præ-
" monſtravit Chriſtus: † Facta autem propter † *Apol. p.*
" humanum Genus mora, quòd Deus nondum 71.
" hoc fecerit". " Dominus univerſi, inquit
" || *Tatianus*, permiſit illos inſultare, donec || *P.* 157.
" Mundus finem capiens diſſolvatur, & Judex
" adveniat. Deſperata Conditio eorum, inquit
" * *Tertullianus*, ex prædamnatione ſolatium re- * *Apol. c.* 27.

[a] Δίδασμά ὅτι τῆς κὴ μελλόσης αὐτοῖς, κὴ τοῖς λατρεύσιν αυτοῖς ἐσομένης ἐν τῷ αἰωνίῳ πυρὶ κολάσεως. Apol. 1. p. 47.

" putat fruendæ interim malignitatis, pœnæ
† *F. p.* 39. " morâ". Et juxta † *Minutium*, " Diabolus de-
" ſtinatam ſibi cum ſuis Cultoribus pœnam
" præſcius perhorreſcit". " Diabolus, inquit
‖ *Ho.* 4. *in* " ‖ *Origenes*, in hoc Seculo neque corripitur pro
Exod. F. " Peccato, neque flagellatur; omnia namque
44. *H.* " ei ſervata ſunt in futurum; unde & ipſe, ſciens
" ſibi illud ſtatutum Tempus eſſe Pœnarum, di-
" cebat ad Salvatorem, *Quid veniſti ante Tempus*
* *F.* 116. " *torquere nos*"? Et rurſus: " * Indigni ſunt
I. " qui in præſenti Seculo corripiantur, ſed in fu-
" turo recipient *quæ merentur*". Et Homiliâ 13. in Numeros: " Non vult, inquit, Deus Dæmo-
" num Genus ante Tempus damnare. Sciunt
" enim & ipſi Dæmones quia Tempus eorum
" præſens hoc Seculum continet. Dominus Im-
" piorum cum Miniſtris ſuis publicâ omnium
" Reſurrectione comprehendetur, atque ad Pœ-
" nam damnabitur, cum quo pariter omnis Tur-
" ba Impiorum pro ſuis facinoribus perpetuo
" Igni cremabitur in æternum". *Lactantius*, Libro Septimo Cap. 26. p. 729. " Deſertores
† *De Civ. Dei l.* 13. " Angeli, ſecundum † *Auguſtinum*, ut omninò
c. 24. " non deſiſtent vivere & ſentire, quoniam Im-
" mortales ſunt, *in ſecundam Mortem poſt ultimum*
" *præcipitabuntur judicium*". Et rurſus: "‖ Scri-
‖ *Ibid. l.* 21. *c.* 23. " ptura dicit, eis Deum non peperciſſe, & ſic
" ab illo eſſe interim prædamnatos, ut carceri-
" bus caliginis Inferni detruſi traderentur ſer-
" vandi, atque ultimo Judicio puniendi, quum
" eos æternus Ignis excipiet, ubi cruciabuntur
" in Secula Seculorum. Principes qui ſuum non
" ſervârunt gradum Dominus in Die Judicij,
" quaſi in uno faſce pariter alligatos, mittet in
" Ignem Inferni". *Hieronymus* in Iſa. 24. F. 47. C. vide plura apud Petavium To. 3. de Angelis l. 3. c. 4. à Sectione undecima ad Sectionem decimam octavam.

Ver.

'Ver. 9. *Novit Dominus impios in Diem Judicij reservare puniendos.*] Statuit *Concilium Florentinum* quòd à Die exitûs sui Ignis reprobos exurat; unde *Lorinus* hic inter Errores *Græcorum* & *Hæreticorum* hunc ponit, Pœnas Inferni non percipi ante Judicij Diem universalis. Probavimus tamen ex Testimoniis Patrum antiquissimorum, *Justini M. Tertulliani, Lactantij, Hilarij, Pseudo-Justini,* & *Theodoreti*, nec malorum, nec bonorum ἀνταπόδοσιν ante Resurrectionem expectandam esse, & speciatim, ex *Justino Martyre* & *Tatiano*, non esse impios Pœnis infernalibus objiciendos ante Diem illum. Et denique ex *Tertulliano*, fieri minimè posse ut Animæ sine Corporibus puniantur. Quibus adde * *Methodij* hæc apud *Epiphanium* verba: "Illud verò, *timete illum qui potest perdere Corpus & Animam in Gehennâ*, fortè "nos docet, *quòd Anima sine Corpore non punietur.* Vide etiam Sectionem 72. p. 603.

* *In Hær.* 64. *n.* 16. *p.* 538.

Sectio Decima Octava

Respicit quædam Patrum Glossemata in Epistolas Divi Johannis.

Cap. II. 18. *Filioli, novissima Hora est; & sicut audistis quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt; unde scimus quia novissima Hora est.*] Notavimus ad primæ Epistolæ ad Corinthios Caput decimum, Comma undecimum, Patres quatuor primorum Seculorum fidenter docuisse, Diem Judicij, Mundique Finem non procul abfuisse, adeoque *Antichristum* subitò venturum fuisse. Obtinuit etiam generalis ferè Patrum, per quatuor Centurias, Sententia, natum

esse Christum Anno Mundi quinquies millesimo & quingentesimo, Finemque adeo habiturum Anno Christi quingentesimo. Id discimus ex hisce * *Photij* verbis: " *Antichristi* Adventum, " Mundique adeo hujus aspectabilis Finem, au- " sus est *Hippolytus* quingentesimo post Christum " Anno adscribere, quasi à primâ Mundi Con- " stitutione sex millibus Annorum tum decursis " *ejus interitus instaret*". Sententiam hanc *Judæorum* de Mundi Consummatione post sextum millennium ab ejus Creatione Patres ab iis accepisse videntur. Ita † *Barnabas*, cùm citâsset hæc Verba Geneseos, *fecit Deus in sex Diebus opera manuum suarum*, hæc addit; " Advertite, Filij, " quid dicit illud, consummavit in sex Diebus, " hoc indicat, quòd omnia consummavit Do- " minus Deus in sex millibus Annorum; nam " Dies ejus mille Anni, sicut ipsemet testatur, " dicens, *Ecce hodiernus Dies erit tanquam mille* " *Anni*; itaque, Filij, in sex Diebus, hoc est, " in sex Annorum millibus consummabuntur u- " niversa". *Barnabam* sequitur || *Irenæus* his verbis; " Quotquot enim Diebus factus est " Mundus, tot millibus Annis consummabitur; " & propter hoc ait Scriptura, *& consummata* " *sunt Cælum, & Terra, & omnis Ordo eorum*". Huc spectant hæc verba * *Cypriani*; *Sex millia Annorum jam pene complentur ex quo Hominem Diabolus impugnat.* † *Lactantius* dicit, " Completis An- " norum sex millibus Mutationem istam fieri " oportere, & jam propinquare summum illum " Conclusionis extremæ Diem, adeò ut omnis " Christianorum Expectatio non amplius quàm " ducentorum videatur Annorum". Quæstio *Pseudo-Justini* septuagesima prima interrogat de quorundam Sententiâ dicentium, *Sexies mille Annis tantum Mundum duraturum*; " Utrum incer- " tum sit hoc, an verò ex manifestis indiciis & " ex

*Cod. 202. p. 525.

† § 15.

|| *L. 5. cap. 28.*

* *Exhor. ad Martyr. p. 168.*

† *L. 7. c. 25.*

" ex divinâ Scripturâ demonstretur? Respondet *Orthodoxus*; " Ex multis Scripturæ locis conjicere " licet, veros esse qui dicunt, sexies mille An- " norum esse præsentis Mundi statuta Tempo- " ra; Scripturâ quandoque dicente, *extremis* " *hisce Diebus locutus est nobis per Filium*; *quandoq*; " *in quos Fines Seculorum devenerunt*; aliquando, " *ubi venit Plenitudo Temporis*, &c. omnia enim " dicta ista in sexto millennario prolata sunt ". Alios ejusdem Sententiæ Authores vide apud *Cotelerium* in verba *Barnabæ*, & apud *Feuardentium* in locum *Irenæi*.

Cap. III. 9. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, nec potest peccare.*] Severa nimis & à Veritate aliena est Patrum quorundam de his verbis Sententia. Nimirum,

*Primò, *Origenis*, " qui, nullâ prorsus distinctione " adhibitâ, contendit eum qui à Deo natus est " non peccare; &, in quantum facimus Pecca- " tum, nos nondum Nativitatem ex Diabolo " exuisse ". Quod qui, sine discrimine ullo, " verum esse pronuntiat, nos omnes Diaboli " Filios constituit; nemo enim sine Crimine " vivit. * *Com. in Johan. p.* 300.

Secundò, † *Tertullianus* agnoscit, " Delictis " quotidianæ Incursionis Filios Dei subjici pos- " se, puta iracundi iniquè, & ultra Solis occasum; " graviora autem Crimina, qualia sunt *Homici-* " *dium*, *Idololatria*, *Fraus*, *Negatio*, *Mœchia*, & " *Fornicatio*, si quis commiserit, horum ultra " exorator non erit Christus. Hæc, inquit, non " admittet omnino qui ex Deo natus est, non " futurus Dei Filius, si admiserit ". Quibus verbis *Davidem* & *D. Petrum* ex Filiorum Dei Catalogo protinus excluisse videtur. † *De Pudicitiâ, c.* 19.

Tertiò, *Joviniano* dicenti *Baptizatum à Diabolo tentari non posse, nec peccare*, & Sententiam suam ex hoc loco confirmanti, Respondet || *Hieronymus*, " Hæc Filiolis suis scripsisse *Apostolum*, ut " non peccent, & ut sciant tamdiu ipsos in Ge- " neratione Domini esse, quamdiu non pecca- " verint; immo qui in Generatione Domini " perseverant, peccare non possunt". Verùm rigida nimis videtur hæc Censura, nec *Apostoli* his verbis, ibi citatis, consona, *Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, J. Christum.* Non enim nisi pro Dei Filiis Advocatus est Christus, & lubricus sanè esset Sanctorum Status, si quoties impegerint, toties divinâ Generatione exciderint.

|| *L. 2. F. 26.*

Quartò, A vero magis aliena est *Ambrosij*, apud * *Augustinum*, Sententia, qui locum hunc *de perfectè renato* intelligit, hoc est, de eo qui eam Regenerationem acceperit quæ est in futurâ Vitâ. Agit enim *Apostolus* de indiciis quibus Dei Filij & Diaboli dignoscantur in hac, non in futurâ, Vitâ.

* *Contr. lit. Pelag. l. 4. c. 11.*

EPI-

EPILOGUS.

SUSCEPTI Laboris penſum abſolutum jam dedimus: Lubet tamen pauca, Lectoris in Gratiam, ſubjicere.

Operæ enim pretium fore exiſtimo, ad Fontes Hallucinationum & παρερμηνείων, quas ex Patrum Monumentis collegimus, digitum intendere.

Ex eo igitur Patres aliquoties in Errore verſabantur, quòd, in multis, *Judæos*, ad Fidem Chriſtianam converſos, ſequerentur; & quæ ab iis, humanâ Traditione, recepta eſſent, ea, ſine debito Examine, admiſerint. Hoc in Doctrinâ de Angelis cum Mulieribus congredientibus, de Millennio, de Cellulis Septuaginta Interpretum, de Eliæ Adventu Perſonali ante Diem Judicij, de Fine Mundi, poſt Chriſti Adventum, brevi ſecuturo (ut alia in locis ſuis annotata prætream) ab iis factum eſſe manifeſtum eſt.

Secundò, A vero S. Scripturarum Senſu ſæpius à Patribus deviatum eſt, ob eam quam Septuaginta *Interpretum* Verſioni ἀυθεντίαν inconſultiùs tribuebant. Quod quidem eo magis obtinebat, quòd, per aliquot Secula, rarus, inter Gentium Chriſtianos, haberetur, qui Linguam *Hebræam* primis, ut aiunt, labris attigiſſet. Multoties in hunc modum à Veritate deflexiſſe Patres tam Græcos, quàm Latinos, Verſioni huic mordicùs

adhærendo, ſparſim, in Annotationibus hiſce demonſtratum eſt.

Tertiò, Ampliſſima falſarum Opinionum Seges ex eo Originem ſuam duxiſſe videatur, quòd Patres omnes Senſum Legis Moſaicæ, immo totius Fœderis Antiqui, literalem, Deo indignam, Chriſtianis inutilem, & ſecum aliquoties pugnantem judicârunt, adeóque ad allegoricos, tropologicos, alióſque myſticos Senſus adhibendos animum intenderunt; in quibus confingendis eo operoſiùs incumbebant, partim quod, malâ Vulgati Verſione decepti, hoc Dei ipſius juſſu faciendum eſſe exiſtimabant; jubetur enim nobis inquit † *Hieronymus*, ut Eloquia Veritatis, id eſt, *S. Scripturas intelligamus* tripliciter, Primò, juxta Literam. Secundò, per Tropologiam. Tertiò, ſublimiùs, ut Myſtica quæque noſcamus. Partim quòd verba *D. Pauli*, *Litera occidit, Spiritus autem vivificat*, perperam omnes, de Senſu Legis literali & ſpirituali, explicabant. Atque hunc quidem interpretandi S. Scripturas morem ab *Origene* cæpiſſe, eumq; cæteris viam præſtruxiſſe, qui dixerint, eos aut non omnino, aut oſcitanter, priorum Seculorum Patres legiſſe, imprimis *Barnabam*, *Juſtinum*, *Irenæum*, *Clementem Alex.* & *Tertullianum*, ex iis quæ hìc obſervavimus, conſtabit. Eſt magis vero ſimile Patres, ab ipſis Judæis Alexandrinis, *Philone*, & *Pſeud-Ariſtæo*, allegoricos hos Veteris Teſtamenti Senſus didiciſſe; ut etenim Gentibus & Philoſophis, in quorum Lectione diligentiùs verſati eſſent, Theologia Judaica gratior haberetur, & libentiùs admitteretur, *Philo*, de Sacrificiis, aliiſque Moſaicæ Legis inſtitutis differens, allegoricum haud rarò Senſum amplectitur. Et ne in leves, & abjectas, de Legiſlatore *Judæorum*, Cogitationes incideſint Ethnici, ‖ *Ariſtæus* ea omnia quæ de Cibis & Animalibus immundis, atque id genus aliis, in

† *Vide Annot. in Prov. 22. 20.*

‖ *Apud Joſeph. p. 17.*

in Lege Mosaicâ occurrebant, sigillatim profundum Sensum habuisse asserit, eaque omnia saluberrimè instituta esse pronuntiat ad Animos piis sanctisque Cogitationibus imbuendos, & ad morum Justitiam informandos.

Id porro Erroris augendi, & Allegorias ineptas & insulsas aliquoties fingendi materiam præbuit, quòd eâdem Libertate usi sint Patres in Novi Testamenti Sensu indagando, cui in Veteri indultum esset; easdemque fere rationes literalem Sensum respuendi in medium induxerint. Testimonia *Origenis* in hanc rem missa facio, cujus tam in *Matthæum*, quàm in *Johannem*, Commentaria sunt fere continuò allegorica. * *Hilarius* in hæc verba *Matthæi*, cap. 24. 17. *Tunc qui in tecto sunt non descendant tollere aliquid de Domo*, hæc adnotat. "*Præceptum illud, secundùm humanam* "*Intelligentiam, rationem dicti factique non recipit*". Et Commentario in Sermonem quem Christus cum Discipulis suis habuit de Salute divitum: "‖ Multa, inquit, sunt quæ non sinunt nos sim- "plici Intellectu dicta Evangelica suscipere, in- "terpositis nonnullis rebus quæ, ex Naturâ hu- "mani Sensûs, sibi contraria sunt, rationem quæ- "rere cælestis Intelligentiæ admonemur". *Hieronymus* in hæc verba *Matthæi*, cap. 21. 7. *Sedens super Asinam, & Pullum Asinæ*, hæc habet; "Cùm Historia vel Impossibilitatem habeat, vel "*Turpitudinem*, *ad altiora transmittimur*. Asina "ergo Synagoga est; Pullus Asinæ, Gentium "Populus". Allegorias tales cumulatim inveniet Lector in Commentariis *Hilarij* in *Matthæum*, *Ambrosij* in *Lucam*, *Augustini* in *Johannem*, & de Verbis *Christi* & *Apostolorum*.

* P. 609.

‖ P. 586.

Quartò, Nec minor Errorum Scatebra ex eo nata est, quòd Patres ab *Ethnicismo*, aut *Judaismo*, ad Fidem Christianam noviter conversi, ad S. Scripturas legendas, ipsis protinus ignotas, se con-

contulerunt. Nec enim expectandum esset, ut, ante frequentem Lectionem, & diligentem earum inter se Collationem, idonei essent qui genuinum S. Scripturarum Sensum vel ipsi intelligerent, vel aliis explicarent. Atque hinc contigisse existimo, quòd ab omni Juramento, Fœnore, ab omni Morticinio, Sanguine, aut Suffocato comedendo, Religionis gratiâ abstinerent: quòd Clericos Secularibus negotiis onerandos non esse, nec ob Stuprum, Perjurium, Furtúmve depositos, à Laicorum Sacris amovendos esse constanter statuerent, ut cætera id genus multa præteream.

Sunt equidem qui sentiunt Patres, eo quòd *N. Testamenti* Scriptoribus propiores essent, idoneos magis fuisse Sensûs Scripturæ Judices sive Interpretes; quod tamen falsissimum esse, Experientiâ duce, compertum est. Ex trium enim primorum Seculorum Scriptoribus, haud pauca, in hoc Opere, Interpretamenta congessimus, ab omni Veritatis Specie aliena. Ostendant nobis Patrum Patroni unicam Scripturæ Pericopen, quæ aliis, obscura cùm esset, ab iis sit Lucem mutuata. Hoc autem admirandâ Dei Providentiâ contigisse existimo, ne ex humano Judicio Divinarum Scripturarum Authoritas penderet. Nisi enim Experientiâ, Scientiæ Magistrâ, compertum esset Patres primævos, & Apostolis propiores, haud minùs quàm cæteri cespitâsse, pronum esset, propter insignem eorum Pietatem, & Dona quorundam spiritualia, eorum vestigiis institisse. Solus, quod sciam, *Barnabæ* Scientiæ hoc Donum sibi vendicat, quod tamen in Scripturis interpretandis nusquam ab eo factum existimo, nisi quando rem planè ridiculam & facetam nobis exhibet.

Quin-

Quintò, In Scripturis interpretandis nec rarò, nec leviter, hallucinabantur Patres primævi, ut *Hæreticorum* ex S. Scripturis objectionibus, & Paganorum adversùs Scripturas contumeliis, obviam irent. V. g. hinc D. Pauli verba, *Deus hujus Seculi excæcavit Mentes infidelium*; de Deo vero intelligenda esse; *& Carnem & Sanguinem*, 1 Cor. 15. 50. Sensu morali accipienda esse acriter contendunt. Exempla plura exhibuimus in locis Scripturæ Controversiam *Arianam* respicientibus.

Sextò, A viâ verâ non rarò à Patribus deviatum est, Contentionis studio, dum Sententiam quam pro verâ amplectebantur, Scripturarum non tam pondere, quam numero defendere niterentur; cui id dubium, legat *Justini M.* cum *Tryphone* Dialogum, *Irenæum*, *Tertullianum*, *Athanasij* Orationes contra *Arianos*, *Cyrilli* Thesaurum, & *Ambrosium* de Spiritu Sancto, ubi, tot vana & futilia corradendo, Veritatem ipsam si aliis suspectam non reddiderint, id certè extra dubium posuerint, ipsos idoneos Sacræ Scripturæ Interpretes neutiquam extitisse.

His adde, Mantissæ loco, quod maxima falsarum Interpretationum congeries ex hâc Patrum fere omnium Sententiâ profluxerit, quòd, ubi aliquid Propheticè sit dictum de Christo, sive in Psalmis, sive in Libris Propheticis V. Testamenti quibuscunque, integrum Psalmum, aut Prophetiam, vel saltem Prophetæ Caput, de Christo intelligendum esse sentiebant. Hinc in Psalmorum Explicatione, Christo applicant verba *Delectorum meorum*, juxta Septuaginta Interpretum Versionem Psal. 21. (al. 22.) eumque inducunt dicentem, *Ego sum Vermis, & non Homo*, ver. 6. *&, Deus, nosti Insipientiam meam, & Delicta mea à te non sunt abscondita*, Psalm. 68. 5. hinc Christum *sordidis vestibus indutum* prædicant; Deumq;

Pa-

Patrem inducunt ei dicentem, *Si in Viis meis ambulaveris, & Custodiam meam custodieris, tu quoque judicabis domum meam, & custodies Atria mea,* Zach. 3. 3, 7. ut alia innumera præteream, quæ ex *Hilarij* & *Augustini* Commentis, potiùs quàm Commentariis, & ex *Hieronymi* in *Prophetas* doctioribus Scholiis, colligantur.

BRITISH MUSEUM

INDEX

INDEX

Rerum præcipuarum quæ in hoc Opere continentur.

A.

Allegoriæ Patrum ineptæ in locis innumeris occurrunt. Vide præsertim Allegorias de Sacrificiis, Lev. I. 3. *Et de Peccatis à Ministerio sacro amoventibus*, Lev. XXI. 16. *De Conflictu Davidis cum Goliâ*, 1 Sam. XVII. 50. *De Dracone*, Job. XXVIII. *De Concilio impiorum, & Viâ Peccatorum*, Psal. I. 1. *De his Verbis*, Psal. XIX. 6. Dies Diei, *&* Nox Nocti. *Et de his*, Psal. LXVII. 14. *Si* dormieris inter medios Cleros. *De Verme percutiente Cucurbitam*, Jon. IV. 7.

B.

PATRES ferè omnes à tertiâ Centuriâ statuerunt, sine Baptismo neminem ad Regnum Cœlorum Pervenire potuisse. Fulgentius *&* Augustinus *parvulos in Uteris Matrum morientes, sive post Partum non Baptizatos, æternis Cruciatibus addicunt.*

Fidemque ad Salutem Infantum non minus neceſſariam eſſe, quàm Baptiſmum, ſtatuunt. Not. in Joh. III. 5.

Baptiſmus Johannis, & Diſcipulorum Chriſti, *ex Patrum Sententiâ, nec Peccata remiſit, nec Gratiam Chriſti exhibuit. Not. in* Johan. III. 22, 23.

Baptiſmus Laicorum, in Caſu Neceſſitatis, Praxi Eccleſiæ obtinuit, à tertiâ Centuriâ ad Tempora Reformationis. Qui hunc Baptiſmum prorſus invalidum pronuntiant, ſacerdotalem Ordinem deſtruunt, Eccleſias Scoticas, & Reformatas, ab iis qui ab Epiſcopis ſacros Ordines non ſuſceperunt, Baptizatas, Chriſtianos non eſſe, aut Regni Cælorum capaces pronuntiant. Et denique Eccleſiæ Anglicanæ Sententiam, & Praxin, tam ante, quam poſt Reformationem, damnant. Not. in Act. X. 48.

Baptiſmus in Nomine Chriſti, ſecundum Patres, eſt Baptiſmus in Nomine Patris, Filij, & Spiritûs ſancti. Not. in Act. II. 38.

C.

CRUCIS *Signum, aut Fidem, Patres paſſim inveniant in locis ubi de Cruce Sermonem eſſe, ſine eorum monitis, nemo expectaret. Nimirum in numero* 318, *inveniunt Fidem Jeſu, in Literis ihs, i. e.* 18. *Crucem in* 300. *i. e. T. Gen.* XVII. 13. *In duobus Lignis quæ vidua colligebat,* 1 Reg. XVII. 20. *In Ligno quod ſecuit Elizæus,* 2 Reg. VI. 6. *In his verbis Pſalmi primi,* Is erit ſicut Lignum. Principatus ſuper Humeros ejus, *Iſa.* IX. 6. *i. e. Crux Regni ejus Trophæum.* Expandi manus meas totâ Die ad Populum contumacem, *Cap.* LXV. 2. *i. e. in Cruce ad* Judæos. *Jer.* XI. 9. Mittimus Lignum in Panem ejus, *id eſt, Crucem in Corpus ejus.* Ezek. IX. 4. ſignabis Signum Tau. *ex Hab.* III. 9. Cornua in Manibus ejus. *Matt.* V. 18. Unum Iota, & unus Apex. *Chriſto*

Christo Scripturas non tantum insulsè applicant, sed interdum prophanè, & tantum non blasphemè. V. g. 1 Sam. II. 8. De Stercore elevat Pauperem, *i. e. Christum de Judæis eum persequentibus.* Ascende Calve, 2 *Reg.* II. 24. *i. e. ascende Christe in Crucem in loco Calvariæ. Ex Versione Septuaginta Interpretum ei tribuunt* verba Delictorum meorum, *Psal.* XXII. 1. *Eum Patri dicecere aiunt,* Deus tu nosti Insipientiam meam, & Delicta mea à te non sunt abscondita, *Psal.* LXIX. 5. *De Christo dictum putant* Ego sum insipientissimus omnium Virorum, *Prov.* XXX. 3. *Sampson Meretricem amando, est Typus Christi qui blanditiis Meretriciis vincitur, spoliatur, alligatur, occæcatur ex personâ Christi, Not. in* Judic. XV. 4.

D.

SCRIPTURAS, quæ Christi Divinam Naturam respiciunt, Patres Post-Nicæni aliter interpretantur, quàm Ante-Nicæni. Vide Notas in Prov. VIII. 22. *In* Marc. XIII. 32. *In* Joh. X. 26. XIV. 28. XVII. 5. *In* 1 Cor. VIII. 6. XV. 28.

Dogmata Patrum Sententiæ aut Praxi Ecclesiæ Anglicanæ, & omnium fere Ecclesiarum, contraria, præter alibi annotata, sunt hæc,

Primò, *Patres antiquissimi, & Concilia generalia, statuebant non debere Episcopum ab unâ Civitate ad aliam transire. Not. ad* 1 Tim. III. 2.

Secundò, *Patres antiquissimi, & Concilia, non permittebant Clericos res Seculares administrare. Not. in* 2 Tim. II. 4.

Tertiò, *De Sanguine, Suffocato, aut Idolothytis comedere per decem Secula illicitum judicabant. Not. in* Act. XV. 28.

Quartò, Μονογαμίαν, *ſecundum Evangelium, tantum admittendam eſſe cenſebant.* *Not. in* 1 Tim. V. 14.

Quintò, *Unicam Pœnitentiam, pro Peccatis gravioribus, admittebant.* *Not. in* Hebr. VI. 4, 6.

Sextò, *Bellum Chriſtianis prorſus illicitum eſſe Tertullianus, Origenes, & Lactantius docuerunt.* *Not. in* Matth. XXVI. 52.

Septimò, *Chriſti Animam triſtem non fuiſſe ob metum eorum quæ paſſurus eſſet, Patres multi docuerunt.* *Not. in* Matth. XXVI. 37, 38.

Octavò, *Omnes Homines, poſt longam Purgationem, ſalvandos eſſe, cum* Origene, *multi ſentiebant. Alij omnes Chriſtianos Orthodoxos, Hæreticos, Atheos, Apoſtatas, & non baptizatos tantum excipiebant.* *Not. in* 1 Cor. XV. 28.

Nonò, *Fœnus omnimodum illicitum eſſe Chriſtianis pronunciant Patres, & Concilia.* *Not. in* Pſal. LV. 5.

E.

EUCHARISTIAM Patres Infantibus tradebant à tertiâ ad duodecimam Centuriam, eamq; iis ad Salutem neceſſariam eſſe exiſtimabant ex Chriſti Verbis, Niſi manducaveritis. *Not. in* Joh. VI. 53.

De Ethnicorum, ante Chriſti Adventum, Salute non dubitant Patres antiquiſſimi. *Not. in* Act. X. 34. *In* Rom. II. 10.

F.

PATRES Ante-Nicæni non pauci dicebant Filium non eſſe æquali Honore cum Patre colendum: Poſt-Nicæni aliter. Joh. V. 22, 23.

Quidam de Patre & Filio dictum velint, Deus ſtetit in Synagogâ Deorum. *Pſal.* LXXXI. 6.

Filium in Patre esse, ex his verbis, in te Deus est, *Colligunt*, Isa. XLV. 15. *Eundem esse Deum Omnipotentem, ex* Zach. II. 3. Dominus omnipotens, post Gloriam, misit me ad Gentes.

G.

PATRES quidam Christi Generationem ex Virgine vel probari, vel saltem indicari dicunt his verbis, Veritas ex Terra orta est, *Psal.* LXXXIV. 12.

Ejusdem divinam Generationem probant ex his verbis Patres antiquissimi, Cor meum eructavit verbum bonum, *Psal.* XLV. 1. *Alij ex his*, Dominus egreditur de loco suo, *Mich.* I. 3. *B.* Mariam, *Virginitate sud non immutâ, Christum peperisse colligunt ex Rubo ardente, & non consumpto*, Exod. III. 2. *Et ex his verbis*, Justus florebit sicut Phœnix, *Psalm.* XCII. 12.

H.

PATRES per Vulpes, Lupos, & malas Bestias, Hæreticos ferè semper intelligunt. Not. in Judic. XV. 4.

Patres quidam dicunt Christum, quoad humanam ejus Naturam, Sapientia profeciſſe non in seipso, sed tantum in Corpore ejus Mystico. Not. in Luc. II. 52.

Docent Apostolos infirmis, & Fide nondum radicatis, Doctrinam de Christi humanâ Naturâ tantum proposuisse. Not. in 1 Cor. III. 2.

I.

INCESTUS & Adulterij Exempla quæ in Veteri Testamento occurrunt, Patres vel Culpa vacare pro-

nuntiant, vel in Typos Christi & Ecclesiæ convertunt. Exempli Gratiâ, Incestus Lot & Filiarum ejus omni Culpâ vacat, & est Typus duarum Synagogarum. Not. in Gen. XIX. 36. *Idem judicium ferunt de Incestu Thamoris,* Gen. XXXVIII. 15. *David Adulterio se polluens est Typus Christi Ecclesiam sibi ex Adulteris despondentis; Bathsheba est Ecclesia, Urias Diabolus. Not. in* 2 Sam. XI. 4.

Ex Judæorum Traditionibus multa precaria vel planè falsa Patres acceperunt. Qualia sint (Primò) Sententia de Mundo post sex millia Annorum, Finem habituro. Not. in Gen. II. 1, 2. *(Secundò) De Angelorum cum Mulieribus Congressu. Not. in* Gen. VI. 4. *(Tertiò) De Ciborum mundorum & immundorum Allegoricâ Interpretatione. Not. in* Lev. XI. 47. *(Quartò) De Cultu Solis, Lunæ, & Astrorum, Gentibus concesso. Not. in* Deut. IV. 19. *(Quintò) De Samuelis Animâ à Pythonissâ evocatâ. Not. in* 1 Sam. XXVIII, 11, 12. *(Sextò) De Elia personaliter venturo ante secundum Christi Adventum. Not. in* Malach. IV. 4. *& in* Matth. XI. 14. *(Septimò) De millennio in Terris agendo, & prodigiosis Fructibus quos Terra tunc producet.*

K.

DIVINITATEM in Christo κλοιοῦσθαι, sicut Anima in Corpore, Patres multi existimabant. Not. in Coloss. II. 9.

Patres quidam Ante-Nicæni non abstinebant à verbis κτίσμα, & ποίημα, quando de Christo, & Spiritu Sancto loquebantur. In Col. I. 15.

Index Rerum præcipuarum.

L.

LAPSUS Patrum manifesti sunt in eo quod dicunt Cælum non esse Sphæricum, nec Terram globosam, eamque instar navis aquis innatare. Not. in Psal. CIII. 2. *Animas post Mortem habere Corporum Characterem, & Effigiem, in* Luc. XVI. 23. *Cultum Solis, Lunæ, & Astrorum Gentibus concessum esse,* Deut. IV. 19. *Deum, ante Vitulum conflatum, Decalogum tantum pro Lege Judæis tradidisse; Rituales Leges postea, Not. in* Deut. V. 22. Ezek. XX. 22. *Christum uno tantùm Anno prædicâsse. Not. in* Luc. IV. 18, 19.

M.

MERETRICES omnes quæ in Veteri Testamento occurrunt, juxta Patres, sunt Typi vel Synagogæ, vel Ecclesiæ ex Meretricibus colligendæ. Not. in Jos. II. 1. Jud. XV. 4.

De Mendacio & Simulatione Patres multi mitiùs sentiebant. Not. in Judic. III. 20. *Simulationem Petri licitam, Reprehensionem Pauli hypocriticam fuisse, ex Patrum Testimoniis contendit Hieronymus. Not. in* Gal. III. 11. *Mendacium Petri; artibus Jesuiticis defendunt, in* Luc. XXII. 57.

N.

NOVA Dogmata ab Augustino introducta, inter alia multa sunt hæc. Contra Sententiam Patrum fere omnium Verba D. Pauli ad Rom. 7. à Commate decimo quarto ad Finem de seipso jam renato intelligenda esse contendit. Not. in Rom. VII. 8. *Patres omnes, ante conflictum cum Pelagianis, pro Arbitrio ab omni Necessitate libero militabant, Not. in* Philem. XIV.

O.

OBJECTIONIBUS *quibusdam Arianorum Patres non bene respondent, v. g. de Die illa & Hora nemo scit, neque Angeli, neque Filius, Not. in* Marc. XIII. 32. *Tunc subjicietur ei Filius, qui sibi subjecit omnia, Not. in* 1 Cor. XV. 28. *Organa in Ecclesiam recepta non fuisse Seculo quinto, constat ex Testimoniis Theodoreti, & Pseudo-Justini, Not. in* Psal. CL. 4,5,6. *Originalis Peccati reatus, juxta Patres, non probatur ex* Job. XIV. 4. Psalm. LI. 5. Rom. V. 12, 19. Eph. II. 3. *Reatum hunc destruunt Comment. in* Exod. XX. 5. Ezek. XVIII. 20. Joh. IX. 2. *& Hæreticos eos pronuntiando qui nos Naturâ, non autem Voluntate propriâ, Peccatores constituunt, Not. in* Eph. II. 3.

P.

PATRES omnes, ad quartam Centuriam, de Dæmonum cum Mulieribus congressu, tanquam de re certâ, & in Scripturis traditâ, loquuntur, Not. in Gen. VI. 4. *Omnes per quinque Secula finem Mundi brevi futurum esse docuerunt, Not. in* 1 Cor. X. 11. 2 Thess. II. 8. *Per idem Tempus juramentum omne sub Evangelio prohibitum esse statuerunt, Not. in* Matth. V. 34. *Fœnus omnimodum semper, Not. in* Psalm. XV. 5. *Resurrectionem ex Fabulâ de Phœnice probârunt omnes, Not. in* Psal. XII. 12. *Purgatorius Ignis ab omnibus sub Finem Mundi, ex Patrum Sententiâ, subeundus est, Not. in* 1 Cor. III. 15.

QUA-

Q.

QUATUOR tantum esse debere Evangelia, probat Irenæus, quia quatuor sunt venti generales, eaque quatuor animalibus Ezekielis prædicta sunt.

R.

REMONSTRANTIUM Sententiæ adstipulantur Patres ferè omnes;

Primò, *Statuendo Electionem esse ex prævisis meritis, Not. in* Rom. IX. 28.

Secundò, *Justum à Justitiâ suâ posse finaliter recedere, in* Ezek. XXXIII. 18.

Tertiò, *Voluntatem ab omni Necessitate liberam esse, in* Philem. V. 14.

Resurrectionem tam Christi, quam nostram, Patres antiquissimi probant ex his verbis, Psal. III. 6. Ego surrexi, somnum cepi, & invigilavi. *Ex Phœnicis fabulâ,* Psal. XXII. 12. *Ex Ossibus aridis Ezekielis* cap. XXXVII.

Patres Antiquissimi nec bonorum, nec malorum Retributionem, ante Diem Judicij, expectabant, Not. in 2 Thess. I. 6. 2 Tim. IV. 8.

S.

DE Sacramento Corporis & Sanguinis Christi, Patres multi intelligunt hæc Solomonis verba, Non est bonum Homini, nisi quod comedit, & bibit, *Eccles.* II. 24. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, *in Matth.* VI. 11.

Omnes Christiani Baptizati sunt Sacerdotes, in 1 Pet. II. 5, 9.

Patres, ante Augustinum, docuerunt omnes Sanctorum Animas apud Inferos mansisse, ante Christi ad Infe-

ros descensum, Not. in Zacha. IX. 11. *immo easdem sub Potestate Diaboli tunc fuisse, post Justinum M. contendebant non pauci, Not. in* 1 Sam. XXVIII. 11. *In* Hebr. II. 14, 15.

Christum illuc descendisse aiunt, ut Animas Sanctorum ab his vinculis liberaret, ibid. Christumque & Apostolos ejus illuc descendisse, ut Evangelium Judæis & Gentibus prædicarent, Not. in 1 Pet. III. 19. IV. 6.

Septiformem Spiritûs Sancti Gratiam significari dicunt per Jobi septem Filios, Cap. I. 2. *Et per septem Columnas,* Prov. IX. 1.

T.

S. Trinitatis Mysterium inveniunt vel fingunt in tribus Speculatoribus, juxta Irenæum, *quos misit Josua ad explorandam Terram, Not. in* Josh. II. 1. *In tribus mensuris polentæ quas attulit David Fratribus suis,* 1 Sam. XVII. 50. *In Elia tribus vicibus se in puerum inclinante,* 1 Reg. XVII. 21. *In Jobi tribus Filiabus,* Job. I. 2. *In his verbis,* Triplex funiculus non citò rumpitur, *Eccles.* IV. 12. *Ex* Gen. II. 26. *Ex* Job, XXVII. 2. *Et ex plurimis aliis locis.*

Triplicem esse Sensum S. Scripturæ, literalem, tropologicum, & mysticum, ex his vulgati verbis colligunt, Ecce descripsi tibi tripliciter, *Prov.* XXII. 20. *Sensum literalem, tanquam Deo indignum, sæpius rejiciunt, Not. in* Lev. I. 3. XI. 47. *Et in* Luc. XXI. 21. *Literalem Sensum occidere dicunt,* 2 Cor. III. 6.

Typos Christi passim inveniunt. Judas stolam suam lavans in Vino, est Christus Sanguine suo nos lavans à Peccatis, Not. in Gen. XLIX. 11, 12. *Mincha est Caro Christi in Utero Virginis cocta, in Sarta-*

tagine, i. e. in Passione Crucis frixa, in craticulâ ejusdem Crucis mortua, in Lev. V. 3. *Terra Lacte & Melle fluens, est Caro Christi ex Terrâ formata, in* Exod. III. 8. *Asina Balaam est Typus Christi onus Peccatorum nostrorum in se suscipientis,* Num. XXII. 22. *In vaccâ rufâ inveniunt Christum patientem (Corpus ejus terrestre) à Peccato immunem, liberum, mundum, passionem ejus extra portam, Crucem vivificam, Sanguinem Dominicum, & Judæos Christum Cruci figentes, Not. in* Num. XIX. 1.

V.

EX malâ *Versione Septuaginta Interpretum, Patres* sæpius à vero deviârunt, *v. g. docendo Angelos* septuaginta *Gentibus pari numero præpositos esse, ex* Deut. XXXII. 8. *Adulteram ex Dei Præcepto dimittendam esse, ex* Prov. XVIII. 22. *Judæos Consilium cepisse de Christo Cruci figendo, ex* Jer. XI. 9. ἐμβάλωμεν ξύλον εἰς ἄρτον αὐτοῦ. *Christum* secundùm divinam *ejus Naturam incognitum esse, ex* Jer. XVII. 9. *Homo est* τὶς γνώσεται αὐτόν. *Ex verbis* Nah. I. 9. οὐκ ἐκδικήσει δὶς εἰς αὐτο, *Canones & Sententias falsas eliciunt, ex* Hab. III. 2. ἐν μέσῳ δύο ζώων, *nata est fabula de Christo inter Bovem, & Asinum jacente.*

B. *Virginis partum extorquent Patres ex verbis* Psalm. XCII. 12. Justus florebit sicut Phœnix. *Ex* Isa. VIII. 2. accessi ad prophetissam, & concepit Filium. *Ex verbis* Ezek. XLIV. 2. *eam, post partum, Virginem mansisse dicunt, eo quod dicitur,* porta hæc clausa erit, nemo ingredietur per eam. *Et ex Lapide abscisso sine manibus,* Dan. II. 45. *i. e. Christo sine Coitu.*

Index Rerum præcipuarum.

Christi partum Virginis Vulvam aperuisse, agnoscunt Patres primævi: Contraria Sententia quintâ Centuriâ obtinuit, & Catholica postea evasit, Not. in Luc. XXIII.

Unionem Divinæ Naturæ Christi cum Humanâ, colligunt Patres ex his verbis, Prov. IX. 1. Sapientia ædificavit sibi Domum. *Corrigia calceamenti, est Christi Incarnatio, & Conjunctio Humanæ Naturæ cum Divina, Not. in* Luc. II. 23.

IN-

Index PATRUM

Ordine Alphabetico,

QUI

In hoc OPERE citantur.

A.

AFricanus apud Hieronymum Comment. in Danielem.
Ammonius & Apollinarius Cat. in Johannem.
Amphilochius.
Ambrosius, Basil. 1532.
Antiochus Monach. Paris. 1575.
Arethas in Apocalypsin ad Finem Oecumenij, Veronæ, 1532.
Arnobius, Lugd. Bat. 1651.
Athanasius, Paris. 1627.
Athenagoras apud Justin. Paris. 1636.
Augustinus Basil. ed. Frob. 1569.

B.

BArnabas, ed. Cotelerij Lutetiæ Paris. 1679.
Beda, Basil. 1563.
Bernardus, Paris. 1547.
Basilius M. To. 3. Paris. 1638. Ba-

Basilius Seleucienſis, Pariſ. 1622.

C.

CAius Presb. ad Finem Photij.
Catena Græcorum Patrum in Job. Londini, 1637.
Caſſianus Attrebat. 1628.
Chromatius, Baſil. 1551.
Clemens Rom. apud Cotel. Lut. Pariſ. 1679.
Clemens Alex. Lutet. 1631.
Quis Dives, apud Combef. Auctarium, Pariſ. 1672.
Conſtitutiones Apoſt. apud Coteler.
Chryſoſtomus edit. Savil. Oxon. 1613.
--Opus imperfect. in Matth. edit. Frontoducæi To. 2. 1636.
Cyprianus edit. Oxon. 1682.
Cyrillus Alex. To. 7. Lutet. 1638.
Cyrill. Hieroſ. Lut. Pariſ. 1631.

D.

DIonyſius Areop. Pariſ. 1644.

E.

EPiphanius, Pariſ. 1622.
Eucherius, Baſil. 1531.
Eulogius, apud Photium, Cod. 230.
Euſebij Eccl. Hiſt. ed. Valeſ. Pariſ. 1659.
Ejuſdem Præparationes & Demonſtr. Evangelicæ, Pariſ. 1628.
Ejuſdem Theologia Eccleſiaſt. contra Marcellum, ibid.
EuſtathijHexæmeron,Lugd. 1629.
Euthymius, Lugd. 1556.

F.

FUlgentius, Baſil. 1587.

G.

GAudentius Brix. Bibl. Patrum.
Gennadius Maſſil. Hamburgi, 1614.
Gregorius Naz. Pariſ. 1630.
Greg. Nyſſen. Pariſ. 1615.
Gregorius primus, 1523.
Gyldas Salvian. Oxon. 1633.

H.

HErmes apud Coteleri-um.
Hieronymus,Pariſ. 1534.
Hilarius Pict. Pariſ. 1652.
Hilarius Diac. apud Ambroſium To. 4. Baſil. 1538.

Hip-

Hippolytus de Antichristo apud Combef. Auct. part. prima Paris. 1672.
De Consummationem und. Paris. 1557.
Hesychius Hieros. Basil. 1527.

I.

IGnatius apud Cotelerium Lut. Paris. 1672.
Jobius apud Photium Cod. 222.
Irenæus Oxon. 1702.
Isidorus Pelus. Paris. 1638.
Isidorus Hispal. Colon. Agrip. 1617.
Justin. Martyr. Paris. 1636.

L.

LActantius Lugd. Batav. 1660.
Leo Magnus, Paris. 1675.

M.

MAcarius Ægypt. Francof. 8vo. 1594.
Methodij Convivium apud Combef. Auctar. Paris. 1672.
Minucius F. Lugd. Bat. 1652.

N.

NIlus Caten. in Job.
Novatianus, ad Finem Tertulliani. Lut. Paris. 1664.

O.

OEcumenius Gr. Veronæ, 1532.
Optatus Lutet. Paris. 1700.
Origen. lat. edit. Merlin. 1512.
Commentar. Gr. & Lat. Huet. edit. Lut. Paris. 1679.
Contra Celsum, Cantabr. 1658.
Περὶ ἀρχῶν, Oxon. 1685.
Dialogus contra Marcionitas Exhortatio ad Martyrium, Responsio ad Africanum Basil. 1674.

P.

PHilastrius Brix. per Sycardum, 1527.
Photij Bibliotheca, Rothomagi, 1653.
Polycarpus per Cotelerium.
Procopius Gazæus in Libros Regum, & Paralip. Lugd. Bat. 1620.
Procopius Sophista in Esaiam, Paris. 1580.
Prosper Aquit. Colon. Agrip. 8vo. 1526.

Regi-

R.

REgino, edit. Baluzij Pariſ. 1671.
Rufinus 8vo. per Sirmondum.
Ruffinus presb. apud Hieronymum.

S.

SEverus Catenâ in Job.
Socratis Hiſt. Eccl. cum Notis Valeſij, Moguntiæ 1677.
Sozomeni Hiſt. Eccl. ibid.
Sulpitius Severus. Lugd. Bat. 1654.

T.

TAtianus ad Finem Operum, Juſtini Pariſ. 1636.
Tertullian. Lut. Pariſ. 1664.
Theodoreti 4 Tomi per Sirmondum, Lut. Pariſ. 1642. Tom. quintus per Garner. Lut. Pariſ. 1684.
Theophilus Antioch. apud Juſtin. Pariſ. 1636.
Theophylact. in Evangelia, Gr. Romæ, 1542.
In Epiſtolas, Gr. & Lat. Londini, 1636.
Titus Boſtrenſis Cat. Corderij in Lucam.

V.

VIncentius Lirinenſis ed. Oxon. 1631.

CONCILIA.

COncilium Antiochenum ſex Epiſcoporum apud Labb. To. 1. p. 845. &c.
Balſamonis Canones Conciliorum Generalium & Provincialium, Lut. Pariſ. 1620.
Juſtelli codex Canonum Eccleſiaſt. Lut. Pariſ. 1661.
Concilium Syrmienſe apud Hilarium de Conciliis, p. 373.
Teſtimonia extranea Ariſteæ ad Finem Joſephi, Colon. 1691.
Philonis Judæi, Coloniæ Allobrogum, 1613.
Ciceronis, Lutet. 1554.
Plutarchi, Francofurti, 1620.

BRITISH MUSEUM

FINIS.

ERRATA in Præfatione.

PAg. 2. *Lin.* 9. *adde* &. *P.* 8. *L.* 10. *l.* menſura. *P.* 12. *L.* 20. *l* κατέκρυψαν. *P.* 32. *L.* 21. *l.* Alexandrinæ. *P.* 35. *L.* 21. *l.* judico. *P.* 55. *L.* 21. *l.* Turriani. *P.* 86. *L.* 27. *l.* extorres.

In LIBRO.

PAg. 54. *Lin. l.* 25. *l.* polentæ. *P.* 61. *L.* 9. *ſola l.* tota. *P.* 118. *L.* 35. *add.* quo. *P.* 124. *L.* 8, *&* 12. Mundum. *P.* 173. *L.* 19. *l.* docuiſſe. *P.* 178. *L.* 32. *Abraham l.* Abducam. *P.* 344. *L.* 6. *l.* indigorum.